
Ex imis ad ſumma
Facimus ſcribenda
ſcribimus facta
MARTINI
HANKII
De
Romanarum
Rerum
SCRIPTORIBꝰ
Liber.
Dicimus facienda
Legimus ſcripta
Ex ſcriptis de Scriptoribꝰ
LIPSIÆ
In Laurentii Sigismundi Cörneri
Bibliopolio

MARTINI HANKII
DE
Romanarum Rerum SCRIPTORIBUS,
LIBER.

In eo qvid contineatur, ad Lectorem, Epiſtola docet.

LIPSIÆ,
LAURENTII SIGISMUNDI CÖRNERI,
BIBLIOPOLÆ IMPENDIIS,
LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS,
Anno M. DC. LXIX.

CLARISSIMÆ

REIPUBLICÆ VRATISLAVIENSIS PRÆSIDI, SENATORIBUS, AC AMPLISSIMI ORDINIS ASSESSORIBUS, SUMMIS PRUDENTISSIMISQVE VIRIS,

PATRONIS SUIS VENERANDIS

S. P. D.

MARTINUS HANKIUS.

HUnc de Romanarum rerum Scriptoribus codicem VOBIS conſecro, illuſtres VIRI, qvem, niſi graviter in VOS injurius, aliis conſecrare non poteram. Poſt opuſcula domeſticis de cauſis divulgata, qvæ uni, certè paucisſimis ſcribi ſolent, primum ingenii monumentum eſt,

qvod me autore, non modò in publicum, ſed etiam publico affertur. Eam verò primitiis legem natura ponit, antiqvus meliorum Gentium conſenſus firmat, ut circulum faciant, ad ſumma principia redeuntes, unde proveniunt. Itaq; pietatis, qvin & juſti ordinis retinens, ab optimo maximo DEO, cui omnia in acceptis refero, digreſſus, Patri meo, cujus in me innumera merita, qvibus etiamnum fruor, à divinis minimo intervallo diſtant, hoc, ſi per fata licuiſſet, obtuliſſem munus. Ille cum temporaria pridem æternis permutaverit, eqvidem, qvi abſenti habere gratias, referre non poſſum, jam non invenio, qvibus Liber meus jure potiori debeatur, qvàm VOS, Nobilisſimi PATRONI. Vratislaviæ, cui VOS præeſtis, ſpiritum, & priorem ſpiritu dexteram educationem adſcribo. In eodem Gymnaſio, qvod curis Veſtris, Veſtris beneficiis ſtat floretqve, cũ humanioribus litteris ſeveriores, & olim arripui, & jam trado, ab exteris oris, qvibus in obſeqvium me appetentibus permiſeram, in natale Solum per VOS revocatus. Hæc Parentibus meis VOS agnoſcere proximos: hæc non modò

dò communem affectum, qvò Civitati noſtræ VOS eſſe Patres oſtenditis; ſed eundem qvoqve, cum in ſingularem erga me propenſionem abiit, qvâ me adhuc univerſi tenetis, ſinguli ducitis, in VOBIS æſtimare, volentem me jubent. Qvibus perpendendis intentus, parum habui, qvicqvid benevolentiæ, qvicqvid charitatis me VOBIS obſtrinxit, intra conſcientiam, qvamvis identidem, repetere, niſi conſpicuum grati animi documentum accederet. In bono viro inprimis animus inſpiciendus eſt: civis bonus maximè factis cenſetur. Excuſabilis eſt, qvi non poteſt, qvod debet, modò velit; accuſandus, qvi non vult, qvod debet, præſertim ſi poſſit exſeqvi. Itaqve, cum occaſio, diutius opinione, voluntatem deſeruerit, hactenus me, qvi dudum VOBIS exſpectatum pietatis meæ pignus nunc demum exhibeo, aut omni culpa immunem, aut proniori venia dignum, ipſemet pronunciare ſuſtineo. Tandem obviam occaſionem, in privati exterívè amoris, ſeu conciliationem, ſeu fulcrum, ſeu deniqve incrementum vertere, id verò qvid aliud erat, qvàm in

ipſum

ipſum Patriæ ſorum peccare, infelicis rei ſubire partes, qvem internus judex condemnaret, etiamſi externum abſolveret tribunal. Non igitur Librum ipſum, mole parvum, argumento tenuem, per ſe nihil habentem, qvò Veſter totus evadat, ſed autoris mentem ſpectetis, qvâ ſe gratum PATRIÆ ſuæ civem, gratum VOBIS Patronis clientem ſiſtit.

Qvicqvid eruditionis mihi contigit, qvod infra, certè intra mediocritatem limites ſuos terminat, ſterile reputo, niſi fructum aliqvem ad commune tranſmittat. Hunc, qvi ab ore docentis ad ingenia curis meis concredita, in ſolidiorem ſcientiam elaboranda, ſubinde potuit tranſire, fideliter qværere, diu eſt, qvod ſatis habuerim. Tandem ab iis, cum qvibus cogitationes, ſeu præſentibus, ſeu abſentibus, familiariter miſcere ſoleo, huic animo perſvaderi ſum paſſus, in ſcriniis meis ad rem litterariam ſpectare, qvò privatim paucis, publicè multis conſulere valerem. In hac ſententia nunqvam ſatis firmus, ut conſcientiam à luctâ ſæpius recurrente vindicarem, experimentum eſſe faciendum ſtatui: amicorum

conſi-

conſilium laudaturus, ſi reſpondebit ad ſpem eventus; ſi non reſpondebit, meum obſeqvium damnaturus. Sola communis utilitas, cujus provehendæ fiducia, ut hæc ederem, me compulit, labori meo præmium erit exoptatisſimum. Hæc mea publicantis Librum intentio, non publicantis, ut Librum publicaverim. De qvô ipſe, cum illum, non tanqvam meum, ſed tanqvam alienum, intueor, ita cenſeo. Ad Romanas hiſtorias antiqvitatesqve, cum plenius & perfectius, tum etiam ſecurius feliciusqve, non ſine curâ, non absqve judicio, capiendas, dum Scriptores optimos, bonis malisq; mixtos, conſpectiori formâ repræſentat, ſe ducem, ſe comitem præbet; qvalis fontes ſitientibus monſtrat, aqvas ipſas non ſuppeditat; qvarum ſapor, qvia pro guſtantium palato, varius ſolet eſſe, qvamvis per ſe unus, qvis potatoribus diverſis habeatur, addit. Laborem, non ingenium, prodere poteſt; qvod in membris ſingulis ne admiſit qvidem, in totius corporis ſtructurâ ſemel reqviſivit, ſed planè modicum. Qvicqvid exactè compoſitum eminet, circumſpectionis, vix judicii

 dicii

dicii notam habet. Tenuitatis igitur ſuæ conſcium, nihil gloriæ, nihil admirationis præſumat, ſibiqve promittat: omnem ex legentium commodis laudem exſpectet, qvam exſpectare fas eſt, ad communem illorum librorum ſortem referendo, qvi toti placere cunctis, nec poſſunt, nec debent. Jam diverſa Lectorum genera, cum huic in ordinem redigendo volumini manum adhiberem, animo reſpiciebam; non, qvod univerſum iisdem arrideret, ſed cujus ſingulas partes, alias his, alias aliis ingeniis amabiles fore cōſiderem, conditurus. In qvô imitatus ſum eos, qvi hoſpitibus qvibusvis ſatisfacturi convivium præparant. Cum raro dapes eædem ſtomachis omnium probentur, varios cibos adornant, certa ſpe adducti, qvamvis à plerisqve ſinguli abſtineant, nihilo ſecius omnes, qvo delectentur, habituros, qvando ea, qvæ nonnulli recuſant, cæteris capiendi gratiam non adimant. Sed optimum qvemqve, cum de ſuis rebus cogniturus, qvamvis ſub alieno habitu, judicē agit, in amorem ſui pronior mens fallere poteſt. Qvare non eſt, ut tale judicium, qvale in aliis ſuſpectum cenſemus,

ſemus,

ſemus, in nobis extra omnem dubitationem ponamus. De Libro meo cuiq; ſit integrū. Omnes libertatem in examinandis ponderandisq; ſcriptis eandem habent, licet eandem facultatem non omnes habeant. Alios patiar, VOS operis mei conſtituo Cenſores. Si per VOS, Sapientiſſimi VIRI, non aberravi à vero, de aliorum judiciis ſecurior fuero. Qvin, ſi qvam adverſa pœnitentiam mihi perſvaſerint, Veſtra, inſtitutum meum approbantia, pœnitentiæ pœnitentiam afferent.

Et cur dubitem, fatorum, qvæ Liber meus promeriturus eſt, VOS interpretes optimos habere, per qvos Reipublicæ noſtræ fata ſic Deus temperat, ut vota pro VOBIS ad ipſum redeant; ut in VOBIS prudentiam, & cives, & exteri prædicent; à VOBIS poſteritas in dubiis exemplum regiminis petitura ſit. Eqvidem à laudibus Veſtris, cum curâ exponendis, non in transcurſu tangendis, de induſtriâ mihi tempero, illud tamen premere non poſſum, manifeſtum indicium eſſe, VOS communis ſalutis Statores haberi, qvòd VOBIS ſe inſinuent, per qvos ſalus

com-

communis viget,firmatur,adaugetur. Qvi, dum à VOBIS amari cupiunt,à ſe VOS diligi,patefaciunt: & dum à ſe VOS diligi, à VOBIS ſe amari,teſtantur. Beatæ Civitatis Rectores, ad qvorum Curiam Virtus & Eruditio ſemper hilares accedunt; à qvorum privatis liminibus nunqvam triſtes abeunt. Hæc felicitas VOBIS, hæc Civitati noſtræ propria ſit perpetuaqve! Sic nemo,niſi malus, Veſtrorum Nominum meminerit, ut conqveratur. Sic illuſtres Scriptores de VOBIS etiam ſcribendi materiam capient, Veſtram ſuâ; ſuam Veſtrâ famâ propagaturi. Valete,publici Patres, Divinæ Gratiæ commendati ab eo, qvi ſe commendat Veſtræ. Scribebam Vratislaviæ, natali meo, Februarii XV die, à Servatoris natali,anno M. DC. LXIX.

AD LE-

AD LECTOREM EPISTOLA.

HOc, qvod Lectoris judicio ſubjacet, Opuſculum, jam olim mente conceptum, nunc demum in publicam lucem prodire patior. Decennium eſt, & qvod excurrit, ut in illuſtri ad Salam Academia, Generoſi Strenuiqve GEDEONIS WANGENHEIMII, Eqvitis Thuringi, ſtudiis in conſilii partem additus, cum ille bonorum Autorum, ex qvibus, tanqvam fontibus, omnium gentium hiſtorias haurire par eſſet, à me popoſciſſet Indicem, de qvadam Hiſtoricorum Scriptorum Bibliotheca, novo exemplo, in varii generis utilitates componenda cogitationem ſuſcepi. Qvo labore cum ingenium exercere, tum Nobiliſſimo GEORGIO FRANTZKIO, ſummo, & qvantæ in Jurisprudentia ſubtilitatis, tantæ in Hiſtoricis peritiæ viro, qvem Affinem optimum, Patronum maximum habebam, diligentiam meam probare conabar. Qvemadmodum verò amant initia rerum eſſe parva, ſed & difficilia: ſic rudiorem tenuioremq; fœtum, maximè librorum, qvos ſibi depoſcebat, raritas, juſta incrementa ſumere non permittebat. Tamen, ut aliqvid ei ſubinde accreſceret, mox publicæ, mox privatarum Bibliothecarum liberior uſus præſtabat. Cœptis multò ampliores acceſſiones nova rerum mearum ſedes attulit. Ab

Illuſtriſſimo Principe, ERNESTO PIO, Saxonum Duce, Gotham evocatus, ut in extraordinario Auditorio matureſcentia juventutis ingenia ſtudiis Academicis præparare͂; à beati Frantzkii relicta Vidua, honeſtiſſima prudentiſſimaq; Fœmina, in ædium convictorumq; communionem, bono fato meo, recipiebar. Hæc Mariti ſui, cujus proclive͂ in me favorem memori animo tenebat, qvaſi partes ſuppletura, certè, qvantum poſſet, profutura conatibus meis, & eximiâ, & copioſâ Bibliotheca, modò non ut meâ, utendi facultatem mihi faciebat. Qvin ipſe laudatiſſimus Princeps, ſicut hiſtoriarum qvoddam compendium ad accuratiores leges conſcribendum mihi commiſerat, ita ſuam qvoq; Bibliothecam, multiplici codicum genere inſtructam, deſideriis meis patere jubebat. Ex his aliisq; Bibliothecis conqviſitum apparatum noviſſimè Patria, in qvâ docendi provinciam ultrò mihi oblatam ſuſcipere pietas imperavit, auctiorem reddidit. Ex eo qvandam de Romanarum rerum Scriptoribus partem, anguſtiſſimis cancellis, qvos temporis lociq; conditio exigebat, circumſcriptam, ſeptimus jam agitur annus, qvod publicè, cum vernales nundinas ageremus, in Eliſabetano Vratislavienſium Gymnaſio diſcentibus excipiendam propoſuerim. Hæc poſtea ſubciſivis horis, & freqvens augmentum, & cum eo meliorem formam recepit, donec in hunc librum abiit; jam in tantum ſibi diſſimilis, in qvantum ovo recentiſſimo viſceribus inhærenti excluſum animalis corpus.

Ut ſimul iis, qvibus idem, qvod in hoc agimus libro, ſeu eadem, ſeu parum diverſa conditione, jam ab aliis actum videri poſſit, ſuſpicionem adimamus; ſimul in evidentiorem argumenti penitioremqve cognitionem facili negotio pervenire cupidis ſatisfaciamus: hujus codicis, & ſummam, & in præcipuis rationem, Lectorum oculis animiſq; ſubjiciemus. Conſilium nobis, paulò majore curâ in unum volumen collatos exponere, qvi de Romanis rebus, à Romulo, Urbis & Imperii Romanorum conditore, ſeu ab anno Mundi MMM. DCC. XCVIII, ante Chriſtum

ſtum natum DCC. L: usqve ad Imperatorem Mormyllonem Auguſtulum, qvi Urbe jam qvartum à barbaris occupatâ, Romanum in Occidente imperium ponere coactus, Odoacrum Herulorum, primum ex barbaris, Italiæ regem, anno Urbis M. CC. XXVIII, Mundi MMMM. CCCC. XXV, à Chriſto nato CCCC. LXXVI, ſucceſſorem accepit, non nihil ſcripſerunt. Qvorum numero, cum illos, qvi res qvidem ante Romam conditam, ad Romanæ tamen gentis originem ſpectantes, ſeu peculiaribus libris narrant, ſeu ſcriptis ſuis præmittunt, adeoqve vel ab ipſo terrarum univerſali Diluvio, qvod in annum Orbis M. DC. LVI, ante Urbis ſtructuram M. D. XLII, ante Chriſti nativitatem MM. CC. XCII, incidit; vel à Jano, Aboriginum rege, cujus in Italiam adventus anno Mundi MM. DC. XXI, ante Urbem excitatam D. LXXVII, ante natum Servatorem M. CCC. XXVII, adſcribendus venit, opera ſua incipiunt: tum hos, qvi faſtos ſuos, ad Romanos ſub barbaris etiam regibus conſules, uſq; ad vigeſimum qvintum, poſt Baſilii, ultimi conſulis, conſulatum, id eſt, ad annum Urbis M. CCC. XVIII, Mundi MMMM. D. XV, Chriſti DLXVI, produxerunt, addendos judicavimus: minimè huc referendos arbitrati, qvi de Romanis qvidem, at ſimul iis aliarum gentium rebus, qvæ cum Romanis per ſe non cohærent, agunt. Qvô nomine cunctos ab hoc Opuſculo Scriptores abeſſe voluimus, qvi aut ſeorſim, aut maximam partem, imperii Romani Orientalis, ſive Conſtantinopolitanas res commemorant. Neqve tamen eſt, ut qvis in hoc volumine omnes omnino reperiri credat, qvos eidem inſerere, ab inſtituto noſtro, qvatenus id hactenus qvidem indicatum dedimus, nihil alienum erat. Nam de qvorum ſcriptis, aut nihil ad ſæculum noſtrum pervenit, aut, qvod exſtat, noſtrâ qvidem ætate nondum in publicum litterarii regni uſum tranſiit, de induſtriâ prætermiſimus: in CONRADI GESNERI Bibliotheca, in GERARDI JOANNIS VOSSII libris, qvos de Hiſtoricis Græcis & Latinis compoſuit, in editis Bibliothecarum publicarum catalo-

gis, & alibi qværendos. De cæteris fatemur, plures huic operi nos addere qvidem, ſed minus ad propoſitum, potuiſſe; qvod eorum, aut vita nos ejusq; poſtrema tempora (qvæ inprimis ſpectamus) fugerint; aut ſcripta nobis, licet viſa, licet aliunde cognita, non tamen, ex qvô præſentem laborem ſuſcepimus, ad accuratiorem (qvalem ei deſtinamus) notitiam, nec inopinantibus ſint oblata, nec qværentibus inventa. Sed etiam multos Scriptores, qvos annotatis pari conditione poteramus adjungere, juſtis de cauſis excluſimus; hac vice rotundo numero, qvi centuriam explet, contenti. Antiqvos, ſi non omnes, tamen plerosqve in medium adducimus, in iisq; primarios. His recentiores accedunt, in qvos ante incidimus, qvam in eos, qvos adhuc premere animo ſedet. Poëtis qvibuſdam argumenta, qvæ carminibus ſuis dederunt, hiſtorica inter noſtros Scriptores locum faciunt. Inter Scriptores eum probavim⁹ ordinem, qvem ratio temporum (qvæ in hoc opere univerſo maximè nobis arriſit) & ipſa Lectorum utilitas ſvaſit. Etenim non modò ingenium oblectat, ſuo qvæqve loco videre poſita, & qvem vita inter Scriptores effecit, ordinem, ſeqvi; ſed etiam memoria non exiguum inde fructum reportat. Contra verò, ad Autorum nomina ſecundum alphabeti ſeriem diſpoſita librum accommodare, qvod in ſimili materia qvoſdam feciſſe conſtat, qvid aliud erat, qvam inqvirentium ſervire cupiditati, cui per Indicem conſuluiſſe, nos ſatis habuimus? Qvare, cum ex Scriptoribus ſint, qvibus certum tempus, qvô vixerint, adſcribi non potuerit, in duas hunc codicem partes dividendum ſtatuimus, qvarum prior cognitorum, poſterior incognitorum temporum Scriptores, illa qvidem ad annorum ætatis ultimorum ordinem, hæc verò arbitraria ſerie locatos, complectatur. In utraq;, majoris gratiæ, ſed & commoditatis ergo, peculiare ſingulis Scriptoribus caput tribuimus: cujus tres, in priore qvidem parte, (nam poſterior id non tulit) articulos conſtituimus, qvorum primus Scriptoris vitam, alter Scripta, ultimus de Scriptore ſcriptisq; Judicia contineat. Nec periodi articu-

lis

lis deſunt, intra qvas minora penſa, velut limitibus circumdata, ſubſiſtant magisq; pateant.

In Vitis præcipua momenta breviter exponimus: qvadam inter veteres novosq; Scriptores differentiâ.

In antiqvorum vitis, qvoniam nihil admittendum judicamus, niſi qvod teſtimoniis rationibusve juſtum pondus habentibus confirmetur; ut iis, qvæ vel affirmavimus, vel negavimus, fidem conciliaremus, gravior cura nos exercuit. Qvem in finem, nec qvicqvam adſtruimus, cui ſua, qvibus innitatur, fulcra deſint; & ipſa illorum verba, qvos in veritatis ſtabilimentum allegandos cenſuimus, plerumq; ſubjungimus. Nihil enim minus in hoc ſtudiorum genere, qvam eorum morem approbamus, qvi antiqviſſimis rebus, qvas tradunt, aut nullos, aut minus idoneos teſtes addunt. Qvorum illud, neceſſaria qvidem Bibliotheca prædiris, aliis ventoſior arrogantia, pronior aliis negligentia, ſæpius imperavit: hoc, partim meliorum inopiâ codicum laborantes, partim genuinum diſcrimen uſumq; librorum non ſatis intelligentes, facere ſolent. Utriq; ſimul & paucis & multis ſcribunt: paucis, id eſt, rerum peritiſſimis, qvibus ea, qvæ proferuntur, jam ex ſuis fundamentis ſunt cognita: multis, id eſt, vulgo eruditorum, qvibus aut ſuperiorum annorum qvilibet ſcriptor ſatisfacit; utrum aqvas ex fonte ipſo, an ex qvocunq; rivo bibant, nihil intereſſe perſvaſis: aut etiam ſola ſcribentis autoritas pro ratione, pro teſtimonio eſt; celebres, inprimis ſolidâ ſcientia præcellentes viros, qvorum ingenio nimium, nimium memoriæ confidunt, nunqvam dormitare, nunqvam ſomniare cogitantibus. De cætero, qvemadmodum id maximè intendimus, ut, qvando Scriptores vixerint, ponderoſis & qvæ infringi temerè non poſſint, argumentis evidenter oſtendamus: ſic qvævis ad ſuos annos, &, qvô ſecundum eos referri debuerunt ordine, qvantum fieri potuit, relata proponimus. Eum præ cæteris annum, ultra qvem Scriptoribus non alius, citra errore dubium, attribui poſſit, inveſtigavimus. Qva in re non in exemplum nobis pro-

poſuimus, quos in chronologicis aliisq; libris exigua tetigit cura, quibus annis autores adſcriberent, ſæpius majore chartarum in iisq; ſpatiorum, quam ſolidioris cognitionis ratione ducti, modò in annos, quibus vixiſſe autores, interdum magis crediderunt, quàm exploratum habuerunt, inciderent. De variis erroribus, in quos & ſe, & lectores ſuos præcipites dederint, nihil memorabimus. Hoc premere non poſſumus, ſagacioribus eos nequaquam ſatisfeciſſe. Non raro enim occurrit, cujus gratiâ, cum præcisè, tum firmis indiciis cognitum velimus, ad qvem uſq; annum Scriptoris vita ſe extenderit. Id autem non ex eo intelligas anno, ultra quem ſuperſtes, nec ne, ſcriptor fuerit, in incerto ſit. Nam ex poſteriore quidem priorem, non ex priori poſteriorem Scriptoris ætatem, ſine dubitatione, colligas.

In recentiorum vitis, etſi, nec unde hauſerimus, qvæ adducuntur, reticemus, nec temporum negligentes ſumus; tamen non eaſdem nobis leges, quas circumſtantiarum diverſitas mutare non modò permiſit, ſed etiam permiſit, poſuimus. Nam dicta noſtra ſubjectis aliorum verbis illuſtrare ſimul & probare, nec ita commodum, nec adeo neceſſarium erat: ut autem conſtaret, quibus autoribus accepta referremus, conjunctim hos indicaſſe, videbatur ſufficere. Cui debemus, qvæ commemoravimus, (vel ex viventium narrationibus fidem merentibus, vel ex defunctorum MStis, vel ex publicatis qvidem, ſed funebribus aliisq; libellis, quos nominare nihil intereſt, cognita) paucorum vitis neminem adſcriptum reperias. Undecunq; congeſſerimus, quæ narramus, noſtro ſtilo accommodavimus. Nimirum, ex quibus res, non item verba deſumſimus. Nam, quod aut parcius memorandas res diffuſius deſcriberent, aut ab inſtituto noſtro alienas connecterent, aut inæqualem orationem noſtram efficerent, invertendo, addendo, omittendo, ſic mutare neceſſum habuimus, ut noſtra evaſerint.

Scriptis, quæ ad veterem Romanam hiſtoriam faciunt, ita locum damus, ut, quæcunq; ſunt extra limites opuſculi noſtri ponen-

ponenda, licet cognata, ne obiter qvidem attingamus. Obſcuriores conciſioresq; titulos, ex qvibus argumenta librorũ, aut nullus, aut non ſatis capere poſſis, paucis explicamus. Qvibus Scriptis addi potuit, unde incipiant, ubi deſinant, ſic addimus, ut primò id ipſum, tum à qvo initium ſumunt, tum in qvô finem ſtatuunt, ſeu bellum, ſeu factum, ſeu quodcunq; aliud memorabile, nominemus; deinde Urbis, Mundi, Chriſti annum, ad qvem & initiũ & finis, referenda ſunt, annectamus. Et initia qvidem librorum qvod attinet; iis Scriptoribus, quibus principio, quod libris ſuis poſuerunt, alicujus momenti res præmittere placuit, adeoq; duplex initium eſt, qvorum poſterius ordinarium, prius extraordinarium ſit, ſeorſim utrumq; annotavimus. Quod verò ad librorum clauſulas ſpectat; cum Scriptores qvidam in commemorandis rebus, qvas alii tumultuario ſtilo, alii qvadam arte miſcent, non temporum obſervent ordinem, ultima primis, prima ultimis, media utrisq; inſerentes: non in illo ſemper, in qvo terminatur, ſed interdum in eo, quod ultimum, ſi ad ſuum qvævis ordinẽ referas, liber habiturus eſſet, finẽ libri ſtatuimus. Qvod in vitarum Scriptoribus frequens eſt. Nam in iis E. G. reperias, qvi de Imperatorum vitis agentes, memoratis eorundem funeribus educationem, mores, conjugia, liberos, facta ſubjungunt. Talibus ſcriptis, non hoc, qvod poſtremo loco in iis invenitur, ſed Imperatorum mortes pro genuino fine appoſuimus. Scriptis addimus interpretes, à qvibus vel ex Græco, vel ex alio ſermone, in Latinum verſa inveniuntur. Deinde autores enumeramus, per qvos variis lectionibus, notis, commentariis, aliisve additamentis emendatiora utilioraq; ſunt reddita. Deniq; cum ipſa Scripta, tum qvicqvid in ea recenſiti autores exſtare voluerunt, & qvo loco, & qvo tempore, & qvâ forma in publicum prodierint, ſubjungimus: noſtrorum oculorum, non alienam, ſubleſtam dubiamq;, fidem ſecuti. Qvippe non ex CONRADI GESNERI, GEORGII DRAUDII, aliorumq; voluminibus, libellis, catalogis, qvibus editos in lucem codices enumerant,

rant, conſcriptas editiones, (qvod facilioris laboris, brevioris temporis negotium eſſe poterat) ſed qvas ex publicis privatisq; Bibliothecis hac manu annotare licuit, Lectoribus exhibemus. Unde factum, ut etiam qvorundam autorum labores, nobis aliqvando viſos, ſed ante cogitationem de tali Scriptorum ſyſtemate componendo ſuſceptam, aut ſoli memoriæ commendatos, aut non eadem cura & circumſpectione, qvam poſt adhibuimus, litteris traditos, deſideres. Non enim committere voluimus, ut paucarum editionum, qvas nominare potuiſſemus, incertior imperfectiorq; notitia, cæteris, qvas nominavimus, aut fidem redderet ambiguam, aut diſcrimen afferret minus gratum. Ea, qvibus Scriptores Romanos eruditi viri qvocunq; modo illuſtraverunt, ſuis ubiq; titulis expreſſimus. Etenim cum in unum eundemq; Scriptorem qvidam diverſa compoſuerint, qvibus ideo diverſos etiam titulos indiderunt: non integrum nobis putavimus, E. C. explicationes vocare, qvas autores ſcholia dixerunt; ſed, prout in editionibus exſtare vidimus, ita qvibusvis addidimus. At ne ſic qvidem omnem evitare ambiguitatem potuimus, qvod E. G. codex alius lectiones varias appellet, qvas alius emendationes nominat: alius in fronte obſervationes promittat, qvas idem in corpore lucubrationes uſurpet. Qvalis inſcriptionum differentia interdum nihil in receſſu habet, qvandoqve diverſitatem rei denotat: cum E. G. ſint, qvi Criticos in notis, Politicos in commentariis agant: ſint, qvi commentarios ex notis effecerint, ita, ut has poſſideat, qvi illos habet; non item illos habeat, qvi has qvidem ſibi comparaverit.

Judicia ne qvicqvam continerent, in qvô judicium deſideres, qvantum licuit, adhibuimus. Primum memores, de Scriptoribus ſcriptisq; judicia proferenda eſſe, ab iis autorum locis, in qvibus aut nudum Scriptoris nomen, aut ſolum ſcripti argumentum expoſitum legas, prorſus abſtinuimus. Deinde, animo pariter ad metam directo, non qvaliacunq; de Scriptoribus judicia, ſed qvæ ad librorum ab iiſdem poſteritati relictorum æſtimatio-

nem

nem facerent, adducenda judicavimus. Qvo nomine omnia teſtimonia de iis Scriptorum virtutibus, vitiis, & aliis rebus, qvas habere cognitas, de ſcriptis faciendi judicii nihil intereſt, ſilentio transmiſimus. Porro, qvantumvis illa potiſſimum de Scriptoribus ſcriptisq; judicia duxerimus annotanda, qvæ ad acqvirendam pleniorem illorum cognitionem, qvatenus ad Romanam hiſtoriam feliciter addiſcendam conferre aliqvid poteſt, propius accedunt: tamen hæc, qvæ vel generatim ad Scriptores ſpectant, vel in ſcriptis ſolam ſtili verborumq; rationem indicant, excludere non ſuſtinuimus. Qvæ ſine judicio ne qvis admiſſa temere putet, qvô jure locum in hoc codice invenerint, breviter oſtendemus. Elogia, qvas aut natura dotes, aut facultates labor, aut qvem locum inter eruditos fama Scriptoribus dederit, commemorantia, omnino ejus conditionis ſunt, ut docere poſſint, qvalia ſint à Scriptoribus ſcripta publico exſpectanda. Nam E.G. cujus ingenium, diligentiam, eruditionem exploravimus, ſi non, qvales condiderit, certè, qvales condere potuerit libros, intelligimus. Fama, qvæ Scriptoribus eſt, etſi fallit ſæpius, cum alii mereantur eam, alii ſuſtineant; non tamen, ſi cordatiorum ſapientiorumq; ſuffragiis fulciatur, prorſus inidonea eſt, qvæ in animis noſtris vero ſimile de ſcriptis judicium pariat. Nec eſt, qvod ea, qvæ communiorem de ſcriptis notitiam Lectoribus afferre poſſunt, ideo in negligendis ponas. Nã qvod in universũ de rerũ generibus, aut affirmatur, aut negatur, id ſpeciebus, id individuis etiam accommodandum, qvis paulò in Philoſophia verſatior ignorat? At extra viam digredimur, qvi rerum hiſtoriæ Romanæ ſervientium ſtudioſi, judicia de verbis Scriptorum proferamus. Qvid? ille, qvi verba non capit, res an aſſeqvitur? An non indiſſolubilis inter has & illa nexus? An, qvod ex verbis & eorum ſtructurâ pendet, utrum incultior, an elegantior; obſcurior, an evidentior; & qvalis deniq; ſit oratio, nihil refert noſſe? Qvia, cum de una eademq; materiâ, cum melioris, tum deterioris ſtili Scriptor exſtat, an perinde, utrum perlegendum ſuſcipias? Qvid de cæ-

teris dicam, qvæ ex dictionis, ſeu cura, ſeu negligentia proveniunt, ad res ipſas, aut majus, aut minus pondus ſuo modo addentibus? Qvò referre poſſis eam Scriptorum gratiam, qvi cum rerum geſtarum cognitione prudentiam, ſingulari orationis ingenio, narrationis ſerie nihil interrupta, ſe prodentem acutis Lectoribus inſinuant, id etiam agentes, qvod non agunt. In judiciis hoc progredimur ordine, ut primò generalia de Scriptoribus ſcriptisq; , poſtea, ſi qva nobis occurrerunt, de unoqvoq; ſcripto ſingularia proponamus. Autorum non omnium, qvorum poteramus, ſed in rep. litteraria nomen aliqvod conſecutorum judicia collegimus. Nam ut de judiciis ipſis tantò facilius judicium formari poſſet, non obſcuriſſimos qvosq; admiſcuimus, de qvorum judicio, niſi rem, de qvâ judicant, jam ſatis perſpectam habeas, qvid judicandum ſit, penitus hæreas. Qvanqvam ne hoc qvidem pacto iis ſatisfecerimus, qvos exiſtimatio, qvâ judiciorum autores apud alios ſint, fugerit. De cætero, in judiciorum autoribus; qvos ſecundum annorum ſeriem, non qvibus ſupremo fato defuncti ſunt, ſed qvibus libros, unde judicia ſunt deſumta, publicaverunt, collocavimus; temporum ordinem, qvantum licuit, obſervare laboravimus. Unde (cum plures ab æqvalibus etiam libros, diverſis ætatibus editos, habeamus) factum eſt, ut unum qvandoq; autorem, mox præpoſitum alteri, mox eidem poſtpoſitum invenias. Neq; diffitemur, cum editionum iteratarum copia impedimentum nobis multiplex objiceret, accuratam ubiq; induſtriam, qvalem fortaſſis nemo à nobis in re non magni momenti exegerit, niſi cum temporis ad meliores curas deſtinati jactura, (qvam facere noluimus) nos adhibere non potuiſſe.

Supereſt, ut qvædam de iis, qvæ univerſitatem libri, non tantum ſingulas partes attineant, dicamus. In Chronologicis, CAROLUM SIGONIUM, ONUPHRIUM PANVINIUM, STEPHANUM VINANDUM PIGHIUM, SETHUM CALVISIUM, aliosq; præſtantes in hoc ſtudiorum genere viros, ſecuti ſumus, eâ libertate, ut nullius in calculum juraremus: qvem ex fundamentis ſuis, non ex ponentiū

auto-

autoritate, judicavimus æſtimandum. Annum Urbis conditæ primum, Mundi MMMM.C.XCVIII, ante Chriſtum natum DCC.L, ſtatuimus. Conſulum Romanorum initium, de qvibus ne inter veteres qvidem chronologos (plerumq; uno inter ſe invicem anno diſcrepantes) convenit, ad annum Urbis CCXLV, Mundi MMM. CC. XLII, ante Chriſtum natum DVI, referimus. Hæc ſuis è principiis cum alii demonſtraverint, oſtendere ſuperſedemus: nec epiſtolæ modus tam operoſum laborem admittit. Ante Chriſti, & poſt ejus nativitatem annos, qvi vulgo numerantur, cur retinere maluerimus, qvilibet chronologiæ paulo intelligentior per ſe viderit. Controverſias aut à ſcopo noſtro longius abeuntes, aut jam ab aliis feliciter compoſitas, non noſtras fecimus: qvas ex his attigimus, ubi ſeu motas, ſeu diremtas legere poſſis, annotaſſe, jam ſufficere perſvaſi. Græcorum autorum loca, rariſſimè qvidem Græcè; at ſemper interpretis (ut vel ex ejus fama, qvid de interpretatione ſtatuendum, Lector aliqvo modo certior fieret) addito nomine adduximus. Nam ſine interpretatione verba Græca proferre, non intelligentibus, & moleſtum, nec utile fuiſſet: cum interpretatione autem toties allegare, multis partibus majorem huic operi molem (qvam non nimium excreſcere, par videbatur) attuliſſet. Omnes autores, qvos ad componendũ hunc librum qvocunq; nomine adhibuimus, oculis noſtris ſubjecimus. Qvod dum fecimus, qvot qvantosq; magnorum etiam virorum lapſus vidimus! Alios nominum ſimilitudo fefellit, alios temporum non ſatis habita cura ſecuros errorum reddidit, alios aliud à vero abduxit. Hinc plurima teſtimonia, qvibus alii gaudent, tanqvam nulla, prorſus à nobis omiſſa deprehendas. Qvemadmodum verò, qvicqvid affirmavimus, qvicqvid negavimus, ſi vel ſolidis rationibus, vel idoneis teſtibus, vel etiam utrisq; ſtabilitum daremus, ſatis habuimus: ſic à plerorumq; nævis detegendis abſtinere maluimus. Qvin eos, & omnes, & ubiq; in medium producere, cum operoſum erat, tum etiam, cum multi ex ſola collatione hujus libri cum aliorum ſcriptis facile pateant, ſupervacuum videbatur.

Major ut Opuſculo noſtro conſtet utilitas, qvinqve Indicicibus augendum cenſuimus.

Primus omnes Romanarum rerum Scriptores, de qvibus in hoc libro agitur, addita pleriſq; patria, ſecundum Alphabeti ſeriem repræſentat: ita compoſitus, ut ſimul toti libro, ſimul duobus ſeqventibus (ſecundo & tertio) Indicibus ſerviat. Nam, ut exemplo id declaremus, qvando vixerit, qvid ſcripſerit Zoſimus, ſive in Libro, ſive per ejuſdem Indices cognoſcere cupias, monſtrat, ubi reperias, dum de hoc Scriptore, in prioris partis capite XXXVI agi docet: qvod caput in ſecundo qvidē ætatē, in tertio autem Indice ſcripta, eorumq; tam initium, qvam finem oſtendit.

Secundus omnes Romanarum rerum Scriptores, qvos hujus libri pars prior continet, ſecundum ultima tempora, qvibus eos vixiſſe, citra controverſiam eſt: qvos autem poſterior pars recenſet, tantum eo ordine, qvô de iiſdem agitur, locatos exhibet. Hic, qvamvis omnes eodem prorſus ordine, qvô de iiſdem utraq; libri pars agit, complectatur, non tamen ſupervacuus nobis viſus eſt. Etenim Scriptores omnes per univerſum librum ſe invicem excipientes, paucis paginis conjunctos offert, duplici officio utilis; ut omnium, qvorum cognita qvidem ſunt, tempora, tum brevi atq; facili negotio perſpecturis & inter ſe collaturis, exponat; tum ſæpius oculis uſurpatus, animo vehementius imprimat, qvam ipſe liber, qvanqvam toties à ſummo ad imum perlectus, imprimere poſſit.

Tertius de Romanis rebus Scripta, qvibus addi potuit, addito, unde incipiant, ubi deſinant, ad ordinem, qvo de autoribus agitur, accommodata comprehendit. Cujus hic uſus eſſe poteſt, ut non modò intra exiguum tempus omnia, & ſuo ordine perluſtrari, & inter ſe componi qveant: ſed etiam omniū, qvibus adjungi potuit, & initium, & finis cum ſtatim, tum evidenter innoteſcat.

Qvartus tripartitus, de Romanis rebus Scripta, ſed alio, tum ordine, tum fine ſiſtit: ei maximè, cui de una eademq; materia, vel plures, vel omnes Scriptores legere propoſitum ſit, (ſive, qvomo-

do veteres à recentioribus intelligantur, emendentur, explicentur, videre; ſeu, in qvibus conveniant, in qvibus item diſcrepent, notare; ſeu alia de cauſa inter ſe invicem conferre cogitet) utilis. Primum ejus membrum Scripta, qvorum initium & finis ad certos annos referri potuit, annorum ordine locata proponit. Cujus utilitatem exempla oſtendant. Res ante Romam conditam, id eſt, Romanæ gentis originem, cogniturus, in hac Indicis parte Scriptores, qvi ante Urbem conditam hiſtorias ſuas incipiunt, qværat. Cui Romanorum geſta poſt Domitianum, in cujus exceſſu C. Svetonius Tranqvillus de Cæſaribus libros ſuos terminat, percurrere voluptas ſit; de anno Urbis DCCC. XLVII, Chriſti XCV, qvo imperator ille contrucidatus eſt, certus, autores ſcripta ſua, tum incipientes, tum finientes, infra hunc annum annotatos conſulat. Qvin eadem Indicis pars, qvamcunq; rem ſingularem inqviſituris erit opportuna. Qvalem Julianus Imperator exitum habuerit, de autoribus, apud qvos legatur, ſolicitus; notato Urbis M. C. XV, Chriſti CCC. LXIII, anno, qvô dictus Imperator periit; facile animadvertet, in Scriptoribus hunc annum ſiniſtro latere, id eſt, inter eos, qvi codices ſuos claudunt, (niſi forte, nec ſuo loco, & obiter memoraverint) præcedentibus fruſtra qværi: contra verò in autoribus hunc annum, eodem latere, ſubſeqventibus, (inter qvos Eutropius, Marcellinus, Victor, Zoſimus reperitur) inveniendi ſpem eſſe. Alterum hujus Indicis membrũ, de Romanis rebus ſcripta, ſecundũ materias, qvas ſub certos titulos redegimus, ſic locata continet, ut ſingulis ſub titulis idem argumentũ tractantia conjungat; in univerſum monſtret, unde multiplex variarum rerum ad fuſiorem antiqvitatis Romanæ cognitionem pertinentium ſupellex petenda veniat. Ultimum membrum, de Romanorum rebus ſcripta, qvatenus & aliarum gentium res commemorant, ſuo ordine complectitur: in eorum gratiam conſcriptum, qvi vel Romanorum cum uno populo, vel unius populi cum Romanis geſta, ex monumentis ſeorſim de tali materia exſtantibus, percipere gaudeant.

Qvintus idemq; ultimus Index autores in hoc libro, partim, qvod Romanarum rerum Scriptores in aliud ſermonis genus verterint, emendaverint, explicuerint, publicaverint, de iiſdem judicia tulerint; partim aliis de cauſis allegatos, repræſentat. Cujus generis Indices cum in plurimis eruditorum virorum libris occurrant, noſtri, cum per ſe patentem, tum aliunde ſatis elucentem uſum utilitatemq; Lectoribus demonſtrare nihil opus eſt.

Tot tantisq; curis, qvibus in hoc volumine ſumus defuncti, anteqvum ſubjecimus animum; ne actum ageremus, diu multumq; ſoliciti, omnia ſimilis argumenti publica monumẽta, qvorum potiri nobis licuit, perluſtravimus: de cæteris autem, ut aliunde cognoſceremus, qvid continerent, & qvô pacto expedirent, operā dedimus. At neminem reperire fuit, qvi hanc materiam vel eadem ratione, vel non ita multis conditionibus diſcrepante modo elaboratam dederit. Non jam longâ ſerie Scriptores, qvi de Hiſtoricis agunt, recenſebimus, nec, qvantum à noſtro ſyſtemate abeant, addemus. Inter omnes cum GERARDUS JOANNES VOSSIUS, ille, cum in aliis, tum maximè in humaniorum litterarum ſtudiis, in qvibus neminem ſuperiorem habet, excellentiſſimus vir, emineat; præcipua, qvæ ab ejus præclaris libris, qvos de Hiſtoricis Græcis & Latinis ſcripſit, noſter libellus diverſa contineat, operæ pretium erat, in horum gratiam, qvi famâ, non lectione, illos habent cognitos, in mediũ proferre. At enim, cũ hoc tãtâ circũſpectiõe vix à nobis fieri qveat, ne, qvaſi de prerogativa certantes, laudati viri gloriæ, qvã ab ingenio, judicio, eruditione, induſtria, inter omnes doctos conſecutꝰ eſt, detrahere, contra noſtræ laudi ſervire, ſeu imperitioribꝰ, ſeu maligniorибꝰ cenſoribus videamur; omnem differentiam (qvæ diligentioribus qvidem Lectoribus ultrò & per ſe poſſit innoteſcere) ſilentio præteribimus. Hoc tamen addimus; non eſſe, ut in illis geminis Operibus omnes, qvi argumentum hiſtoricum ſcriptis ſuis delegerunt, inveniri putes. Nam, ut nihil de antiqvioribus dicamus, qvorum multos prætermittit: ſuperioris qvam pauciſſimos, nullum præſentis

ſæculi

ſæculi attingit, difficiliorumq; temporum Scriptores memoraſſe contentus, in extremis Imperatoris Maximiliani I annis (cujus exceſſus in annum M. D. XIX, incidit) ſubſiſtit. In noſtro Opuſculo Romanarum rerum qvinqvaginta Scriptores, de qvibus nihil in illis Voſſii codicibus, (niſi forte obiter aliqvid alicubi, nec id tamen majoris momenti) reperias. Cæterum non diffitemur, nos incomparabili huic viro non pauca debere. Qvô tamen aliisq; ſic utimur, ut, qvicqvid illorum eſt, cum in noſtrum transferimus ſcriptum, nunqvam autores diſſimulemus.

Qvam hoc libro mercedem, non ſpectamus, ſed qværimus, commodum publicum eſt, maximè juventutis. Nihil ad ingenii, judicii, eruditionis oſtentationem: ad conſcientiam omnia referimus: recteq; facti, non ex aliorum ſermonibus præmium, ſed ex facto petimus. Neq; opuſculo huic, in qvô autoris diligentia dominatur, talis materia eſt, ut qvisqvam ex ea ſingularis ſolertiæ, acuminis, & ſcientiæ gloriam, inter ſeveriores ſapientioresq; litterarum cenſores, niſi parum idoneus veri æſtimator ipſe fuerit, ſperare poſſit. Satis habebimus, hunc librum non nullis Lectoribus Romanarum rerum cum cura perqvirendarum cognoſcendarumq; cupidis, ſimul genuinos fontes, ſimul rivos, eosq; tum puriores, aurum vehentes, tum depravatos, lutum admiſcentes, id eſt, veteres & novos; optimos, mediocres, malos Scriptores, in multiplices utilitates monſtraſſe. Qvæ cum partim ex dictis ſint manifeſtæ, partim ex facili ſagacioribus intelligantur, non eſt, ut hoc loco diffuſior earum explicatio â nobis exſpectetur. In iis non poſtrema fuerit, ne qvis antiqvarum rerum in hiſtoria Romana veritatem, aut multò recentiorum, aut etiam planè ſuppoſititiorum ſcriptorum autoritate firmando, eruditioribus, ſeu bilem, ſeu pulmonem commoveat, adeoq; vel opprobrium, vel ludibrium debeat.

Qvemadmodum verò nihil mortales ab omni parte conſummatum, nec habent, nec faciunt: nec inter homines, præter unum, ab hominibus qvidem, ſed virtutis divinæ conſcientiam ſentientibus conſignatum, exſtat liber, qvi nullius erroris poſtulari debeat, nullius convinci poſſit: ſic nobiſcum habitantes, abſit, ut noſtrum omnes numeros implere ſtatuamus. Qvin paſſim ipſi notavimus, ubi curas ſecundas admittat, ubi deſideret. Eas peculiari Supplemento, qvod his Romanarum rerum Scriptoribus, cum Deo optimo maximo, inpoſterum addere no-

nobiſcum

biſcum conſtituimus, annectendas reſervamus. Hoc Catone in præſens contentis, plures ſimilis materiæ codices, ad qvos elaborandos ab Amicis nonnullis impellimur, exſpectantibus advenientia tempora forte ſatisfacient. Nam, ut ſimpliciter, qvod res eſt, dicam: eqvidem, non tantum de Byzantinis ſive Conſtantinopolitanis, Turcicis, Germanicis, Polonicis, Bohemicis, aliorumq; populorum, qvatenus eorum memorabilia ſeorſim habemus deſcripta: ſed etiam de plurium gentium inter ſe connexis; maximè autem de Eccleſiaſticis rebus Scriptores (ſolitariis libris deſtinatos) in MStis adverſariis meis collectos habeo. Sed cum multa conſiliis exſeqvendis ſe opponere ſoleant, non modò qveant; &, qvos indicavimus, librorum omnium perfectio durabiliores animi corporisq; vires, liberalius otium, Bibliothecas inſtructiores ſibi depoſcat, qvam ut mihi, vel poſſim, vel debeam polliceri: de futura publicatione in ſpes firmas neminem vocare audeo. Neq; parum me commovet, antiqvitatis & hiſtoriarum ſtudium paucos æſtimatores æqvos, pauciſſimos, induſtriæ qvidem intentioris, cultores habere, multo plures habere digniſſimum: cujus utilitas, ſi cum aliorum fructu comparetur, qvamvis non ad ſuprema qvæq; tranſcendat, omnium tamen latiſſimè pateat. Nihil enim reliqvis ademtum ſtudiis, ſupra meritum noſtro addere ſuſtineo, qvô ſubtiliora, ſed & utiliora inveniri, nullus diffiteor. Nam eſſe, qvæ ingenium magis exerceant, celſius animum, & ſupra ſeipſum, extollant; nos æternarum rerum beatiſſimæ contemplationi, aut immiſceant, aut magis præparent, qvis neget? Hanc ut omnibus artibus, ſcientiis omnibus antepono: ſic, qvos ad futuram immortalitatem Chriſtianis exoptabilem memoria præſentis mortalitatis omnia jubet referre, in mortalium cœtu eqvidem eruditiſſimos habeo. Unum â qvô univerſa pendent, & ſummum, & optimum eſt. Ad hoc, qvò humanæ curæ propius accedunt, eò diviniores, id eſt, eò ſublimiores, eò meliores ſunt. Scribebam Vratislaviæ, III. Januarii, M. DC, LXIX.

LIBRI

LIBRI DE ROMANARUM RERUM SCRIPTORIBUS

PARS PRIOR,

De iis, qvorum tempora ſunt cognita.

CAPUT I.

QVINTUS FABIUS PICTOR.

ARTICULUS I.

Q. Fabii Pictoris Vita.

I.

FAbiorum illuſtris apud Romanos familia, unde cognomen Pictorum acceperit, Plinius docet lib. XXXV, hiſtoriæ naturalis, cap. IV, de picturis: *Apud Romanos qvoq; honos maturè huic arti contigit. Siqvidem cognomina ex eo Pictorum traxerunt Fabii clariſſimæ gentis: princepsq; ejus cognominis ipſe ædem Salutis pinxit anno Urbis conditæ CCCCL: qvæ pictura duravit ad noſtram memoriam, æde Claudii principatu exuſta.*

II. Ex his Fabiis Pictoribus Qvintus hiſtoriæ, aut omnem, aut magnam partem Romanæ, libros compoſuit. Dionyſius Halicarnasſenſis lib. 1, antiqvitatum Romanarum, cap. LXXX, interprete Sigismundo Gelenio: *De natis ex Ilia pueris Q. Fabius Pictor, eumq́ʒ ſecuti Lucius Cincius, Porcius Cato, & Calpurnius Piſo, aliiq́ʒ ſcriptores complures ſic tradunt.* Et cap. VI, cum præter Q. Fabium, L. Cincium inter eos, qvi res urbis Romæ antiqvas ſcripſerunt, retulisſet: *Horum uterqʒ ea, qvibus ipſe interfuit, ut probè ſibi cognita, diligenter mandavit litteris: qvæ verò olim poſt Romam conditam deinceps conſecuta ſunt, contentus fuit ſummatim percurrere.* Videatur idem lib. VII, cap. LXV, extremo. Livius lib. I, cap. XLIV, de Romanorum cenſu, qvem Rex Servius Tullius inſtituit, locutus: *Millia LXXX eo luſtro civium cenſa dicuntur. Adjicit Scriptorum antiqviſſimus Fabius Pictor, eorum, qvi ferre arma posſent, eum numerum fuiſſe.* Eidem Fabius cap. LV, ubi de ſumtibus in templi Capitolini ſtructuram; & lib. II, cap. XL, ubi de Marcii Coriolani morte agit, laudatur.

III. Qvô tempore vixerit, ſunt, qvi ſatis evidenter indicant. Eutropius Sophiſta lib. III, cap. V: *L. Æmilio Conſule, ingentes Gallorum copiæ Alpes tranſierunt, ſed pro Romanis tota Italia conſenſit, traditumq́ʒ eſt Fabio Hiſtorico, qvi ei bello interfuit, DCCC millia hominum parata ad bellum fuiſſe: Sed res per Conſulem tantùm proſperè geſta eſt: XL millia hoſtium interfecta ſunt, & triumphus Æmilio decretus.* Unde Fabium, anno Urbis 528, Mundi 3725, ante Chriſti nativitatem 223, qvô L. Æmilius Papus, & C. Atilius Regulus Coss. fuerunt, armis pro Patriâ certâſſe, cognoſcimus. Dionyſius lib. I, cap. VI: *Nec abſimiles hiſtorias ediderunt, qvotqvot Romani homines urbis ſuæ res antiqvas Græco ſermone ſcripſerunt: qvorum vetuſtiſſimi Q. Fabius, L. Cincius, ambo æqvales Punicis bellis. Horum uterqʒ ea, qvibus ipſe interfuit, ut probè ſibi cognita, diligenter mandavit litteris.* Hæc paucis annis recentiorem ætatem Fabio tribuunt. Nam ſive prioribus duobus, ſeu duobus poſterioribus bellis Punicis æqvalem ſtatuas; cum ex his bellis ſecundum gereretur, vixisſe concesſeris. Hoc autem geri cœpit anno Urbis 534, qvi eſt Orbis 3731, ante C. N. 217.

IV. Qvin

IV. Qvin bello Punico ſecundo claruiſſe Fabium, Polybius luculenter exponit, ubi de cauſis ejusdem belli agit. Cùm enim lib. III, cap. VIII, interprete Iſaaco Caſaubono, dixiſſet: *Fabius ſcriptor Romanus ait, cauſam bello Hannibalis præbuiſſe, non tantum injuriam Saguntinis illatam: ſed etiam Asdrubalis avaritiam, & dominandi cupiditatem:* eamqve ſententiam in ſeqventibus reprehendisſet, ſubjicit cap. IX: *Reperiuntur, qvi ad narrantem potiùs, qvàm illa, qvæ narrantur, animum advertentes; cum illis temporibus autorem ſciant vixiſſe, & Romanum Senatorem fuiſſe; qvicqvid ab eo edictum eſt, pro fide digno protinus arripiunt.* Cum qvô planè conſentit Livius lib. XXII, cap. VII, ſcribens: *Hæc eſt nobilis ad Thraſymenum pugna, atq; inter paucas memorata populi Romani clades.* Ibidem poſt pauca: *Multiplex cædes utrinq; facta traditur ab aliis. Ego, præterqvam qvod nihil hauſtum ex vano velim, qvò nimis inclinant fermè ſcribentium animi, Fabium æqvalem temporibus hujusce belli potiſſimum autorem habui.* Hæc enim ad Thraſymenum lacum pugna, in qvâ C. Flaminius Conſul, ab Hannibale victus, periit, anno belli Punici ſecundi tertio, qvi eſt Urbis 536, Mundi 3733, ante C. N. 215, accidit.

V. Neqve dubitandum, qvin eundem Fabium intelligat Livius lib. XXII. cap. LVII. *Q. Fabius Pictor Delphos ad Oraculum misſus eſt, ſciſcitatum, qvibus precibus ſuppliciisq; Deos posſent placare.* Et lib. XXIII, cap. XI: *Q. Fabius Pictor à Delphis Romam rediit, reſponſumq; ex ſcripto recitavit.* Qvibus ibidem ſubjungit: *Dum hæc Romæ atq; in Italia geruntur, nuncius victoriæ ad Cannas Carthaginem venit.* Conveniunt tempora, cùm prælium Cannenſe, L. Æmilio Paulo, & C. Terentio Varrone Coss. habitum, in annum Urbis 537, qvi eſt belli Punici ſecundi qvartus, Mundi 3734, ante C. N. 214, incidat. Sed & hoc ipſum Appianus confirmat in Hannibalicis, ubi, cum Romanorum cladem Cannenſem deſcripſisſet, addit, Franciſco Beraldo interprete: *Senatus Q. Fabium, qvi & ipſe harum rerum hiſtoriam conſcripſit, Delphos ad Oraculum miſit ſciſcitaturum de præſenti rerum ſtatu.*

ARTICULUS II.
Q. Fabii Pictoris Scripta.

I. Q. Fabius Pictor, de qvô agimus, ſicut Dionyſius lib. I, antiqvitatum, cap. VI, refert, Græca lingvâ; ſi fuerit idem cum eô, cujus Cicero lib. I, de legibus, cap. II, & lib. II, de Oratore, cap. XII, mentionem facit, etiam Latinâ, Romanas hiſtorias ſcripſit.

II. Hodiè Fabii Pictoris ex libris perditis Latina qvædam fragmenta reperiuntur. Ea collegerunt, Antonius Riccobonus, cujus de hiſtoria libro, qvi Baſileæ M. D. LXXIX, in 8. editus eſt; item Livio, qvi Francofurti ad Mœnum M. DC. XXVIII, in f. prodiit, ſubjecta ſunt: & Antonius Auguſtinus, qvæ cum Hiſtoricorum aliorum fragmentis Fulvius Urſinus Antverpiæ M. D. XCV, in 8. publicavit.

III. Præterea Q. Fabii Pictoris libellos duos Latinos habemus; alterum de aureo ſæculo, ſeu Italiæ rebus ante Romam conditam; alterum de Romanæ urbis origine. Primus eos Joannes Annius, patriâ Viterbienſis, ordinis Prædicatorum, Theologiæ Profeſſor emiſit. Prior libellus à Jano, Aboriginum Rege, cujus in Italiam adventus ad annum ante Romam conditam 577, Mundi 2621, ante C. N. 1327, refertur, incipit: poſterior in pace inter Romulum, Romanorum, & Titum Tatium, Sabinorum Regem (Sabinis cum Rege intra Urbem receptis) inita, id eſt, in anno Urbis 8, Mundi 3205, ante C. N. 743, deſinit: niſi qvod non nulla de collibus, templis aliisqve rebus Romanis habet addita. Utrumq; commentariis idem Annius illuſtravit.

IV. Prodierunt, inter alios ſcriptores, cum ipſius qvidem Annii commentariis, Romæ M. CCCC. XCVIII, in f: Pariſiis, M. D. XV, in f: Wittebergæ M. DC. XII, in 8: Absqve commentariis, Baſileæ M. D. XXX, in 4: Heidelbergæ M. D. XCIX, in 8: Onuphrii Panvinii de Rep. Romana commentariis ſubjuncti, Pariſiis M. D. LXXXVIII, in 8: & inter antiqvæ hiſtoriæ autores, qvos Dionyſius Gothofredus edidit, Lugduni M. D. XCI, in 16.

ARTI-

ARTICULUS III.

Judicia de Q. Fabii Pictoris duobus libellis, qvos primus omnium Joannes Annius edidit.

I. Joannes Ludovicus Vives de tradendis diſciplinis lib. V: *Libellus circumfertur Beroſi Babylonii titulo, ſed commentum eſt, qvod indoctis & otioſis hominibus mirè allubeſcit: cujusmodi ſunt Xenophontis æqvivoca, tum Archilochi, Catonis, Sempronii & Fabii Pictoris fragmenta, qvæ eodē ſunt libro ab Annio Viterbienſi conferruminata, commentisq́; reddita magis ridicula: non, qvin inſint qvædam in illis vera, nam alioqvin frontem non haberet narratio, ſed ipſum hiſtoriæ corpus commentitium eſt, nec illius, cujus titulum mentitur.*

II. Leander Albertus in Italia, ubi de Viterbo, Tuſciæ oppido agit; Guilielmo Kyriandro interprete: *Joannes Annius reliqvit commentationes in Catonem, Fabium Pictorem, Myrſilum Lesbium, Archilochum de temporibus, Xenophontis æqvivoca, Philonem Judæum, Metaſthenem Perſam, Beroſum Chaldæum, cum aliis ſcriptis; qvæ profectò omnia virum eum maximi ac ſolertis ingenii fuisſe teſtantur: qvanqvam non deſint, qvi fragmenta Catonis, aliosq́; tales libros eum confinxisſe calumnientur. Qvippe qvoniam ipſis illorum autorum ſcripta viſa non fuere: mihi verò primis etiam annis cognita.*

III. Georgius Fabricius de Roma cap. I: *Urbem Romam etſi plures olim litteris monumentisq́; celebrarunt, nihil tamen ſcriptorum veterum relictum fuit, præter Fabii Pictoris & C. Sempronii de origine Urbis fragmenta: de qvibus meritò dubitatur.*

IV. Antonius Poſſevinus in Apparatu ad omnium gentium hiſtoriam, ſect. IV, cap. I: *Idem intelligendum eſt de Fabio Pictore, de Porcii Catonis originibus, de Myrſilo Lesbio, de C. Sempronio, de Xenophonte, de Archilocho, qvibus libelli falsò tribuuntur: cum nulli tales veri ac legitimi exſtent: poſt tempus autem Euſebii usq; ad Annium iſtum fuerint ignoti. Qvamobrem & ii pro nihilo habendi ſunt, ut bonæ horæ in veris Hiſtoricis ponendæ ſint utiliùs.*

V. Philippus Cluverius lib. II, Italiæ antiqvæ, cap. III: *Bero-*

ſi, Manethonis, Xenophontis, Fabii Pictoris, M. Catonis, aliorumq; veterum ſcriptorum, qvæ uno volumine comprehenſa circumferuntur fragmenta, ab Annio Viterbienſi eſſe omnia flagitioſum in modum conficta, jam vulgo pueris in ſcholis notum eſt.

VI. Caſpar Barthius lib. L, Adverſariorum, cap. IX: *Fabii Pictoris nomine à Joanne Annio libellus publicatus eſt, de qvo alibi plura dicemus, ſuppoſititius haud dubiè ſibi ipſi. Qvare Gaſperis Varrerii in Beroſum cenſura etiam in hunc inſeſſorem alieni nominis meritò extendatur.*

VII. Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. III, extremo: *Annius Viterbienſis libellos duos non magnæ rei, unum de aureo ſæculo, alterum de origine urbis Romæ ac vocabulorum ejus, qvos ipſe commentus erat, pro genuinis Fabii Pictoris divulgavit: dignisſimus profectò, ut fœno ſemper veſceretur, qvi de cæteris malignè adeò ſenſerit, ut eos putaret, velut Arcadiæ pecuaria, inter mellita Fabii bellaria, & mucidum Annii fœnum, diſtingvere non poſſe.*

VIII. Videatur de iisdem Pictoris libellis judicium C. Barthii, qvod capitis ſubſeqventis art. III, §. III, adducitur.

CAPUT II.
MARCUS PORCIUS CATO.
ARTICULUS I.
M. Porcii Catonis Vita.

I.

M. Porcius Cato Cenſorius, qvô tempore ſit in lucem editus, ipſe apud Ciceronem de Senectute cap. IV, his verbis, qvemadmodum in melioribus codicibus leguntur, indicat: *Anno poſt,* (Q. Fabius Maximus) *Conſul primùm fuerat, qvàm ego natus ſum.* Unde cognoſcimus, L. Poſthumio Albino, Sp. Carvilio Maximo Coss. anno Urbis 519, Mundi 3716, ante C. N. 232, natum eſſe. Cum qvô planè convenit, qvod idem Cato ibidem cap. V, de Ennio locutus, ſubjicit: *Ille Cæpione & Philippo iterum Conſulibus, mortuus eſt: cum ego qvidem V. & LX. annos natus, legem Voconiam voce magna & bonis lateribus*

ribus ſvaſiſſem. Nam hic Cæpionis & Philippi conſulatus, cum in annum Urbis 584 incidat, 65 annis à 519 anno diſtat.

II. Patria Tuſculanus, civitate Romanus fuit. Tullius lib. II, de legibus cap. II: *Sapienti illi Catoni fuit patria, non Roma, ſed Tuſculum. Ego me hercule & illi, & omnibus municipibus duas eſſe cenſeo patrias: unam naturæ, alteram civitatis: ut ille Cato, cum eſſet Tuſculi natus, in populi Romani civitatem ſuſceptus eſt. Itaq; cum ortu Tuſculanus eſſet, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris.* Idem tradunt Cornelius Nepos in Catone cap. I, §. I: Valerius Maximus lib. III, cap. IV, §. 6: Plutarchus in Catone majore: Sextus Aurelius Victor de Viris illuſtribus urbis Romæ cap. XLVII. Qvod Claudius apud Tacitum lib. XI, annalium, cap. XXIV, §. 3, reſpicit.

III. Primum ſtipendium Q. Fabio Maximo qvartum, & M. Claudio Marcello tertium conſulatum gerentibus, anno Urbis 539, Mundi 3736, ante C. N. 212, adverſus Hannibalem, meruit. Ipſe apud Ciceronem de Senectute cap. IV: *Cum eo* (Q. Fabio) *qvartum conſule adoleſcentulus miles profectus ſum ad Capuam.* Nepos in Catone cap. I, §. 2, tum ſeptendecim annorum Catonem fuisſe commemorat, qvi jam annum decimum nonum, aut agebat, aut exceſſerat, ſi iis, qvæ ſuprà §. I, diximus, inſiſtas. Sub eodem Fabio, qvintum Conſule, ad Tarentum militavit anno Urbis 544: ſicut ex Ciceronis de Senectute cap. IV, & XII: item Plutarchi Catone majore liqvet.

IV. Anno Urbis 545, Mundi 3742, ante C. N. 206, qvô M. Claudius Marcellus qvintum conſulatum gesſit, Tribunus militum in Sicilia fuit: ut Nepos in Catone cap. I, §. 2: Victor de viris illuſtribus cap. XLVII, innuunt. Subſeqvente anno, qvi C. Claudium Neronem Conſulem habuit, qvid egerit Cato, Nepos ibidem narrat his verbis: *Inde ut rediit, caſtra ſecutus eſt C. Claudii Neronis, magniq; ejus opera æſtimata eſt in prælio apud Senam, qvô cecidit Hasdrubal frater Hannibalis.* Poſt hæc, & Qvæſturam, & Ædilitatem, & Præturam gesſit. De qvibus videantur, Cicero de Senectute cap. IV, & X: idem in Bruto cap. XV: Nepos in Catone cap. I, §. 3: Livius lib. XXXII, cap. VII: Plutarchus in Catone majore: Victor de viris illuſtribus cap. XLVII.

V. Conſulatum, anno Urbis 558, Mundi 3755, ante C. N. 193, cum L. Valerio Flacco gesſit, rebellantemq; Hiſpaniam citeriorem armis

ad

ad obſeqvium revocavit. Hæc paucis tangunt, Cicero de Senectute cap. X: Nepos in Catone cap. I, §. 1: & cap. II, §. 1: Florus lib. II, cap. XVII, §. 9: Valerius Maximus lib. IV, cap. III, §. 11: Frontinus lib. I, cap. I, exemplo I: & lib. IV, cap. VII, exemplo XXXI: Victor de viris illuſtribus cap. XLVII: fuſiùs narrant, Livius lib. XXXIV, cap. VIII, & ſeqventibus: Plutarchus in Catone majore. Proconſul ex Hiſpania triumphavit anno Urbis 559: cujus triumphi mentionem faciunt, Nepos in Catone cap. II, §. 1: Livius lib. XXXIV, cap. XLV: Plinius lib. XIV, cap. IV, & XIII.

VI. Anno Urbis 562, Mundi 3764, ante C. N. 184, M. Acilii Glabrionis Conſulis, in bello adverſus Antiochum Syriæ Regem, in Græciâ Legatus fuit. Tribunum fuisſe, ſcribit Cicero de Senectute cap. X: ubi ſic introducit loqventem: *Tribunus militaris depugnavi apud Thermopylas, M. Acilio Glabrione Conſule.* Livio, cujus vero ſimilior eſt ſententia, Legatus audit lib. XXXVI, cap. XVII: *Conſul* (Acilius) *poſteaqvam inſeſſa ſuperiora loca ab Ætolis vidit, M. Porcium Catonem & L. Valerium Flaccum Conſulares Legatos, cum binis millibus delectorum peditum ad caſtella Ætolorum mittit.*

VII. P. Claudio Pulcro, L Porcio Licinio Coss. anno Urbis 569, Mundi 3771, ante C. N. 177, cum L. Valerio Flacco, cujus in conſulatu collega fuerat, Cenſor creatus eſt. Tullius in Bruto cap. XV: *Plautus P. Claudio, L. Porcio, viginti annis, poſt illos, qvos dixi, conſules mortuus eſt, Catone Cenſore.* Nepos in Catone cap. I, §. 1: *Hortatu L. Valerii Flacci, qvem in conſulatu cenſuraq; habuit collegam, Romam demigravit.* Et cap. II, §. 3: *Cato Cenſor cum eodem Flacco factus, ſeverè præfuit ei poteſtati.* Qvam in L. Qvintium Flamininum Senatorem exercuerit ſeveritatem, apud Ciceronem de Senectute cap. XII, ipſe commemorat his verbis: *Invitus qvidem feci, ut fortisſimi viri T. Flaminini fratrem L. Flamininum è Senatu ejicerem, ſeptem annis poſt, qvam Conſul fuisſet: ſed notandam putavi libidinem. Ille enim, cùm eſſet Conſul in Gallia, exoratus in convivio à ſcorto eſt, ut ſecuri feriret aliqvem eorum, qvi in vinculis eſſent damnati rei capitalis. Hic Tito fratre ſuo Cenſore (qvi proximus ante me fuerat) elapſus eſt: mihi verò & Flacco neutiqvam probari potuit tam flagitioſa & tam perdita libido, qva cum probro privato conjungeret imperii decus.* Idem Flaminini

Cato-

Catoniſq; factum exponunt Livius lib. XXXIX, cap. XLII, & XLIII: Valerius Maximus lib. II, cap. IX, §. III: Plutarchus in Catonis majoris & T. Q. Flaminini vita: Victor de viris illuſtribus cap. XLVII. In hunc alioſq; ſeverus cenſor, in eum tamen ſeverior fuit, cui, qvòd uxori, ſpectante filia, dediſſet oſculum, Senatoriam dignitatem ademit. Id ipſum Plutarchus in noſtri Catonis vita, ſed & in conjugalibus præceptis cap. V, refert.

VIII. Senex, integris animi corporiſq; viribus, orationes ſumma contentione recitavit. Livius lib. XXXIX, cap. XL: *In patientia laboris periculiq;, ferrei prope corporis animiq;: qvem ne ſenectus qvidem, qvæ ſolvit omnia, fregerit.* Valerius Maximus lib. VIII, cap. VII, §. I: inter alia de Catone jam ſenectutis extremæ: *Ab inimicis capitali crimine accuſatus, ſuam cauſam egit. Neq; aut memoriam ejus qvisqvam tardiorem, aut firmitatem lateris ulla ex parte qvasſatam, aut os hæſitatione impeditum animadvertit.* Videantur, Cicero de Senectute cap. X: idem in Bruto cap. XX: Plutarchus in libro, num ſeni gerenda ſit Resp. cap. V.

IX. Græcas litteras ſenex didicit: & jam octoginta natus annos filium genuit. Illud Cicero lib. IV, Academicarum qvæſtionum, cap. II: idem de Senectute cap. VIII: Valerius Maximus lib. VIII, cap. VII, §. I: hoc Plinius lib. VII, cap. XIV: Plutarchus in Catone majore: Gellius lib. XIII, cap. XVIII: Victor de viris illuſtribus cap. XLVII, memoriæ prodiderunt.

X. Laudes Catonis varias exponunt Cicero de Amicitia cap. II: oratione in Q. Cæcilium cap. XXI: lib. V, in Verrem, cap. LXX: de Senectute cap. II: in Bruto cap. XVII: Nepos in Catone cap. III, §. I, & II: Livius lib. XXXIX, cap. XL: Plinius lib. VII, cap. XXVII: & lib. XIV, cap. IV: Valerius Maximus lib. III, cap. IV, §. VI.

XI. De ipſius ætate non inter omnes ſcriptores convenit. Valerius Maximus lib. VIII, cap. VII, §. I: *Cato ſextum & octogeſimum annum agens, dum in rep. tuenda juvenili animo perſtat; ab inimicis capitali crimine accuſatus, ſuam cauſam egit.* Livius lib. XXXIX, cap. XL: *Ferrei prope corporis animiq;: qvem ne ſenectus qvidem, qvæ ſolvit omnia fregerit: qvi ſextum & octogeſimum annum agens cauſam dixerit, ipſe pro ſe oraverit, ſcripſeritq;; nonageſimo anno Servium Galbam*

ad populi addaxerit judicium. Contrà Tullius in Bruto cap. xv: *Hunc Cethegum conſecutus eſt ætate Cato, qvi annis IX, poſt eum, fuit Conſul. Eum nos ut perveterem habemus, qvi L. Marcio, M. Manilio Coss. mortuus eſt, annis LXXXIII ipſis ante me Conſulem.* Et cap. xx: *L. Paulus Africani Pater, perſonam principis civis facilè dicendo tuebatur: at verò etiam tum Catone vivo, qvi annos qvinq; & octoginta natus exceſſit è vita.* Cui Vellejus Paterculus calculum ſuum addit lib. I, cap. xiii: *Ante triennium, qvàm Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendæ ejus autor, L. Cenſorino & M. Manilio Coss. mortem obiit.* Et Plinius lib. xxix, cap. I: *Atq; hic Cato DCV anno Urbis noſtræ obiit, LXXXV ſuo:* niſi qvod L. Marcii Cenſorini & M. Manilii Conſulatus qvibusdam ſcriptoribus ad annum Urbis 604, refertur, qvi eſt belli Punici tertii primus, ante Carthaginem deletam tertius, Mundi 3801, ante C. N. 147.

Articulus II.
M. Porcii Catonis Scripta.

I. M. Porcium Catonem hiſtoricum opus, qvod Origines nominavit, Romanâ lingvâ compoſuisſe, cognoſcimus ex Dionyſii Halicarnasſenſis lib. I, antiqvitatum, cap. xi: & A. Gellii, cui ſæpisſimè laudatur, lib. I, cap. xvi: lib. II, cap. xix: lib. III, cap. vii, aliisq; locis. Harum Originum argumentum Cornelius Nepos explicat in Catonis vita cap. III: *Senex,* inqvit, *ſcribere hiſtorias inſtituit, qvarum ſunt libri ſeptem. Primus continet res geſtas Regum populi Romani: ſecundus & tertius, unde qvæq; civitas orta ſit Italica. Ob qvam rem omnes ORIGINES videtur appellâsſe. In qvarto autem bellum Punicum primum: in qvinto ſecundum. Atq; hæc omnia capitulatim ſunt dicta. Reliqvaq; bella pari modo perſecutus eſt, usq; ad Præturam Servii Galbæ, qvi diripuit Luſitanos. Atq; horum bellorum duces non nominavit, ſed ſine nominibus res notavit. In iisdem expoſuit, qvæ in Italia Hiſpaniisq; viderentur admiranda.*

II. Earundem Originum apud veteres Autores pasſim obvia fragmen-

fragmenta collegit Antonius Riccobonus; cujus de hiſtoria libro, qvi Baſileæ M.D.LXXIX, in 8: item Livio, qvi Francofurti ad Mœnum M. DC. XXVIII, in f. editus eſt, addita reperiuntur. Eadem paulò auctiora, cæteris M.P. Catonis operibus ſubjunxit, & notis illuſtravit Auſonius Popma: cum qvibus Lugduni Batavorum M. D. XC, in 8. publicata ſunt.

III. Alia M. Porcii Catonis ex Originibus, de antiqvis Italiæ populis, fragmenta primus emiſit Joannes Annius Viterbienſis, commentarioq; dilucidavit.

IV. Prodierunt, inter alios ſcriptores, cum Annii commentario, Romæ M. CCCC. XCVIII, in f: Pariſiis M. D. XV, in f: Witebergæ M. DC. XII, in 8. Absq; commentario, Baſileæ M. D. XXX, in 4: Heidelbergæ M. D. XCIX, in 8: Onuphrii Panvinii de Rep. Romana commentariis ſubjuncta, Pariſiis M. D. LXXXVIII, in 8: Catonis reliqvis operibus addita Lugd. Bat. M. D. XC, in 8: & inter antiqvæ hiſtoriæ Autores, qvos Dionyſius Gothofredus collegit, Lugduni M. D. XCI, in 16.

ARTICULUS III.

Judicia de M. Porcii Catonis fragmentis, qvæ primus omnium Joannes Annius edidit.

I. Marcus Antonius Sabellicus Enneadis X, libro II: *Circumferuntur Catonis nomine qvædam velut fragmenta ex illius Originibus, ubi legere eſt, Ligurnum à Ligure, Phaethontis filio, nomen adeptum, à qvô Liguria eſt, atq; aliqvot ætates ante, qvàm Oenotrus in Italiam venerit. Cui opinioni ut cunctantiùs accedam, non una res facit. Enimverò ſcripta illa, cujuscunq; ſunt, neq; Romanum aliqvid ſonant, neq; vetuſtum, ſed recens & barbarum. Præterea ii, qvi de rebus Italicis aliqvid ſcripſere, neq; noſtrorum qvisqvam, neq; Græcorum, unde omnis lux litterarum fluxit, ejus rei meminerunt.*

II. Auſonius Popma in notis ad M. P. Catonis ex Originibus fragmenta: *Hæc Catonis nomine olim edidit Joannes Annius Viterbienſis, homo, ut illa tempora ferebant, & diligens & eruditus. Nec eſt*

mihi qvidem dubium, qvin ſint excerpta ex ſecundo & tertio libris Originum, in qvibus tractavit de origine & ſitu urbium Italicarum. Cujus ſententiæ meæ ea ratio eſt, qvod hîc ſcribitur: Cum Orobiis coloniis ibi primus inſedit; qvorum origo incerta, uti Comi, Bergomi, Licini fori, & aliqvot circa populorum. Rurſus: Ameria fermè nongentis annis & ampliùs reſtituta, ante Perſei bellum. Et hoc utrumq; Catonem tradidiſſe, autor eſt Plinius lib. III, cap. XVII, & XIV. Sed non auſim affirmare, eſſe contextum verborum Catonis: qvin potius crediderim illum, qvi excerpſit, ſumma rerum capita, partim Catonis, partim ſuis verbis retuliſſe.

III. Caſpar Barthius Animadverſionibus ad Galli Confeſſoris ſermonem, cap. III: *Exſtant libelli aliqvot, nominibus Beroſi, Archilochi, & aliorum, qvi cum his jungi conſveverunt. Eos libellos, neqvaqvam rectè ſentiunt clariſſimi Viri, Ludovicus Vives, Caſpar Varrerius, Joſephus Scaliger, Octavianus Ferrarius, alii innumeri, cum totos atq; ſingulos damnant ingenuitatis, & Joanni Annio, primo editori fictos autumant. Qvod enim, per Deum immortalem, prodigium fuerit, clauſtralem illum & minimè tam profundè doctum Monachum talia comminiſci poſſe? Ais multa ineſſe ficta, minimè pro iis autoribus. Nec nos negamus interpolatos univerſos illos autores, ruptos, fractos, minimè bona aut fide, aut intelligentia translatos; tamen antiqvitus ex legitimis veriſq; autoribus excerptos, talia argumenta ſunt, ut, qvæcunq; afferuntur, omnia evaneſcant. Vel unum Catonem mihi vide: cenſe, recenſe, damna etiam, ut libet; videbis tamen veri illius Catonis, & fateberis etiam, ingenium ſtilumq; ſupereſſe, qvos mentiri aut fingere, non fuit talium hominum. Omnino aliqvando docebimus & perſvadebimus, puto, parum maximos viros judicii ſui memores fuiſſe, qvi uno impetu talia omnia projecerunt, qvæ ad ætatum ſeqviorum captum concinnata, ſummorum tamen ſunt ſcriptorum reliqviæ. Etiam Sempronium illum qvis fuerit, videor conjectura aſſecutus; qvi, aut valdè fallor, aut Catonis & Fabii Pictoris nobis iſta fragmenta excerpſit; qvibus alii poſtmodum ſuccedentes, alter alteri peregrinos illos ſcriptores, ut potuerunt, adjecerunt; eâ qvidem perſvaſione ſibi ſatis facientes, qvæ tunc omnium animos occupaverat: Ethnicorum nimirum libros, cum ſuperſtitionibus & erroribus eorum, à divino cultu maximè alienos, aut penitus abolendos eſſe,*

aut,

aut, ſi aliqva ferri & in Bibliothecis haberi posſent, ita decurtandos, arbitratu Monachorum eruditionis opinione inſigniorum, ut nil penitus, vel ita parum autores ſuos reſiperent, ut Chriſtianis patribus natos præferre valerent. Idem lib. I, Adverſariorum, cap. IX, cum Fabium Pictorem, ab Annio editum, ſuppoſititium judicâsſet: *Qvod idem de Catonis Originum fragmentis prædicem, niſi Auſonius Poema aliam ſuaderet ſententiam ſeqvi.*

IV. Gerardus Joannes Vosſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. V: *Iſtis Originibus, qvas pro Catonianis obtrudere nobis voluit Annius Viterbienſis, nihil profecto inſicetius, Catoneq; indignius.*

V. Videantur de iisdem Catonis fragmentis judicia Joannis Ludovici Vivis, Leandri Alberti, Georgii Fabricii, Antonii Posſevini, Philippi Cluveri, qvæ capitis præcedentis articulo tertio adduximus.

CAPUT III.

CAJUS SEMPRONIUS ASELLIO.

ARTICULUS I.

C. Sempronii Aſellionis Vita.

I.

C. Sempronius Aſellio, & qvis fuerit, & qvô tempore vixerit, A. Gellius lib. II, cap. XIII, his indicat verbis: *Id qvoq; nos cum in complurium veterum libris ſcriptum aliqvoties adverteremus, nunc qvoq; in libro Sempronii Aſellionis rerum geſtarum qvinto ita poſitum eſſe offendimus. Is Aſellio ſub P. Scipione Africano tribunus militum ad Numantiam fuit, resq; eas, qvibus gerendis ipſe interfuit, conſcripſit.* Unde Aſellionem, C. Lælio Sapiente, Q. Servilio Cæpione Coss. anno Urbis 613, Mundi 3810, ante C. N. 138, qvo bellum Numantinum geri cœpit, militaribus factis jam nomen aliqvod ſibi feciſſe cognoſcimus.

II. Idem multò diutius, ad excidium usq; Numantinum, ſuperſtes fuit. Etenim eo, qvem nominavimus, loco, qvædam Gellius, qvæ Tiberius Gracchus, Tribunus plebis, qvem Scipio Naſica in Capitolio interemit, paulò ante mortem dixerit, ex Aſellione profert. Gracchus

autem, ut Vellejus Paterculus lib. II, cap. II, & III, refert, P. Mucio Scævola & L. Calpurnio Coſs. id eſt, anno Urbis 620, Mundi 3817, ante C. N. 131, qvo Numantia fuit deleta, vitam immatura morte finivit.

III. De P. Craſſo Mutiano Gellius lib. I, cap. XIII: *Is Craſſus à Sempronio Aſellione & plerisq; hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus traditur qvinq; habuiſſe rerum bonarum maxima & præcipua; qvod eſſet ditiſſimus, qvod nobiliſſimus, qvod eloqventiſſimus, qvod jurisconſultiſſimus, qvod Pontifex Maximus.* Hæc eandem Aſellionis, qvam indicavimus, ætatem innuunt. Nam eo anno, qvi exitialis fuit Numantinis, Craſſus ille Pontifex Maximus creatus eſt. Idem cum L. Valerio Flacco, anno Urbis 622, conſulatum geſſit; in Aſiatica expeditione, M. Perpenna Coſ. (anno Urbis 623, Mundi 3820, ante C. N. 128.) interfectus, ut Vellejus Paterculus lib. II, cap. IV: Florus lib. II, cap. XX, §. 5, aliiq; commemorant.

Articulus II.
C. Sempronii Aſellionis Scripta.

I. C. Sempronium Aſellionem Hiſtoricis Romanis præter Gellium lib. I, cap. XIII, Dionyſius Halicarnasſenſis lib. I, antiqvitatum, cap. XI, annumerat. Ubi de Aboriginibus, Sigismundo Gelenio interprete, inqvit: *Sed Scriptorum Romanorum doctiſſimi, & in his Porcius Cato, qvi diligentiſſimè ſcripſit de originibus Italicarum Urbium, Cajusq; Sempronius, & aliqvot alii, Græcos eos eſſe affirmant.*

II. Ex ejus perditis libris nonnulla fragmenta inveniuntur. Ea collegerunt, Antonius Riccobonus, cujus de hiſtoria libro, qvi Baſileæ M. D. LXXIX in 8; item Livio, qvi Francofurti ad Mœnum M. DC. XXVIII, in f. editus eſt, ſubjuncta ſunt: & Antonius Auguſtinus, qvæ cum aliorum Hiſtoricorum fragmentis Fulvius Urſinus Antverpiæ M.D.XCV, in 8. publicavit. Qvædam eorum Caſpar Barthius lib. XXXII, Adverſariorum, cap. X, illuſtrat.

III. Ejusdem præ ſe fert nomen Chorographicus de Italia libellus, qvem primus in lucem protulit, & commentario explicuit, Joannes Annius Viterbienſis.

IV. Pro-

IV. Prodiit, inter alios ſcriptores, cum Annii commentario, Romæ M.CCCC.XCVIII, in f: Pariſiis, M.D.XV, in f: & Witebergæ M.DC.XII, in 8. Absq; commentario, Baſileæ M. D.XXX, in 4: Heidelbergæ M.D.XCIX, in 8: Onuphrii Panvinii de Rep. Romana commentariis ſubjunctus, Pariſiis M.D.LXXXVIII, in 8: & inter antiqvæ hiſtoriæ autores, qvos Dionyſius Gothofred9 edidit, Lugduni M.D.XCI, in 16.

ARTICULUS III.

Judicia de C. Sempronii Aſellionis libello, qvem primus omnium Joannes Annius edidit.

I. Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis cap. VIII: *Exſtat C. Sempronii liber de diviſione Italiæ & origine urbis Romæ: ſed de eo idē cenſendū, qvod de Beroſo, Catone, atq; aliis Annii figmentis.*

II. Videantur de eodem Aſellionis libello judicia Joannis Ludovici Vivis, Georgii Fabricii, Antonii Poſſevini, cap. I, art. III: & Caſparis Barthii, cap. II, art. III, §. III, ſuperiùs adducta.

CAPUT IV.

CAJUS JULIUS CÆSAR.

ARTICULUS I.

C. Julii Cæſaris Vita.

I.

C. Julius Cæſar qvarto Iduum Qvintilis, C. Mario & L. Valerio Flacco Coss. anno Urbis 653, Olympiadis 170, primo, Mundi 3850, ante C.N. 98, natus eſt. Qvibus pueritiam adoleſcentiamq; conſumſit; qvos honores vir geſſit; qvæ bella confecit, & alia peregit; qvatenus paucis commemorari neqveunt, & huic loco maximam partem aliena ſunt, in medium proferre ſuperſedebimus: unum, qvod præcipuum eſt, tetigiſſe contenti, unde reliqva poſſint æſtimari.

II. Re-

II. Rebus in Galliâ per novem annos feliciter geſtis, jam multis etiam Romanis formidabilis victor reverſus, æmulum ſenſit Cn. Pompejum Magnum, non minori fortitudinis actorumq; gloriâ potentem. Ex his dum neuter alteri cedere ſuſtinuit, uterq; bello civili materiam dedit; Cæſar ſtrenuorum fiduciâ militum, Pompejus faventium Senatorum autoritate munitus. Prælium in Theſſaliæ campis Pharſalicis de principatu commiſſum diremit controverſiam. Victum profugumq; Pompejum Ptolomæus Dionyſius, Ægypti Rex, per inſidias ſuſtulit Ægyptiorum ripæ imminentem. Ita exſtincto adverſario, Cæſar imperiū Romanū, qvod duo Conſules ultra CCCCLX annos gеſſerant, ſingulare primus arripuit, anno Urbis 705, Mundi 3902, ante C. N. 46.

III. Regiam poteſtatem, qvâ pollebat, continuum Conſulatum, Dictaturam perpetuam vocari paſſus, prænomen Imperatoris, (eâ notione, qvâ Principem, id eſt, penes qvem unum ſumma Reip. poteſtas eſt, denotat) cognomen Patriæ Patris recepit. Hac dignitate paulò ultra qvadriennium gaviſus, à conjuratis, Idibus Martiis, anno ætatis 56, Urbis 709, Mundi 3906, ante C. N. 42, contrucidatus eſt.

IV. Hæc & plura de Julio noſtro commemorant, ipſe in commentariis ſuis: Cicero lib. II, de Divinatione, cap. IX; Philippica II, cap. XXXV: Vellejus Paterculus lib. II, cap. XLIX, & ſeqventibus: Florus lib. IV, cap. II: Epitome Liviana CIX, cum ſeptem ſeqventibus: Plutarchus in vita Julii Cæſaris: Svetonius in Julio: Dio Caſſius lib. XLI, cum tribus ſeqventibus: Euſebius lib. II, Chronicorum ad annos M.DCCCC. LXIX, & M.DCCCC. LXXIII: Macrobius lib. I, Saturnaliorum, cap. XII.

ARTICULUS II.
C. Julii Cæſaris
Scripta.

I. C. Julius Cæſar de bello Gallico, ſeu qvod ipſe cum Gallis geſſit, commentarios VII condidit. Hos Ephemeridum nomine, tum antiqvis, tum recentioribus Autoribus citari, G. J. Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis cap. XIII, docet. Incipit eos Cæſar ab ipſo iſtius belli principio, ſive ab anno Urbis 695, Mundi 3892, ante C. N. 56, qvò L. Piſo, A. Ga-

A. Gabinius Coſs. fuerunt: ante C. N. 76: finit in victi Vercingetorigis, Arvernorum ducis, deditione, qvæ Cn. Pompejo M. & Q. Cæcilio Metello Coſs. anno Urbis 701, Mundi 3898, ante C. N. 50, accidit.

II. Præterea de bello civili, qvod ipſe cum Cn. Pompejo Magno geſſit, commentarios III ſcripſit: qvos orditur ab ipſo iſtius belli principio, ſive anno Urbis 704, Mundi 3901, ante C. N. 47: terminat in Photini Eunuchi contra Cæſarem in Ægypto bellum excitantis morte, qvæ in annum Urbis 705, Mundi 3902, ante C. N. 46, incidit.

III. Hos, cum de Gallico, tum de civili bello commentarios, non Cæſaris, ſed alterius eſſe, contendunt Ludovicus Carrio & Franciſcus Floridus Sabinus lib. I, ſubciſivarum Lectionum, cap. III: Idem lib. III, cap. II. At enim, Cæſarem de bello ſuo, & Gallico, & civili compoſuiſſe commentarios, Svetonius in Julio cap. LVI, refert. Eos ipſos autem, qvos habemus, Cæſaris eſſe, probant Joachimus Camerarius notarum initio ad lib. III, de bello civili: Franciſcus Modius in Novantiqvis epiſt. xxx: Juſtus Lipſius lib. II, epiſtolicarum qvæſtionum, epiſt. II: Gerardus Joannes Voſſius lib. V, Inſtitutionum Oratoriarum cap. III, §. 10: & lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XIII.

IV. Memoratos Cæſaris de bello utroq; commentarios illuſtraverunt AUTOR vetus, à qvô in lingvam Græcam translatos habemus, Joannes RHELLICANUS, Henricus Loritus GLAREANUS, Joannes GLANDORPIUS, Joachimus CAMERARIUS, Joannes Michael BRUTUS, Aldus MANUTIUS Pauli filius, Joannes SAMBUCUS, Fulvius URSINUS, Petrus CIACCONIUS, Franciſcus HOTOMANNUS, Joannes BRANTIUS, Godofredus JUNGERMANNUS, Arnoldus MONTANUS.

V. Prodierunt, cum *Glareani* annotationibus, Pariſiis M. D. XLIV, in 8: cum *Manutii* ſcholiis, *Urſini* variis lectionibus, Venetiis M. DC. LXXI, in 8: cum *Manutii* ſcholiis, *Urſini* emendationibus, *Hotomanni* notis, Lugduni M. D. LXXIV, in f: cum *Glareani* annotationibus, *Manutii* ſcholiis, *Urſini* emendationibus, *Hotomanni* annotationibus, Francofurti ad Mœnum, M. D LXXV, in f: ibidem M. D. LXXXIX, in f: cum *Glareani* annotationibus, *Urſini* emendationibus, *Hotomanni* notis, Baſileæ M. D. XCI, in 8: cum *Urſini* variis lectionibus, *Bruti* ſcholiis, Argentorati M. D. XCVI, in 16: & Lugduni M. DC. XII, in 16: cum Græca veteris *Autoris* interpretatione, *Rhellicani*, *Glareani*,

Glandorpii, Camerarii annotationibus, *Bruti* variis lectionibus, *Manutii* ſcholiis, *Sambuci* ſpicilegiis, *Urſini*, *Ciacconii*, *Hotomanni* notis, *Brantii* & politicis & criticis notis, *Jungermanni* (cujus curâ totum hoc opus adornatum eſt) ad interpretem Græcum notis, Francofurti ad Mœnum, M. DC. VI, in 4: cum *Montani* aliorumq; ſelectis notis, Lugduni Bat. M.DC. LI, in 8.

VI. In eosdem Cæſaris commentarios, ſed non additos, prodierunt *Glareani* annotationes, Friburgi Brisgojæ, M. D. XXXVIII, in 8: & Lugduni M.D.XLVI, in 8: *Rhellicani* annotationes, qvas anno M.D. XXIX, diſcipulis ſuis Bernenſibus dictitavit, Baſileæ M.D XLIII, in 8: *Glandorpii* annotationes, qvas diſcipulus Reinerus Reineccius anno M. D.LI, exceperat, Lipſiæ M.D. LXXIV, in 8: *Urſini* notæ cum Hiſtoricorum fragmentis ab Antonio Auguſtino collectis, Antverpiæ M.D. XCV, in 8.

ARTICULUS III.
Judicia de C. Julii Cæſaris Commentariis.

I. Hirtius præfatione commentarii VIII, de bello Gallico: *Adeo probantur omnium judicio, ut prærepta, non præbita facultas ſcriptoribus videatur. Cujus tamen rei major noſtra, qvam reliqvorum eſt admiratio. Ceteri enim, qvàm bene atq; emendatè, nos etiam, qvàm facilè atq; celeriter eos perfecerit, ſcimus.* Qvæ Hirtii verba Svetonius in Julio cap. LVI, adducit.

II. Tullius in Bruto cap. LXXV: *Commentarios qvosdam ſcripſit rerum ſuarum, valdè qvidem probandos. Nudi enim ſunt, recti & venuſti, omni ornatu orationis, tanqvam veſte, detracto. Sed dum voluit, alios habere parata, unde ſumerent, qvi vellent ſcribere hiſtoriam: ineptis gratum fortasſe fecit, qvi volunt illa calamiſtris inurere; ſanos qvidem homines à ſcribendo deterruit.* Qvæ Ciceronis verba Svetonius in Julio cap. LVI, in teſtimonium affert.

III. Svetonius in Julio cap. LVI: *Pollio Aſinius parum diligenter, parumq; integra veritate compoſitos* (Cæſaris commentarios) *putat: cum Cæſar pleraq; & qvæ per alios erant geſta, temerè crediderit;*

& qvæ

& qvæ per ſe, vel conſultò, vel etiam memoriâ lapſus perperam ediderit: exiſtimatq; reſcripturum & correcturum fuiſſe.

IV. Joannes Ludovicus Vives de ratione ſtudii puerilis epiſt. II: *In Cæſaris commentariis oſtenditur caſtitas illa ſermonis Latini, qvi erat in priſca Romana nobilitate: nihil fingi poteſt terſius, expolitius, limatius.*

V. Joannes Bodinus Methodo Hiſtoriarum cap. IV: *Qvæ de bellis à ſe geſtis conſcripſit, ex magna parte vera judicantur, præſertim cum Imperator lege Porcia prohiberetur falſum cæſorum numerum ad ærarii tribunos deferre; alioqvi triumpho & imperio (cujus causâ Cæſar ſceleratum eſſe juſtum putabat) caruiſſet. Qvæ lex ut impune violata ſit, attamen infamiæ metus hominem gloriæ cupidiſſimum retinebat, præſertim cum ſe vivo ſua ſcripta in vulgus manare pateretur, & innumerabiles hoſtes haberet, qvi ſe mendacii coarguere potuiſſent.*

VI. Ludovicus Carrio commentario III, antiqvarum Lectionum, cap. VIII: *Qvoniam nunc ſumus in Cæſare, alium ejusdem, Imperatoris melioris certè, qvàm Hiſtorici (aliorum aliter ſentientium abominor invidiam) locum indicemus.*

VII. Juſtus Lipſius ad Maximilianum II, Imperatorem, epiſtolâ, qvam ſuo in Tacitum commentario præmiſit: *C. Cæſar laudatur in primis. Si ut diſertus narrator; libens aſſentio. Eſt enim ejus viri pura oratio, ſine fuco ac calamiſtris ornata, vel Romanis, vel Atticis Muſis digniſſima. Sin ut perfectus Hiſtoricus; dubitare me dicam, cum & nonnulli fidem ejus in hiſtoria civili reqvirant, & tertium illud ἠθικὸν καὶ πολιτικὸν totum ei deſit. Itaq; ipſe Cæſar, cæteroqvi minimè ſui contemtor, Commentarios inſcripſit, non Hiſtorias: & hoc ipsô laudem veram meruit, qvod falſam affectare contemſit.* Idem in notis ad Politicorum lib. I, cap. IX: *C. Cæſar res ſuas ipſe digeſſit: compoſitè ſanè, & pari modeſtia ac libertate. In ſtylo ſunt, qvæ culpem, ſine ejus tamen culpâ. Nam malam aliqvam & alienam manum acceſſiſſe, ſatis mihi liqvet. Prudentiam non è verbis ejus hauries, ſed è factis, & maximè militarem. Commentarii enim ſunt, & nihil pollicentur, præter nudam ſimplicemq; narrationem.*

VIII. Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XIII: *Scriptor eſt purus & elegans, inq; verborum ſtructura accuratus, ac omninò placidi inſtar fluminis procurrens: interea πολιτικὸς, ac gravis in ſententiis: qvô Xenophontem exſuperat: cæteroqvin ei non diſſimilis*

 mul-

multum. Ibidem poſt qvædam: *Hæc eò dico, ne Carrionis aut Floridi, aut alterius cujusqvam judicium ab lectione commentariorum Cæſaris abſterreat juventutem. Qvæ, prò pudor, ſatis infreqvens eſt in nobiliſſimo atq; adeo divino hoc ſcriptore. Aut ſi qvibus in manibus ſit, haud alio legunt fine, qvam ob eximiam Romanæ lingvæ puritatem, verborumq; proprietatẽ ſummam: ſuper qvô ante nos non ſemel ſummi viri ſunt conqveſti. Sanè ex eo haurire eſt maximarum & utiliſſimarum rerum copiam: qvam qvi verborum elegantia contenti negligunt, minus etiam pueris ſapiunt, qvi nunqvam ita ſe arboris frondibus oblectabunt, ut egregios ejus fructus contemnant. Qvod ſi qvid in nobiliſſimo ſcriptore culpandum videatur, hoc unum illud fuerit, qvod in iis, qvæ jure optimo verterentur ei vitio, Harpocratem agat, vel Sigalionem Ægyptium. Ita in tertio de bello civili, altum de eo ſilentium eſt, qvod Cæſar in urbe Alexandrina adverſus cives pugnans, ut ſe tueretur, in naves juſſerit ignem immitti, qvâ flammâ & navalia combuſta, & vicina in Serapeo Bibliotheca, qvæ continebat fermè ſeptingenta voluminum millia, inæſtimabilem theſaurum, Ptolomæorum vigiliis per ducentos & ampliùs annos collectum. At ut ſileat Cæſar, non ſilent Plutarchus, Dio, Ammianus, alii. Qvid qvod in rebus ſuis non ſatis interdum veritati litaret. Sanè ſatis conſtat, L. Cæcilium Metellum ſanctius ærarium, cujus claves abſtulerant Conſules, ſellâ tribunitia oppoſitâ, defendiſſe, adverſus Cæſarem: hunc autem tantopere comminatum fuiſſe Metello, ut urbe fugeret: poſt illa effractis foribus abſtuliſſe theſauros ſacros, qvi poſt Urbem à Gallis captam iſtic depoſiti erant, atq; ad extrema civitatis pericula reſervabantur. Sanè de clauſo perfractoq; ærario clari teſtes Tullius, Lucanus, Florus: è Græcis Dio, Plutarchus, Appianus. At ipſe in commentariis ſcribit, Lentulum à Pompejanis habuiſſe in mandato, ut pecuniam ex ærario omnem Pompejo mitteret in belli uſum: ſed, cum nuncius, qvanqvam vanus ille, ad aures pertigiſſet, Cæſaris milites jam eſſe in urbe, fugâ ſibi qvam primum conſuluiſſe, ac præ metu ærarium reliqviſſe apertum.* Et poſt pauca: *Sanè alia qvoq;, qvæ non minus abeant à vero, reperiet, qvi cum Cæſaris commentariis contulerit Plutarchum in Pompejo & Cæſare: item Dionem, Appianum, Zonaram, cæterosq;.*

CAPUT V.

AULUS HIRTIUS.

ARTI-

ARTICULUS I.

A. Hirtii Vita.

I.

A. Hirtius Imperatori Julio Cæſari familiaris fuit. Docet hoc ipſe in epiſtolâ, qvam ad Balbum ſcripſit, & belli Gallici commentario præmiſit, cum de Cæſaris ſcriptis ait: *Adeo probantur omnium judicio, ut prærepta, non præbita facultas ſcriptoribus videatur. Cujus tamen rei major noſtra, qvam reliqvorum eſt admiratio. Cæteri enim, qvam bene atq; emendatè, nos etiam, qvam facile atq; celeriter eos perfecerit, ſcimus.* Et poſt qvædam, de Alexandrino & Africano bello: *Qvæ bella,* inqvit, *qvanqvam ex parte nobis Cæſaris ſermone ſunt nota: tamen aliter audimus ea, qvæ rei novitate aut admiratione nos capiunt; aliter, qvæ pro teſtimonio ſumus dicturi.*

II. Cum Cæſare, ſed & poſt Cæſarem vixit. Qvod ex his in eadem epiſtola verbis patet: *Cæſaris noſtri commentarios rerum geſtarum contexui, noviſſimèq; imperfecta ab rebus geſtis Alexandriæ confeci, usq; ad exitum, non qvidem civilis diſſenſionis, cujus finem nullum videmus, ſed vitæ Cæſaris.* Hanc Cæſar an. Urbis 709, Mundi 3906, ante C. N. 42, finivit.

ARTICULUS II.

A. Hirtii Scripta.

I. A. Hirtius Julii Cæſaris de bello Gallico ſeptem Commentariis octavum addidit. Eum Hirtii, non Oppii, aut alterius eſſe, Svetonius in Julio cap. LVI, tradit: *Reliqvit & rerum ſuarum commentarios, Gallici, civilisq; belli Pompejani. Nam Alexandrini Africiq; & Hiſpanienſis, incertus autor eſt. Alii enim Oppium putant, alii Hirtium, qvi etiam Gallici belli noviſſimum imperfectumq; librum ſuppleverit.* Ibidem poſt pauca: *De eisdem* (Cæſaris) *commentariis Hirtius ita prædicat: Adeo probantur omnium judicio, ut prærepta, non præbita facultas ſcriptoribus videatur. Cujus tamen rei major noſtra, qvam reliqvorum eſt admiratio. Cæteri enim, qvam bene atq; emendatè, nos etiam, qvam facile atq; celeriter eos perfecerit, ſcimus.* Qvæ verba in præfatione commentarii octavi de bello Gallico leguntur. Eum Hirtius ab expeditione Cæſaris in Bituriges, ineunte anno Urbis 702, Mundi 3899, ante C. N. 49, ſuſceptâ, in-

cipit: finit in reditu Cæſaris ex Galliâ in Italiam, id eſt, in anno Urbis 703, Mundi 3900, ante C. N. 48.

II. Ejus præterea, multorum judicio, ſunt Commentarii de Alexandrino, ſeu, qvod Julius Cæſar cum Ægyptiis; & Africano bello, ſeu, qvod idem cum Juba Numidarum rege in Africa geſſit: qvos alii jam olim C. Oppio tribuerunt: qvemadmodum Svetonius in Julio cap. LVI, docet. Cujus verba præcedente periodo jam adduximus. Certè idem Hirtius bellum Cæſaris cum Alexandrinum, tum Africanum deſcripſit. Nam in præfatione Commentarii VIII, de bello Gallico, inqvit: *Cæſaris noſtri commentarios rerum geſtarum contexui: noviſſimeq; imperfecta ab rebus geſtis Alexandriæ confeci, uſq; ad exitum, non qvidem civilis diſſenſionis, cujus finem nullum videmus, ſed vitæ Cæſaris.*

III. De Alexandrino bello Commentarius incipit à Cæſaris, Ptolomæum Dionyſium Regem debellaturi, in Ægyptum adventu, ſive ab anno Urbis 705, Mundi 3902, ante C. N. 46: deſinit in Cæſaris poſt victum ingenti prælio Pharnacem Ponti Regem, in Italiam reditu, ſive in anno Urbis 706, Mundi 3903, ante C. N. 45. De Africano bello commentarius incipit ab adventu Cæſaris in Africam, ſive ab anno Urbis 707, Mundi 3904, ante C. N. 44: deſinit in Cæſaris ad Urbem reditu, qvi anno Urbis 708, Mundi 3905, ante C. N. 43, accidit.

IV. His tribus, de bello Gallico, Alexandrino & Africano, ſive unius Hirtii, ſeu diverſorum Autorum commentariis eò melius intelligendis lucem attulerunt Joannes RHELLICANUS, Henricus Loritus GLAREANUS, Joannes GLANDORPIUS, Joannes Michael BRUTUS, Aldus MANUTIUS Pauli filius, Joannes SAMBUCUS, Fulvius URSINUS, Petrus CIACCONIUS, Franciſcus HOTOMANNUS, Joannes BRANTIUS, Arnoldus MONTANUS.

V. Prodierunt, inter Cæſaris opera, cum *Glareani* annotationibus, Pariſiis, M.D.XLIV, in 8: cum *Manutii* ſcholiis, *Urſini* variis lectionibus, Venetiis M.D.LXXI, in 8: cum *Manutii* ſcholiis, *Urſini* variis lectionibus, *Hotomanni* notis, Lugduni M.D.LXXIV, in f: cum *Glareani* annotationibus, *Manutii* ſcholiis, *Urſini* emendationibus, *Hotomanni* annotationibus, Francofurti ad Mœnum, M.D.LXXV, in f: ibidem M.D.LXXXIX, in f: cum *Glareani* annotationibus, *Urſini* emendationibus, *Hotomanni* notis, Baſileæ M.D.XCI, in 8: cum *Urſini* variis lectionibus,

nibus, *Bruti* ſcholiis, Argentorati M. D. XCVI, in 16: & Lugduni M. DC.XII, in 16: cum *Rhellicani, Glareani, Glandorpii* annotationibus, *Bruti* variis lectionibus, *Manutii* ſcholiis, *Sambuci* ſpicilegiis, *Urſini, Ciacconii, Hotomanni* notis, *Brantii* & politicis & criticis notis, Francofurti ad Mœnum, M. DC. VI, in 4: cum *Montani* aliorumq; ſelectis notis, Lugduni Batavorum M. DC. LI, in 8.

VI. In eosdem Hirtii commentarios, ſed non additos, Rhellicani, Glareani, Glandorpii & Urſini annotationes, cum eorundem in Cæſaris opera notis, ubi prodierint, videatur præcedentis capitis artic. II, §. VI.

ARTICULUS III.

Judicia de A. Hirtii commentariis.

I. Joannes Ludovicus Vives de tradendis diſciplinis lib. IV: *Commentarii ab Hirtio additi vel Oppio, planè ſunt alii, qvam Cæſaris; minus & puritatis & majeſtatis habent: ut Cæſareanos à principe ſcriptos appareat, alteros à privato.*

II. Franciſcus Luiſinus lib. III, Parergon, cap. XXXII: *Qvis eſt tam ingenio tardus, qvi verbis Hirtii, optimi lingvæ Latinæ autoris Horatium non intelligat?*

De Hirtii bello Africano.

III. Juſtus Lipſius commentario ad Taciti lib. II, annaliũ, num. cxxi: *Hirtius terſiſſimo belli Africi commentariolo.*

IV. Caſpar Barthius Animadverſionibus ad Rutilii lib. I, verſũ ccxc: *Sæpe ſic Hirtius, ſive qvis alius autor, ſtyli militaris, libri de bello Africano.*

CAPUT VI.

CAJUS SALLUSTIUS CRISPUS.

ARTICULUS I.

C. Salluſtii Criſpi Vita.

I.

C. Salluſtius Criſpus, ut Euſebius lib. II, Chronicorum, ad annum M. DCCCC. XXXI, tradit, Amiterni Sabinorum urbe, Olympiadis

CLXXXIII,

CLXXXIII, anno III, qvi eſt Urbis 667, Mundi 3864, ante C.N. 84, natus eſt.

II. Vitiis olim, qvam hodiè ſcriptis nobilior fuit, ingenii excellentiam ſuperante animi pravitate: parcus in verbis, in vita luxurioſus. Lactantius lib. II, divinarum inſtitutionum, cap. XIII: *Qvod qvidem non fugit hominem neqvam Salluſtium, qvi ait: Sed noſtra omnis vis in animo & corpore ſita eſt; animi imperio, corporis ſervitio, magis utimur. Rectè, ſi ità vixiſſet, ut locutus eſt. Servivit enim fœdiſſimis voluptatibus, ſuamq; ipſe ſententiam vitæ pravitate diſſolvit.* Videantur, Autor orationis in Salluſtium, qvam Ciceroni vulgus adſcribit, cap. V: Horatius lib. I, Sat. II, v. 48: Svetonius de claris Grammaticis cap. XV: Macrobius lib. III, Saturnaliorum, cap. XIII: Symmachus lib. V, epiſt. LXVIII.

III. Cum Fauſta, L. Sullæ filia, Annii Milonis uxore, adulterium perpetravit. Horatius lib. I, Sat. II, v. 41, & ſeq: de mœchis:

Hic ſe præcipitem tecto dedit, ille flagellis
Ad mortem cæſus; fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam, dedit hic pro corpore nummos.

Ad qvæ verba Helenius Acro: *Hoc de Salluſtio videtur dicere. Salluſtius enim Criſpus in Fauſtæ filiæ Sullæ adulterio deprehenſus, ab Annio Milone flagellis cæſus eſſe dicitur.* A. Gellius lib. XVII, cap. XVIII: *Marcus Varro in litteris atq; vita, fide homo multa & gravis, in libro, qvem inſcripſit Pius, aut de pace, Cajum Salluſtium ſcriptorem ſeriæ illius & ſeveræ orationis, in cujus hiſtoria notiones cenſorias fieri atq; exerceri videmus, in adulterio deprehenſum ab Annio Milone, loris bene cæſum dicit, & cum dediſſet pecuniam, dimiſſum.* Videantur, Porphyrio ad nominatum Horatii locum: & Servius ad lib. VI, Æneidos, v. 582.

IV. Ob hanc enormem laſciviam ab Appio Claudio Pulcro & L. Calpurnio Piſone cenſoribus, anno Urbis 703, Mundi 3900, ante C. N. 48, qvô L. Æmilius Paulus, & C. Claudius Marcellus Coſs. fuerunt, è numero Senatorum deletus eſt. Dio Caſſius lib. XL, cum Appium Claudium atq; Lucium Piſonem, Julii Cæſaris ſocerum, eo anno cenſores creatos dixiſſet, Guilielmo Xylandro interprete, ſubjicit: *Piſo, cum alioqvin qvieti ſtuderet, ac propter generi qvoq; amicitiam multos obſervaret, ipſe notandum ſibi neminem duxit: Collega tamen, omnes libertinos, multos etiam nobilium, atq; inter eos Criſpum etiam Salluſtium, eum, qvi hiſtoriam conſcripſit, Senatu ejicienti non repugnavit.* Autor orationis

nis in Salluſtium cap. VI: *Et qvod hunc movere posſit, P. C. factum, aut dictum turpe, qvem non puduit palam, & vobis audientibus, adulterium confiteri? Qvod ſi tibi nihil per me reſpondere voluisſem, ſed illud cenſorium elogium Appii Claudii & L. Piſonis, integerrimorum virorum, qvô uſus eſt qvisq; eorum, pro lege palam univerſis recitarem: nonne tibi viderer æternas inurere maculas, qvas reliqva vita tua eluere non posſit?* Videatur Acro ad Horatii lib. I, Sat. II, v. 48: & Salluſtius ipſe, Conjurationis Catilinariæ cap. IV.

V. Poſtea, beneficio Julii Cæſaris, Salluſtius & Qvæſtoris accepit, & Senatoris recepit dignitatem. Autor orationis in Salluſtium cap. VI: *Idem Salluſtius, qvi in pace ne Senator qvidem manſerat: poſteaqvam Reſp. armis oppreſſa eſt, & idem victores, qvi exules reduxit: in Senatum poſt Qvæſturam eſt reductus. Qvem honorem ita gesſit, ut nihil in eo non venale habuerit, cujus aliqvis emtor fuerit.*

VI. Q. Fuſio Galeno, & P. Vatinio Coss. anno Urbis 706, Mundi 3903, ante C. N. 45, Prætor eſt creatus. Id ex Dionis lib. XLII, propemodum extremo diſcimus. Hirtius de bello Africano cap. VIII: *C. Salluſtium Criſpum prætorem ad Cercinnam inſulam verſus, qvam adverſarii tenebant, cum parte navium ire jubet, qvod ibi magnum numerum frumenti eſſe audiebat.* Et cap. XXXIV: *Per id tempus C. Salluſtius Criſpus, qvem paucis ante diebus misſum à Cæſare cum claſſe demonſtravimus, Cercinnam pervenit.* Ibidem poſt pauca: *Salluſtius interim prætor à Cercinnatibus receptus, magno numero frumenti invento, naves onerarias, qvarum ibi ſatis magna copia fuit, complet, atq; in caſtra ad Cæſarem mittit.* Autor orationis in Salluſtium cap. VII: *Poſteaqvam Prætor eſt factus, modeſtè ſe gesſit & abſtinenter.*

VII. A Cæſare conſulatum tertium gerente, id eſt, anno Urbis 707, Mundi 3904, ante C. N. 44, Numidiæ præfectus eſt. Dio lib. XLIII: *Cæſar Numidas qvoq; victos ſubditorum in numerum retulit: iisq; Salluſtium, titulo qvidem regendæ; re autem ipsâ, diripiendæ regionis causâ, præfecit. Enimverò Salluſtius & pecuniæ captæ & compilatæ provinciæ accuſatus, ſummam infamiam reportavit; qvod cum ejusmodi libros compoſuisſet, in qvibus multis acerbisq; verbis eos, qvi ex provinciis qvæſtum facerent, notasſet, neqvaqvam ſuis ſcriptis in agendo ſtetisſet. Itaq;, etſi à Cæſare abſolutus fuit, tamen ſuis ipſius verbis proprium crimen abundè, qvaſi in tabula propoſitum divulgavit.* Autor orationis in Salluſtium

 cap.

cap. VII: *Nonne ita provinciam vaſtavit, ut nihil neq; paſſi ſint, neq; exſpectarint gravius in bello ſocii noſtri, qvam experti ſunt in pace, hoc Africam interiorem obtinente? Unde tantum hic exhauſit, qvantum potuit, aut fide nominum trajici, aut in naves contrudi.*

VIII. Ad plures abiit, ſicut Euſebius lib. II, Chronicorum, ad annũ M DCCCC. LXXXII, tradit, qvarto ante Actiacum bellum anno, qvi eſt Urbis 719, Mundi 3916, ante C. N. 32, M. Antonio & L. Scribonio Conſulibus.

Articulus II.

C. Salluſtii Criſpi Scripta.

I. Ex C. Salluſtii Criſpi monumentis hiſtoricis Bellum Jugurthinum, ſive qvod Populus Romanus cum Jugurtha Rege Numidarum geſſit, hodiè ſupereſt. Id ipſum ut eò rectius cognoſcatur, autor qvædam præcedentia repetit, initiumq; ſumit à Maſiniſſa Numidarum Rege in populi Romani amicitiam per P. Scipionem Africanum recepto, id eſt, ab anno belli Punici ſecundi 14, Urbis 547, Mundi 3744, ante C. N. 204, qvô L. Veturius Philo & Q. Cæcilius Metellus Coss. fuerunt. Poſt plurium annorũ res geſtas paucisſimis verbis tactas, ad ipſum bellum Jugurthinum tranſit, qvod P. Cornelio Scipione, L. Calpurnio Beſtia Coss. anno Urbis 642, Mundi 3839, ante C. N. 109, eſt ortum. Definit in triumpho, qvem C. Marius II. Conſul, Jugurthâ per L. Sullam capto, & ante currum catenis onuſto, Calendis Januariis egit, anno Urbis 649, Mundi 3846, ante C. N. 102.

II. Ejusdem exſtat Bellum Catilinarium, ſicut vulgò appellatur, vel potius, qvemadmodum & res ipſa vocare jubet, & autor nominaſſe videtur, ut cap. IV, innuit, Catilinaria Conjuratio. In eâ corruptos Romanæ civitatis mores oſtenſurus, qvalis ea primis temporibus fuerit, disſerit, initiumq; capit ab urbe condita, id eſt, ab anno Mundi 3198, ante C. N. 750. Hinc orſus, brevi transcurſu præcipua memorat: &, cum Catilinæ in adoleſcentia vitam deſcripſiſſet, ad ipſam conjurationem Catilinariam accedit, cujus principium ad L. Julii Cæſaris, & C. Marcii Figuli conſulatũ, id eſt, ad annum Urbis 689, Mundi 3886, ante C. N. 62, refert. Definit in Catilinæ à Romanis copiis, duce Petrejo, in acie trucidati morte, qvæ in D. Junii Silani, & L. Licinii Murænæ conſulatum, annum Urbis 691, Mundi 3888, ante C. N. 60, incidit.

III. Perditorum librorum hiſtoricorum qvædam fragmenta, qvæ doctorum virorum induſtria collegit, reperiuntur.

IV. Hæc

IV. Hæc Salluſtii relicta nobis opera emendata explicataq; dederunt Laurentius VALLA, OMNIBONUS Leonicenus, Joannes BADIUS Aſcenſius, Bartholomæus ZANCHUS, Joannes Chryſoſtomus SOLDUS, Vincentius CASTILIONEUS, Jacobus BONONIENSIS, Joannes RIVIUS, Henricus Loritus GLAREANUS, Aldus MANUTIUS Pauli filius, Cyprianus POPMA, Ludovicus CARRIO, Janus Mellerus PALMERIUS, Petrus CIACCONIUS, Fulvius URSINUS, Helias PUTSCHIUS, Janus DOUSA Pater, Janus GRUTERUS, Theodorus GRASWINCKELIUS, Daniel PAREUS, Antonius THYSIUS.

V. Prodierunt, cum *Vallæ* commento Venetiis M. CCCC. XCI, in f: cum *Manutii* ſcholiis, Romæ M. D. LXIII, in 8: cum *Vallæ, Omniboni, Badii, Zanchi, Soldi, Caſtilionei, Bononienſis, Rivii, Glareani* commentariis, caſtigationibus, ſcholiis, Baſileæ M. D. LXIV, in f: cũ *Manutii* ſcholiis, *Popmæ* emẽdationibus, *Carrionis* ſcholiis, Pariſiis M. D. LXXIV, in 8: & Lugduni M. D. LXXVI, in 16: cum *Rivii* caſtigationibus, *Manutii* ſcholiis, *Popmæ* emendationibus, *Carrionis* ſcholiis, *Douſæ* notis, Antverpiæ M. D. LXXIX, in 8: cum *Puthſchii* & *Ciacconii* notis ex Franciſci Raphelengii Officinâ Plantinianâ, M. DC. II, in 8: cũ *Rivii* caſtigationibus, *Glareani* ãnotationibus, *Manutii* ſcholiis, *Popmæ* emendationib9, *Carrionis* ſcholiis, *Palmerii* ſpicilegiis, *Ciacconii, Urſini, Putſchii, Douſæ, Gruteri* notis, Francofurti ad Mœnũ M. DC. VII, in 8: cum *Parëi* notis, ibidem M DC. XLIX, in 12: cum *Thyſii* aliorũq; ſelectis obſervationibus Lugduni Batav. M. DC. XLIX, in 8.

VI. Bellum Catilinarium cum *Graswinckelii* commentario, Lugduni Bat. M. DC. XLII, in 12: Fragmenta, Antonii Riccoboni de hiſtoria libro ſubjuncta, Baſileæ M. D. LXXIX, in 8: Livio addita, Francofurti ad Mœnum M. DC. XXVIII, in f: In Salluſtium, *Glareani* annotationes, Baſileæ M. D. XXXVIII, in 8: *Urſini* notæ, cum Hiſtoricorum fragmentis ab Antonio Auguſtino collectis, Antverpiæ M. D. XCV, in 8.

ARTICULUS III.

Judicia de C. Salluſtii Criſpi Scriptis.

I. Vellejus Paterculus lib. II, cap. XXXVI, §. II: *Jam pæne ſupervacaneum videri poteſt, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, floruiſſe hoc tempore æmulum Thucydidis Salluſtium?*

II. M. Annæus Seneca lib. IX, controverſiarum, declamatione I: *Cum ſit præcipua in Thucydide virtus brevitas, hac eum Salluſtius vicit, & in ſuis eum caſtris cecidit. Nam in ſententia Græca tam brevi habes, quæ*

ſalvo ſenſu detrahas. Deme vel συγκεύψαι, vel συσκιάσαι: deme ἑκάϛων, conſtabit ſenſus, etiamſi non æqvè comtus, æqvè tamen integer. At ex Salluſtii ſententia nihil demi, ſine detrimento ſenſus, poteſt Titus autem Livius tam iniqvus Salluſtio fuit, ut hanc ipſam ſententiam, & tanqvã translatam & corruptam, dum transferretur, objiceret Salluſtio: nec amore Thucydidis facit, ut illum præferat; ſed laudat, qvem non timet: & facilius putat à ſe poſſe Salluſtium vinci, ſi antè à Thucydide vincatur.

III. L. Annæus Seneca epiſtola CXIV: *Salluſtio vigente, amputatæ ſententiæ, & verba ante exſpectatum cadentia, & obſcura brevitas, fuere pro cultu.* Ibidem poſt pauca: *Qvæ apud Salluſtium rara fuerunt, apud hunc* (Arruntium, belli Punici ſcriptorem) *crebra ſunt, & pæne continua, nec ſine causâ. Ille enim in hæc incidebat: at hic illa qværebat.*

IV. Martialis lib. XIV, epigrammate CXCI:

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romanâ Criſpus in hiſtoriâ.

V. Qvintilianus lib. III, cap. VIII: *Criſpus Salluſtius in bello Jugurthino & Catilinario nihil ad hiſtoriam pertinentibus principiis orſus eſt.* Idem lib. IV, cap. II: *Vitanda etiam illa Salluſtiana (qvanqvam in ipſo virtutis locum obtinet) brevitas, & abruptum ſermonis genus.* Et lib. VIII, cap. III: *Nec minus noto Salluſtius epigrammate inceſſitur:*

Et verba antiqvi multum furate Catonis
Criſpe, Jugurthinæ conditor hiſtoriæ.

Et lib. X, cap. I: *Neq; illa Salluſtiana brevitas, qvâ nihil apud aures vacuas atq; eruditas poteſt eſſe perfectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem & ſæpius ineruditum, captanda nobis eſt.*

VI. Tacitus lib. III, Annalium, cap. XXX, §. III: *C. Salluſtius rerum Romanarum florentiſſimus autor.*

VII. A. Gellius lib. I, cap. XVI: *Valerium Probum Grammaticum illuſtrem comperi, Salluſtianum illud: ſatis eloqventiæ, ſapientiæ parũ: brevi, anteqvam vita decederet, ſic legere cœpiſſe, & ſic à Salluſtio relictum affirmaſſe: ſatis loqventiæ, ſapientiæ parum; qvod loqventia novatori verborum Salluſtio maximè conveniret.* Idem lib. III, cap. I: *Numqvid, inqvit Phavorinus, tam importunâ, tamq; audaci argutia fuit noſter Probus, ut Salluſtium vel ſubtiliſſimum brevitatis artificẽ, periphraſin Poëtarum facere diceret.* Et lib. IV, cap. XV: *Elegantia orationis Salluſtii, verborumq; facundia & novandi ſtudium cum multa prorſus invidia fuit,*

mul-

multiq; non mediocri ingenio viri conati ſunt reprehendere pleraq; & obtrectare: in qvibus plura inſcitè aut malignè vellicant. Nonnulla tamen videri poſſunt non indigna reprehenſione. Videantur ſeqventia, in qvibus Salluſtii ex Catilinaria hiſtoriâ dictum à juſtâ reprehenſione vindicat. Idem lib. x. cap. xx: *Salluſtius qvoq; proprietatũ in verbis retinentiſſimus, conſvetudini conceſſit, & privilegiũ, qvod de Cn. Pompeji reditu ferebatur, legem appellavit.* Et cap. xxvi: *Aſinio Pollioni in qvadã epiſtolâ, qvam ad Plancum ſcripſit, & qvibusdam aliis C. Salluſtius iniqvè dignus notâ viſus eſt, qvod in primo hiſtoriarum, maris tranſitum transmiſſumq; navibus factum, transgreſſum appellavit: eosq;, qvi fretum transmiſerant, qvos transfretaſſe dici ſolitum eſt, transgreſſos dixit.* Videantur ſeqventia, in qvibus has loqvendi formulas defendit. Idem lib. xvii, cap. xviii: *M. Varro C. Salluſtium, ſcriptorem ſeriæ illius & ſeveræ orationis, in cujus hiſtoria notiones cenſorias fieri atq; exerceri videmus, in adulterio deprehenſum ab Annio Milone, loris bene cæſum dicit.*

VIII. Svetonius in Auguſto cap. lxxxvi: *Deinde ludens malum & inconſtans in eligendo genere dicendi ingenium ejus* (M. Antonii): *addidit hæc: Tuq; dubitas, Cimbérne Annius, an Veranius Flaccus imitandi ſint? ita, ut verbis, qvæ C. Salluſtius excerpſit ex originibus Catonis, utaris?* Idem de illuſtribus Grammaticis cap. x, in Atteji Philologi vita: *De eodẽ Aſinius Pollio in libro, qvô Salluſtii ſcripta reprehendit, ut nimia priſcorum verborũ affectatione oblita, ita tradit.* Ibidem: *Miror Aſinium Pollionem credidiſſe, antiqva eum* [Attejum] *verba & figuras ſolitum eſſe colligere Salluſtio, cum ſibi ſciat nil aliud ſvadere, qvam ut noto civiliq; & proprio ſermone utatur: viteq; maximè obſcuritatẽ Salluſtii & audaciã in translationibus.* Et cap. xv, in Lenæi vita: *Tanto amore erga Patroni* (Pompeji Magni) *memoriã exſtitit, ut Salluſtium Hiſtoricũ, qvod eum oris improbi, animo inverecundo ſcripſiſſet, acerbiſſima ſatyra laceraverit, laſtaurũ & lurconem, & nebulonem popinonemq; appellans: & vita ſcriptisq; monſtroſum: præterea priſcorum Catonisq; verborum ineruditiſſimum furem.*

IX. Juſtinus lib. xxxviii, cap. III, §. xi: *Qvam orationem dignam duxi, cujus exemplũ brevitati hujus operis inſererẽ, qvã obliqvã Pompejus Trogus expoſuit: quoniã in Livio & in Salluſtio reprehendit, qvod conciones directas, pro ſua oratione operi inſerendo, hiſtoriæ modum exceſſerint.*

X. Flavius Vopiſcus in Aureliano cap. II: *Sermo nobis in eodem vehiculo fuit, aſſerente Tiberiano, qvod Pollio multa incurioſè, multa brevi-*

breviter prodidiſſet: me contra dicente, neminem ſcriptorum, qvantum ad hiſtoriã pertinet, non aliqvid eſſe mentitum: prodente qvin etiam, in qvô Livius, in qvô Salluſtius, in qvo Cornelius Tacitus, in qvô deniq; Trogus manifeſtis teſtibus convincerentur. Idem in Probo cap. II: *Et mihi qvidem id animi fuit, non ut Salluſtios, Livios, Tacitos, Trogos atq; omnes diſertiſſimos imitarer viros.*

XI. Auguſtinus lib. I, de Civitate Dei, cap. V: *Sicut ſcribit Salluſtius, nobilitatæ veritatis Hiſtoricus.* Idẽ epiſt. V, ad Marcellinũ: *In libro etiã belli Catilinæ ante adventũ utiq; Chriſti idẽ nobiliſſimus Hiſtoricus eorum, non tacet, qvãdo primũ inſveverit exercitus populi Romani amare, potare.*

XII. Macrobius lib. V, Saturnaliorum, cap. I: *Qvatuor ſunt, inqvit Euſebius, genera dicendi: copioſum, in qvô Cicero dominatur: breve, in qvô Salluſtius regnat: ſiccum, qvod Frontoni adſcribitur: pingve & floridum, in qvô Plinius Secundus qvondam, & nunc nullo veterum minor, noſter Symmachus luxuriatur.*

XIII. Q. Aurelius Symmachus lib. v, epiſtolâ LXVIII: *Statuit hoc ſcriptor ſtylo tantum probandus: nam morum ejus damna non ſinunt, ut ab illo agendæ vitæ petatur autoritas.*

XIV. Vibius Seqveſter de fluminibus libello: *Salluſtius, autor certiſſimus, aſſerit, tam Tygris, qvam Euphratis in Armenia fontes monſtrari.*

XV. Iſidorus, Hiſpalenſis Epiſcopus, l. XIII, originũ, cap. XXI: *Salluſtiꝰ, autor certiſſimꝰ aſſerit, Tigrim & Euphratẽ uno fonte manare in Armenia.*

XVI. Joannes Saresberienſis lib. III, de nugis Curialium, cap. XII: *Unde & Criſpo, Hiſtoricorum inter Latinos politiſſimo, ſed & ipſi Ciceroni placuit, in malis factionem eſſe, qvod in bonis amicitia eſt.*

XVII. Angelus Decembrius lib. II, de politia litteraria, parte XIX: *Romanæ eloqventiæ palmam in Hiſtoricis primus obtinuit, qviq; ita brevi vel ſuccincta oratione diſcurrit, ut nihil demi poſſit, nihil addi, qvod autoris fuiſſe cenſeatur.*

XVIII. Julius Cæſar Scaliger lib. IV, Poëtices, cap. XXIV: *Fuere qvidã Barbari recentiores ſupercilio non ferendo, judicio verò corruptiſſimo, qvi Salluſtii dictionẽ idcirco brevem cenſuere, qvia rem perſonamq; narret, Conſilia atq; deliberationes omittat: factum ipſum nudum illico ponat. Qvaſi verò commentarium ſcripſerit ille, non hiſtoriam pleniorem, qvi ſit hiſtoriæ pater appellatus.*

XIX. Adrianus Turnebus lib. XXVIII, Adverſariorum, cap. XXII: *Eqvidem, qvantum de ſcriptoribus utriusq; linguæ pro iſtâ meâ mediocritate*

tate judicare & exiſtimare poſſum, animadverto Salluſtium Demoſtheni affiniorem & ſimiliorem, qvam Ciceronem: qvod & homines intelligentes ſenſuros eſſe confido. Cum enim Salluſtius Thucydidem æmuletur & exprimat, ad cujus imaginem & filum qvasdam conciones totas deduxit Demoſthenes, qvi tam ſtudioſè eum provolutabat, ut decies ſuâ manu totum ſcripſerit, an non meritò Salluſtium Demoſtheni perſimilem dixerim, cum utrumq; videam ad unum exemplum ſe formasſe?

XX. Joannes Bodinus Methodo hiſtoriarũ cap. IV: *Ex iis, qvæ habemus, integerrimum ſcriptorem & rerum magnarũ uſu præditum fuisſe conſtat. Ut enim Jugurthinũ bellum veriusſcriberet, in Africã usq; navigavit. Liberè tamen de rebus judicat. Qvid enim liberius eſt, qvam in uno Cæſare & Catone Romanorum omnium illius ætatis collocare virtutem?*

XXI. Petrus Victorius lib. XXVIII, variarum Lectionum, cap. XV: *Qvod Salluſtius honeſtè prædicat de veteribus illis Romanis hominibus, à Thucydide primum tributum fuerat Athenienſibus, qvi ipſius ætate viverent. Non ſine cauſa igitur putaret aliqvis Latinum ſcriptorem, accuratũ hominem & eruditum, id ſumſiſſe à Græco, qvi magna cum laude & ſingulari opinione prudentiæ in eodem ſtudio verſatus fuerat.*

XXII. Jacobus à Cruce Bononienſis annotationũ in varios Autores cap. XII: *Salluſtius clarisſimus dicendi magiſter ac artifex ſubtilisſimus.*

XXIII. Jacobus Nicolaus Loënſis lib. II, miſcellaneorum Epiphyllidum cap. XVII: *Atticus ille Hiſtoriographus in præclara illa oratione, qvam Pericles habuit.*

XXIV. Juſtus Lipſius commentario ad Taciti lib. I, annalium, num. XLI: *Eſt ille Salluſtii hiſtoriarum regis ex ſorore nepos.*

XXV. Lælius Biſciola tomo I, horarum ſubſecivarum, lib. III, cap. XVII: *Magna ſanè laus, poſſe animi cogitationes & ſenſa uberi & copioſâ oratione, ut facile intelligaris, explicare: Idem verò brevi & compreſſo præſtare ſermone, ita, ut brevitate allicias, brevitate ſententiam expromas tuam, certè mihi & videtur eſſe admirabilius, & laudabilius. Hanc ego laudem C. Criſpo Salluſtio, Hiſtoricorum facile principi, libenter ſoleo tribuere, ut Menelao tribuit Iliadis lib. III.* (v. 214.) *Homerus, qvem loqvi ſolitum canit,*

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως,

pauca qvidem, ſed valdè ſvaviter, vel argutè, qvod exiſtimem brevitate illũ & perſpicuitate plerisq; eorũ præſtitisſe, qvi ampla oratione ſcripſerũt.

XXVI.

XXVI. Chriſtianus Becmannus Manuductione ad lingvam Latinam cap. xiv: *Ea cauſa brevitas Salluſtiana ab omnibus ferè jactatur; qvia utitur aſyndetis, omittit verba, non circumducit, non interponit, tribus vocibus integras explet ſententias, ut de cæteris taceam.*

XXVII. Caſpar Barthius lib. xxiv, Adverſariorum, cap. vi: *Inimitabilis illa vis florentisſimæ brevitatis, qvam planè non ſit aliorū ingeniorum, docent maximi ſcriptores, qvi æmulati ſunt potiùs, qvam exprimere potuerunt fatalem huic uni gratiam. In his vel principes nominare licet Cornelium Tacitum & Severum Sulpitium, qvorum uterq; longè ab illo eſt, qvod affectarunt.* Et lib. lx, ad Auguſtini de Civitate Dei lib. I, cap. V: *Advocat Salluſtium & Cæſarem, qvibus nec nobilioris veritatis Hiſtoricus, nec fortior feliciorq; Imperator unqvam fuit.* Idem poſt pauca: *De Salluſtii veracitate & autoritate luculenta exſtant teſtimonia antiqvitatis; atq; utinā liceret nobis legere integras hiſtorias ſummi apud omnes gentiles ſcriptoris, ut vel abeſſent earum loco Ciceronis ipſius aut aliorum qvorumlibet diſſertationes. Mihi qvidem Salluſtiani operis amisſio maximum damnum videtur, qvod & intulit, & potuit inferre noſtris temporibus ſuperiorum ſæculorum infelicitas.*

XXVIII. Gerardus Joannes Vosſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis cap. XV: *Qvod ad dictionem Salluſtii attinet, omnes antiqvi judicant brevem ac nervoſam eſſe, & Thucydideæ æmulam. Sanè ſcriptor eſt planè Atticus, qvâ laude Demoſtheni propior eſt, qvam Cicero ipſe, ut bene cenſet Turnebus in Adverſariis ſuis. Sed ut Thucydidem non omnes probarunt, ita nec Salluſtii dictio omnibus probatur.*

XXIX. Gabriel Naudæus Bibliographia politica: *Sanè Græcam Thucydidis & Polybii, Latinamq; Salluſtii & Titi Livii* (hiſtoriam) *cæteris omnibus præferendam eſſe cenſeo. Seu gravitatem in illis ac majeſtatem operum ſpectes, ſeu puritatem ſtili, judiciiq; integritatem, ſeu deniq; omnes Hiſtoriæ rectè conſcribendæ leges reqviras. Qvas ipſi adeo concinnè feliciterq; obſervarunt, ut ne transverſum qvidem ungvem ab illis unqvā deflexisſe, jure merito arbitrari posſint.*

XXX. Videantur de Salluſtio judicia, Fabii Qvintiliani, (ex lib. X, cap. I.) partis hujus cap. IX, art. III, §. V: Friderici Tilemanni, ibidem §. XVII: Sidonii Apollinaris, cap. XIV, art. III, §. IV, adducta.

De Salluſtii conjuratione Catilinaria.

XXXI. Julius Cæſar Scaliger lib. III, Poëtices, cap. xcvi: *Ambitioſè feciſſe videtur Salluſtius qvibusdā, qvod, Poetarū more, cum dicere orſus eſſet de Catilina, omiſſa eâ narratione, repetit hiſtoriam ab ipſis ultimis Romæ rudimentis. Nos virum ſuo in genere præſtantem atq; incomparabilem, cum rectè, tum neceſſario feciſſe judicamus, ut oſtenderet corruptam civitatem, cujus & pars eſſet Catilina neqvam ipſe, & participes habere poſſet multos ſceleris ac neqvitiæ ſuæ.*

XXXII. G. J. Vosſius lib. I, de Hiſt. Lat. cap. xv: *Objectant aliqvi, qvod pravo loliginis ſucco pleraq; ad Ciceronis laudem pertinentia, qvæ apud alios legere ſit, prætererit. Verum ea potiùs neglexiſſe ego arbitror, vel ut falſa, vel ut incerta planè, vel ut exigua & minuta.*

CAPUT

CAPUT VII.

MARCUS VALERIUS CORVINUS MESALLA.

ARTICULUS I.

M. Valerii Corvini Meſſallæ Vita.

I.

M. Valerius Corvinus Meſſalla præ cœteris ſuo tempore illuſtris Orator fuit. Autor orationis, qvam vulgus Tacito adſcribit, eruditiores Qvintiliano tribuunt, de Oratorum veterum & recentiorum differentia, ſeu de corruptæ eloqventiæ cauſis, cap. XVII, §. I: *Tranſeo ad Latinos Oratores, in qvibus non Menenium, ut puto, Agrippam, qvi poteſt videri antiqvus, noſtrorum temporum diſertis anteponere ſoletis: ſed Ciceronem, & Cæſarem, & Cælium, & Calvum, & Brutum, & Aſinium, & Meſſallam.* Et cap. XVIII, §. III: *Sicut Catoni ſeni comparatur C. Gracchus plenior & uberior: ſic Graccho politior & ornatior Craſſus: ſic utroq; diſtinctior, & Urbanior, & altior Cicero: Cicerone mitior Corvinus & dulcior, & in verbis magis elaboratus.* Tacitus lib. III Annalium, cap. XXXIV. §. I: *Mox Valerius Meſſallinus, cui parens Meſſalla, ineratq; imago paternæ facundiæ, reſpondit.* Videantur, M. Annæus Seneca controverſia XII: Qvintilianus lib. I, cap. VII, extremo: & lib. X, cap. I.

II. Anno Urbis 711, Mundi 3908, ante C. N. 40, Caſſio Brutoqve, Julii Cæſaris interfectoribus, â qvorum partibus ſteterat, mortuis, gratia Cæſaris Auguſti ſervatus eſt. Vellejus Patercnlus lib. II. cap. LXXI, §. I: *Protinus Meſſalla, fulgentiſſimus juvenis, proximus in illis caſtris Bruti Caſſiq; autoritati, cum eſſent, qvi eum ducem poſcerent, ſervari beneficio Cæſaris maluit, qvam dubiam ſpem armorum tentare amplius. Nec aut Cæſari qvicqvam ex victoriis ſuis fuit lætius, qvam ſervaſſe Corvinum; aut majus exemplum hominis grati ac pii, qvam Corvinus in Cæſarem fuit.*

III. Anno Urbis 722, Mundi 3919, ante C. N. 29, cum Auguſto Cæſare conſulatum geſſit. Eidem M. Antonium ad Actium oppugnanti civilibusq; diſcordiis finem allaturo adfuit. Vellejus lib. II, cap. LXXXIV, §. I: *Cæſare deinde & Meſſalla Corvino Coſſ. debellatum a-*

pud

pud Actium. Plutarchus in M. Bruti vita modò non extrema, Hermanno Cruſerio interprete: *Hunc Stratonem Meſſalla, Bruti amicus, Cæſari reconciliatus, commendavit ei aliqvando per otium, lacrumansq; ait: Hic ille eſt, Cæſar, qvi Bruto meo extremum præſtitit officium.* Ibidem poſt pauca: *Ipſum memorant poſtea Meſſallam, cum celebraretur à Cæſare, qvod, qvamvis fuiſſet ad Philippos, infeſtiſſimus ipſis, Bruti cauſâ, hoſtis, egregiam operam tamen ſibi præſtitiſſet ad Actium, dixiſſe: Tu me, Cæſar, ſemper ſectæ partiumq; invenies meliorum & juſtiorum.*

IV. Poſt hæc, primus Urbis Præfectus ab Auguſto creatus eſt. Qvam poteſtatem paucis diebus actam reddidit. Tacitus lib. VI, Annalium, cap. X, & XI: *Præfectus urbi recens* [L. Piſo,] *continuam poteſtatem & inſolentia parendi graviorem, mirè temperavit. Nam antea profectis domo regibus ac mox magiſtratibus, ne urbs ſine imperio foret, in tempus deligebatur, qvi jus redderet, ac ſubitis mederetur.* His, poſt qvædam, ſubjungit: *Auguſtus, bellis civilibus, Cilnium Mæcenatem eqveſtris ordinis, cunctis apud Romam atq; Italiam præpoſuit. Mox rerum potitus, ob magnitudinem populi ac tarda legum auxilia, ſumſit è conſularibus, qvi coërceret ſervitia, & qvod civium audaciâ turbidum, niſi vim metuat: primusq; Meſſalla Corvinus eam poteſtatem, & paucos intra dies finem accepit, qvaſi neſcius exercendi.* Hieronymus in Chronico Euſebiano ad annum M. DCCCC. XCI: *Meſſalla Corvinus primus Præfectus Urbis factus ſexto die Magiſtratu ſe abdicavit, incivilem poteſtatem eſſe conteſtans.*

V. Senex amiſit uſum memoriæ. Plinius lib. VII, cap. XXIV: *Ex præalto tecto lapſus, matris & affinium, propinqvorumq; cepit oblivionem. Alius ægrotus, ſervorum etiam: ſui verò nominis Meſſalla Corvinus orator.* Hieronymus dicto Chronico ad annum M M XXVII: *Olympiadis CXCVIII, anno III, Meſſalla Corvinus Orator ante biennium, qvam moreretur, ita memoriam ac ſenſum amiſit, ut vix pauca verba conjungeret, & ad extremum ulcere ſibi circa ſacram ſpinam nato, inediâ ſe confecit, anno ætatis LXXII.*

VI. Ex qvâ Hieronymi ſententiâ ſeqvitur, Corvinum Olympiadis CXCVIII, anno I, qvi eſt Urbis 765, Mundi 3962, Chriſti 13, Cæſaris Auguſti penultimus, mortuum eſſe. Qvibus ea reſpondent, qvæ idem Stridonenſis Presbyter in eodem Chronico ad annum M, DCCCC. LVIII, tradit: *Olympiadis CLXXX, anno II,* [qvi eſt

Urbis

Urbis 694, Mundi 3891, ante C. N. 57,] *Meſſalla Corvinus Orator naſcitur.*

VII. At verò cum his minimè convenit, qvod Autor dialogi de corruptæ eloqventiæ cauſis cap. XVII, §. VII, de Corvino ait: *Corvinus in medium Auguſti principatum, Aſinius pœne ad extremum duravit.* Qvando principatus Auguſti cœperit, Tacitus lib. I, Annalium, cap. I, §. III. indicat: *Non Cinnæ, non Sullæ longa dominatio: & Pompeji Craſſiq́; potentia citò in Cæſarem; Lepidi atq; Antonii arma in Auguſtum ceſſere: qvi cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine Principis ſub imperium accepit.* Et cap. IX, §. V, de Auguſto: *Multa Antonio, dum interfectores patris ulciſceretur, multa Lepido conceſſiſſe. Poſtqvam hic ſocordiâ ſenuerit, ille per libidines peſſum datus ſit, non aliud diſcordantis patriæ remedium fuiſſe, qvam ut ab uno regeretur. Non regno tamen, neq; dictatura, ſed Principis nomine conſtitutam Rempublicam.* Jam ſi ab Antonio victo, & compoſitis bellis civilibus, id eſt, ab anno Urbis 722, Auguſti principatus, qvem ab eo tempore qvadraginta qvatuor annis tenuit, initium duxit; medius, ad qvem Meſſalla noſter vitam produxit, circa Urbis 744, Mundi 3941, ante nativitatẽ Chriſti ſeptimum annum, fuerit.

ARTICULUS II.
M. Valerii Corvini Meſſallæ Scripta.

I. M. Valerius Corvinus Meſſalla cum de aliis rebus, tum de Romanis etiam familiis libros aliqvot ſcripſit. Plinius lib. XXXV, cap. II: *Exſtat Meſſallæ Oratoris indignatio, qvâ prohibuit inſeri genti ſuæ Levinorum alienam imaginem. Similis cauſa Meſſallæ ſeni expreſſit volumina illa qvæ de familiis condidit.*

II. Ejus nomen præ ſe fert de Cæſaris Auguſti progenie libellus, qvem primus omnium Jacobus Bedrotus Pludentinus edidit. Qvẽadmodum vero libellus ille titulo minus reſpondet, cum ſit hiſtoriarum Romanarum qvoddam compendium: Sic incipit â Dardani, qvem Jovis & Electræ filium antiqvitas ſtatuit, in Phrygiam adventu, id eſt, ab anno Mundi 2471, ante Romam conditam 727, ante C. N. 1477: deſinit in Legatione Indorum ad Cæſarem Auguſtum anno Urbis 734, Mundi 3931, ante C. N. 17, ſuſcepta.

 III. Pro-

III. Prodiit Floro ſubjunctus, Coloniæ Agrippinæ M.D.XL, in 8, & Moguntiæ M.D.LI. in 8: Livio præmiſſus, Pariſiis M.D.LII, in f: Francofurti ad Mœnum M.D.LXVIII. in f: ibidem M.D.LXXVIII, in f: prætterea, inter antiqvæ hiſtoriæ Autores, qvos Dionyſius Gothofredus collegit, Lugduni M.D.XCI, in 16; inter hiſtoriæ Romanæ Scriptores, qvos Fridericus qvidem Sylburgius edidit, cum diverſis locorum ſcripturis ab eodem notatis, tomo I, Francofurti ad Mœnum M.D.LXXXVIII, in f: qvos autem Janus Gruterus publicavit, tomo II, Hanoviæ M.DC.X, in f.

ARTICULUS III.
Judicia de libello, qvi hodiè M. Valerio Corvino Meſſallæ adſcribitur.

I. Caſpar Barthius lib. XIX, Adverſariorũ, cap. XIV: *Ævo ſeqviori aut in ſeqvius eunte, Glorioſo, pro incluto, Regũ Imperatorumq; fuit titulus. Liberius ad Conſtantiũ: Glorioſiſſimo Conſtantio Auguſto Liberius. Sic planus ille, qvi nomine Meſſallæ Corvini librũ medio ævo ſcriptum inſcripſit, glorioſiſſimum gentium Imperatorem Auguſtum vocat.*

II. Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XVIII: *Exſtat hodieq; ſub Meſſallæ nomine de progenie Auguſti Cæſaris libellus. Sed eſt is ſcriptor plane ſuppoſititius, veriſſimeq; à Barthio proditum, eſſe medii ævi fœtum.* Idem de Philologiâ cap. XIII, §. VI: *Qvi hodie Meſſallæ tribuitur liber de progenie Auguſti Cæſaris, ſuppoſititius eſt.*

CAPUT VIII.
DIONYSIUS HALICARNASSENSIS.

ARTICULUS VIII.
Dionyſii Halicarnaſſenſis Vita.

I.

Dionyſius, Alexandri filius, Halicarnaſſum, Cariæ urbem, natalem habuit; ſicut ipſe lib. I, antiqvitatum Romanarum, cap. VIII, extremo refert.

III. Qvo

II. Qvo tempore vixerit, eodem in libro, cap. VII, his verbis indicat, Sigismundo Gelenio interprete: *Ego appulſus in Italiam poſt finem bellis civilibus jam jam impoſitum ab Auguſto Cæſare, circa mediam Olympiadem CLXXXVII, ex illo tempore in hanc diem exactis Romæ annis XXII, aſſecutus Romanum ſermonem ejusq; regionis litteras, toto eo tempore paravi mihi, qvæ putarem ad hoc opus accommoda, partim ex doctiſſimorum hominum colloqviis, partim ex laudatorum ab his virorum commentariis, qvos ſuperiora tulerunt ſæcula.* Qvæ cum ita ſint; ſi anno Urbis 723, qvi eſt Olympiadis 187, annus 3, Mundi 3920, ante C. N. 28, Dionyſius in Italiam venerit: cum illud, unde qvædam adduximus, hiſtoriæ ſuæ proœmium componebat, agebatur Olympiadis 193, annus I, Urbis 745, Mundi 3942, ante C. N. 6.

III. Cum his conveniunt, qvæ in eodem libro, cap. III, de urbe Roma commemorat: *Statim, ex qvô primum eſt condita, propinqvas gentes multas & bellicoſas ſibi adjunxit, atq; in ſubjugandis adverſariis omnibus in dies progreſſus fecit. Qvod tempus jam annorum eſt DCCXLV, usq; ad Claudium Neronem iterum, & Calpurnium Piſonem, Conſules, qvi magiſtratum hunc iniverunt Olympiade CXCIII.*

ARTICULUS II.

Dionyſii Halicarnaſſenſis Scripta.

I. Dionyſius Halicarnaſſenſis antiqvitatum Romanarum libros XX, compoſuit, ut Photius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Bibliotheca ſua, Codice LXXXIII, tradit. Et has qvidem antiqvitates ſive hiſtorias ad initia primi belli Punici, Olympiadis CXXVIII, annum III, [qvi eſt Urbis 487, Mundi 3684, ante C.N.264,] perduxit, qvemadmodum ipſe commemorat lib. I, cap. VIII.

II. Ex hoc Opere undecim priores libros injuria temporum nobis integros reliqvit. Primus, præmiſſis qvibusdam de antiqvisſimis Italiæ cultoribus, præſertim Aboriginibus, qvorum Rex Janus anno Mundi 2621, ante bellum Trojanum 137, ante Urbem conditam 577, ante Chriſti Nativitatem 1327, in Italiam venit, incipit â Roma condita, ſive anno Mundi, 3198, ante C. N. 750: Ultimus finitur in M. Geganii Macerini ſecundo, & T. Qvintii Capitolini qvinto Conſulatu, anno Urbis 312, Mundi 3509, ante C. N. 439.

III. Hos undecim libros Sigiſmundus Gelenius [cujus interpretationem majore curâ Fridericus Sylburgius emendavit] & Æmylius Portus ex Græco in Latinũ tranſtulerunt: Henricus Stephanus, Fr. Sylburgius, Æm. Portus, Iſaacus Caſaubonus annotationibus ſuis illuſtraverunt. Prodierunt, Græcè & Latinè, Gelenio interprete, cum Sylburgii, tum ad ipſos, tum ad Latinam verſionem notis, Francofurti ad Mœnum M. D. LXXXVI, in f: Latinè tantum, Porto interprete, cum ejusdem, Stephani, & Caſauboni notis, Lugduni M. D. XCII, in f.

IV. Ex perditis libris Excerpta qvædam de Legationibus extant. Incipiunt â Legatione Romanorum ad Neapolitanos de non lædendis imperio Romano ſubditis, L. Cornelio Lentulo, Q. Publio Philone, Coſſ. anno Urbis 427 Mundi 3624, ante C. N. 324, ſuſcepta. Deſinunt in Romanorum Legatione ad Pyrrhum Epirotarum Regem de reddendis captivis, P. Valerio Lævino, Tiberio Coruncanio Coſſ. anno Urbis 473, Mundi 3670. ante C. N. 278, ſuſcepta.

V. Primus hæc Excerpta Fulvius Urſinus, inter aliorum Hiſtoricorum Selecta, cum ſuis notis, tantum Græcè publicavit, Antverpiæ M. D. LXXXII, in 4. In Latinum Fridericus Sylburgius vertit. Græcè, cum hujus, & interpretatione Latina, & notis, qvas Urſinianis inſeruit, inter Opera Dionyſii prodierunt Francofurti ad Mœnum M. D. LXXXVI, in f.

VI. Qvin & alia qvædam ſuperſunt Excerpta: qvæ incipiunt â Romanorum in Tuſculanos, qvorum oppidum â Latinis occupatum, inter alios, L. Qvintio & Servio Sulpitio, militum tribunis poteſtate conſulari, anno Urbis 379, Mundi 3576 ante C. N 372, armis recuperaverant, lenitate: finiuntur in Pyrrhi, Epirotarum Regis, clade, qvam, poſt repetitum ex Sicilia in Italiam tranſitum, â Romanis [ob Proſerpinæ templum apud Locrenſes ſpoliatum, ut Locrenſium etiam Legati apud Livium lib. XXIX, cap. XVIII, interpretantur] tandem bello ſuperatus, accepit, M. Curio Dentato III, & L. Cornelio Lentulo Coſſ. anno Urbis 478, Mundi 3675, ante C. N. 273.

VII. Primus hæc, ex Imperatoris Conſtantini Porphyrogenetæ Collectaneis de virtutibus & vitiis, Nicolai Fabricii Peireſcii, in ſupremo Aqvenſium Senatu Regis Conſilarii beneficio acqviſita, inter

ter aliorum veterum Scriptorum Excerpta, Græcè, cum interpretatione ſuâ Latinâ, ſuisq; notis publicavit Henricus Valeſius, Pariſiis M. DC. XXXIV, in 4.

ARTICULUS III.
Judicia de Dionyſii Halicarnaſſenſis Hiſtoriarum libris.

I. Euſebius lib IV, Præparationis Evangelicæ, cap. VII, ubi de antiqvâ homines immolandi conſvetudine agit, Georgio Trapezuntio interprete: *Dionyſium Halicarnaſſeum, virum Romanæ hiſtoriæ ac Italicæ peritiſſimum hujus ſceleris teſtem adducam.*

II. Evagrius lib. V, hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. XXIV, Joanne Chriſtophorſono interprete: *Qvod pertinet ad res geſtas Romanorum, qvæ totius pœne orbis terrarum hiſtoriam complectuntur, ſunt iſta à Dionyſio Halicarnaſſeo accuratè ſcriptis prodita.*

III. Photius in Bibliotheca, Codice LXXXIII, interprete Andrea Schotto: *Stylus ejus atq; dictio, qvæ novatorem deceat; & verò per inſvetam vulgo viam orationem impellit. At rerum ſingularum minuta explicatio & ſenſus, illi qvandam ſimplicitatem adfert, & ne ad ingratum ſermonem atq; aſperum abripiatur, vetat. Digreſſionibus utitur non rarò: qvare hiſtoriæ faſtidium levat, reficitq; lectorem interdum ac retinet. Ut autem verbo expediam, orationis elegantiâ, rerum particularium narratione & digreſſione temperata, dictionem in aſperitatem abituram lenit.*

IV. Suidas, interprete Hieronymo Wolfio: *Dionyſius Alexandri filius Halicarnaſſenſis, Rhetor in omni litterarũ genere præclarè verſatus.*

V. Henricus Glareanus ad Carolum V, Imperatorem, epiſtola, qvam in Livium annotationibus ſuis præmiſit: *Si qvis veterem imperii originem apud Dionyſium legat, ac cum Liviana brevitate comparaverit, videbit opinor, nos haud immeritò prætuliſſe Dionyſii curam ac diligentiam Livii feſtinationi: adeò circumſpectè omnia Dionyſius; adeo negligenter Livius ea tractaſſe videtur.*

VI. Joannes Bodinus Methodo hiſtoriarum cap. IV: *Dionyſius Halicarnaſſeus, præter moderatum dicendi genus & Atticam puritatem, antiqvitates Romanorum ab ipſius urbis origine, tanta diligentia conſcripſit, ut Græcos omnes ac Latinos ſuperaſſe videatur. Nam qvæ Latini, qvaſi per-*

pervulgata neglexerunt, puta ſacrificia, ludos, triumphos, magiſtratuum inſignia, tum univerſam Romanorum in gubernanda Rep. diſciplinam, cenſum, auſpicia, Comitia, totiusq; populi difficilem in claſſes ac tribus partitionem; poſtremò Senatus autoritatem, juſſa plebis, magiſtratuum imperia, populi poteſtatem, unus omnium accuratiſſimè tradidiſſe mihi videtur. Qvæ ut planius intelligerentur, Græcorũ leges ac ritus cum Romanis inſtitutis cõparat, ut, cum jura clientelarum, qvæ Romulus inſtituit, [qvanqvam ea qvoq; Gallorum communia fuiſſe tradit Cæſar] ab Athenienſibus & Theſſalis altius repetit: ac Romanorum Dictatorem parem poteſtatem habuiſſe, atq; Harmoſten Lacedæmoniorum, Archum Theſſalorum, Æſymnetem Mitylenæorum. Leges autem Romuli, Numæ, Servii, unà cum antiqva Romanorum origine, ſine hoc autore, penitus interiiſſent: qvæ Latini, qvaſi pervulgata, negligenter omiſerunt.

VII. Claudius Verderius cenſione in Autores: *Cui tædio non ſit Halicarnaſſei prolixitas? conſilia qvidem, deinde acta, poſtea eventus, Ciceronis judicio, narrare oportet: ſed magnas conciones in genere deliberativo pro utraq; & adverſus utramq; partem facere, moleſtum vitioſumq; eſt.*

VIII. Fridericus Sylburgius ad Senatum Francofurtenſem epiſtolâ, qvam Dionyſio præmiſit: *Dionyſius Halicarnaſſeus autor tam gravis & utilis, ut inter omnes & Græcos & Latinos Hiſtoricos vix ullus ei præferendus videatur.* Ibidem, cum plura de hiſtoriarum, qvas Dionyſius recenſet, argumento dixiſſet: *Multas antiqvitates, partim à Latinis prætermiſſas, e vetuſtiſſimis monumentis eruit, & ſuo qvasq; loco exponit. In qvibus tam accuratus & copioſus eſt, ut, qvæ Livius tribus duntaxat libris eſt complexus, ipſe in undecim diffuderit, adeò, ut Liviana hiſtoria, ſi cum hac conferatur, tantum epitome, aut pulcerrimi corporis adumbrata imago eſſe videatur.*

IX. Antonius Poſſevinus lib. XVI, Bibliothecæ ſelectæ, Cap. VI: *Dionyſius Halicarnaſſeus de Romanis multo verius ac melius ſcripſit, qvam Fabius, Salluſtius aut Cato.* Ibidem poſt qvædam: *Dionyſius igitur Halicarnaſſeus cujus major fides eſt in hiſtoria, qvam Livii, Tranqvilli, Taciti, Arriani, qvod de aliena, non de ſua Rep. ſcripſit, & omnium commentarios ac civitatis arcana ex actis publicis collegit, præter moderatum dicendi genus & Atticam puritatem, antiqvitates Romanorum, ab ipſius origine urbis tanta diligentia conſcripſit, ut Græcos omnes ac Latinos ſuperaſſe*

peraſſe videatur. Qvæ ſeqvuntur, iisdem verbis apud J. Bodinum, ſicut ex eo ſupra §. VI, adducta ſunt, exſtant. Eadem Poſſevinus in Apparatu ad omnium gentium hiſtoriam ſectione II, cap. XIII, repetit.

X. Juſtus Lipſius lib. IV, epiſtolicarum qvæſtionum, epiſtolâ III: *Gaudeamus* [Dionyſii aliorumq; fragmenta reperta]; *de Dionyſio & Polybio inprimis: qvibus nihil poteſt in hiſtoria verius, prudentius.*

XI. Joſephus Scaliger initio Animadverſionum in Euſebii Chronologica: *Accuratè qvidem illi* [Hecatæus Mileſius & alii ante Herodotum] *qvæcunq; vel in veteribus monumentis, vel apud Poëtas, vel etiam in vulgaribus carminibus exſtabat priſcarum rerum memoria, eam in litteras referre ſtuduerunt: ſed qvia deſignationem temporum, qvæ Chronographiæ anima eſt, omiſerunt, ii plus laboris poſteritati ab omiſſione, qvam fructus à diligentia contuliſſe judicati ſunt. Itaq; Ephoro, Thallo, Theopompo, Caſtori, Eratoſtheni, & omnium diligentiſſimo Dionyſio Halicarnaſſenſi occaſio præbita hujus ſcriptionis diligentius tractandæ, qvæ qvidem vocatur χρονογραφία, cujus materia tempus, partes verò χρονολογία & κανόνες.*

CAPUT IX.

TITUS LIVIUS.

ARTICULUS I.

T. Livii Vita.

I.

Titus Livius ſine dubio qvidem Patavinus eſt: utrum verò in ipſa Patavinorum urbe an in vico Patavinis ſubjecto natus ſit, in controverſiam venit. De qvô videantur Philippus Cluverius lib. I, Italiæ antiqvæ, cap. XVIII: Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XIX: & interpretes Martialis ad lib. I, epigramma LXII.

II. Sicut Euſebius lib. II, Chronicorum, ad annum M.DCCCC. LVIII, refert, in hanc lucem editus eſt olympiadis CLXXX, anno II, qvi eſt Urbis 694, Mundi 3891, ante C. N. 57. Tempus, qvô hiſtoriam ſuam, ſi non omnem, tamen qvà priorem ejus partem, compoſuerit,

lib. I,cap.XIX,indicat,de Jano inqviens: *Bis deinde poſt Numæ regnum clauſus fuit: ſemel T. Manlio Conſule, poſt Punicum primum perfectum bellum: iterum, qvod noſtræ ætati dii dederunt, ut videremus, poſt bellum Actiacum, ab Imperatore Cæſare Auguſto, pace terrâ mariq; parta.* Qvæ intra Urbis conditæ 725, & 730 annum, ſcripſerit, opinor. Nam anno qvidem 725, qvô Auguſtus qvintum Conſul, inteſtinis bellis feliciter confectis, triumphavit, Auguſti ætate, Jani templum primâ vice: anno autem 730, ſub eodem Imperatore, Cantabris devictis rurſus clauſum eſt. Qvem poſteriorem annum, cum Jani ſuâ ætate qvidem ſemel clauſi mentionem faciat, non videtur reſpicere Livius.

III. Qvam latè ipſius fama olim qvoq; diffuderit ſe, Plinius docet lib. II, epiſt. III: *Nunqvamne legiſti Gaditanum qvendam, T. Livii nomine gloriaq; commotum, ad viſendum eum ab ultimo terrarum orbe veniſſe, ſtatimq; ut viderat, abiiſſe.* Idem Hieronymus in epiſtola, qvam ad Paulinum ſcripſit, commemorat.

IV. Qvemadmodum Euſebius ſupra nominato Chronico ad annum MM. XXXIII, tradit, Patavii ſuum obiit fatum, Olympiadis C. XCIX, anno I, Tiberii IV, qvi eſt, Urbis 769, Chriſti 17: annos LXXVI natus.

V. Honorifica monumenta, qvæ Livio Patavini poſuerunt, Bernardinus Scardeonius lib. I, de antiqvitatibus Patavinis, claſſe III: Tobias Fendtius in Sepulcrorum monumentis, num. II, & III: Paulus Merula parte II, Coſmographiæ, lib. IV, cap. XXXVI: Sertorius Urſatus lib. I, monumentorum Patavinorum ſectione I, repræſentant.

ARTICULUS II.

T. Livii Scripta.

I. T. Livius hiſtoriarum Romanarū libros CXL compoſuit: qvos in bello Germanico & Druſi morte, id eſt, in anno Urbis 744, Mundi 3941, ante C. N. 7, finiit.

II. Prima librorum decas integra ſupereſt. Ex his primus, in meliorem Urbis conditorum notitiam Lectores adducturus, qvibusdam â Troja capta, cujus excidium in annum Mundi 2767, ante

Urbem

Urbem conditam 431, ante C. N. 118, incidit, præmiſſis, incipit à Roma condita, ſive anno Mundi 3198, ante C. N 750: Ultimus terminatur in L. Papirii Curſoris, Sp. Carvilii Maximi, Conſulatu, anno Urbis 460, Mundi 3657, ante C. N. 291.

III Secundam librorum decadem infelicia tempora nobis abstulerunt. Seqventes, ex qvibus non nulli ſunt mutili, à vigeſimo primo, ad qvadrageſimum qvintum, exſtant. Incipit XXI liber ab actis Belli Punici ſecundi, cujus initium incidit in annum Urbis 534, Mundi 3731, ante C. N. 217, qvô Saguntum, Hiſpaniæ urbem, populo Romano amicam, Hannibal contra fœdus obſeſſam cepit ac evertit. Liber XLV deſinit in Pruſiæ, Bithynorum Regis, qvi cum filio Nicomede Romam venerat, abitu, ſive in Q. Ælii Pœti, M. Junii Penni Conſulatu, anno Urbis 586, Mundi 3783, ante C. N. 165. Reliqvi libri, qvi exceperunt qvadrageſimum qvintum, omnes perierunt.

IV. Præterea ſub Titi Livii nomine fragmentum reperitur, qvod hiſtoriarum ab Urbe condita liber XLIII vocatur. Id à Franciſco Bartholino Urbinate JC. qvi è codice vetuſto Bibliothecæ Capituli Eccleſiæ Bambergenſis deſcripſerat, nactus, Caſpar Luſignanus Venetus, primus edidit. Haudqvaqvam verò, qvæ ad XLIII, ſed talia, qvæ ad XXXIII, librum ſpectant, continet.

V. Dicta Livii Opera illuſtraverunt Laurentius VALLA. Marcus Antonius SABELLICUS, Joannes VELCURIO, Beatus RHENANUS, Sigismundus GELENIUS, Henricus GLAREANUS, Carolus SIGONIUS, Theodoricus MORELLUS, Joannes SAXONIUS, Guilielmus GODELEVÆUS, Franciſcus MODIUS, Fulvius URSINUS, Marcellus DONATUS, Federicus MORELLUS, Janus GRUTERUS, Joannes Fredericus GRONOVIUS.

VI. Prodierunt, Venetiis M. D. XVIII, in 8: cum *Rhenani* & *Gelenii* annotationibus, Baſileæ M. D. XLIII, in f: cum *Vallæ* emendationibus, *Sabellici*, *Rhenani* & *Gelenii* annotationibus, Pariſiis M. D. LII, in f: cum *Sigonii* ſcholiis, Venetiis M. D. LV, in f: ibidem M. D. LXVI in f: cum *Vallæ*, emendationibus, *Sabellici*, *Velcurionis*, *Rhenani*, *Gelenii Glareani*, annotationibus, *Sigonii* ſcholiis, *Theodorici Morelli* emendationibus, *Saxonii* commentariolo, *Godelevæi* obſervationibus, Francofurti ad Mœnum, M, D. LXVIII, in f: ibidem M. D. LXXVIII,

in f: cum *Godelevæi* obſervationibus, ibidem M. DC. XIX, in 8: ibidem M. DC. XXXIV, in 8: cum *Vallæ* emendationibus, *Sabellici, Rhenani, Gelenii, Glareani* annotationibus, *Sigonii* ſcholiis, eorundemq; contra Henricum Glareanum & Franciſcum Robortellum defenſionibus, *Godelevæi* annotationibus, *Modii* & *Urſini* notis, *Donati* dilucidationibus, *Federici Morelli* excerptis ex Livio moralibus, politicis & hiſtoricis, Pariſiis M. DC. XXV, in f: cum *Godelevæi* obſervationibus & *Gruteri* maximâ parte politicis notis, Francofurti ad Mœnum, M. DC. XXVIII, in f: cum *Gronovii* notis, Lugduni Bat. M. DC. LIV, in 12.

VII. In eadem Livii opera, ſed non addita, prodierunt *Urſini* notæ, cum, Hiſtoricorum fragmentis ab Antonio Auguſtino collectis, Antverpiæ M. D. XCV in 8: *Donati* dilucidationes, tomo VI, Theſauri Critici, qvem Janus Gruterus collegit, Francofurti ad Mœnum M. DC. XII, in 8.

ARTICULUS III.
Judicia de T. Livio.

I. M. Annæus Seneca Svaſoriâ VII: *Ut eſt naturâ candidiſſimus omnium magnorum ingeniorum æſtimator T. Livius pleniſſimum teſtimonium Ciceroni reddidit.*

II. L. Annæus Seneca lib. I, de Ira, cap. XVI: *Non eſt, qvod exiſtimes verum eſſe, quod apud diſertiſſimum virum Livium dicitur, vir ingenii magni magis, qvam boni. Non poteſt illud ſeparari: aut & bonum erit, aut nec magnum.* Idem de tranqvillitate animi cap. IX, de Bibliotheca Alexandrina: *Alius laudaverit, ſicut Livius, qvi elegantiæ regum curæq; egregium id opus ait fuiſſe. Non fuit elegantia illud aut cura, ſed ſtudioſa luxuria.* Idem epiſtolâ XLVI: *Librum tuum, qvem mihi promiſeras, accepi, & tanqvam lecturus ex commodo adaperui, ac tantum deguſtare volui. Deinde blanditus eſt ipſe, ut procederem longius: qvi qvam diſertus fuerit, ex hoc intelligas licet. Brevis mihi viſus eſt, cum eſſet nec mei, nec tui corporis, ſed qvi primo adſpectu, aut T. Livii, aut Epicuri poſſet videri. Tanta autem dulcedine me tenuit & traxit, ut illum ſine ulla dilatione perlegerem.*

III. Plinius ad Veſpaſianum epiſtolâ, qvam hiſtoriæ ſuæ naturali præmiſit: *Eqvidem ita ſentio, peculiarem in ſtudiis cauſam eorum*

rum eſſe, qui difficultatibus victis, utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi; idq; jam & in aliis operibus ipſe feci, & profiteor mirari me T. Livium, autorem celeberrimum, in hiſtoriarum ſuarum, qvas repetit ab origine Urbis, qvodam volumine ſic orſum: Satis jam ſibi gloriæ qvæſitum: & potuiſſe ſe deſinere, nî animus inqvies paſceretur opere. Profectò enim populi gentium victoris, & Romani nominis gloriæ, non ſuæ compoſuiſſe illa decuit. Majus meritum eſſet, operis amore, non animi cauſa perſeveraſſe: & hoc populo Romano præſtitiſſe, non ſibi.

IV. Martialis lib. XIV, epigr. CXC:

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Qvem mea non totum Bibliotheca capit.

V. Qvintilianus lib. I, cap. V: *Peregrina* [verba] *ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines, ut inſtituta etiam multa, venerunt. Taceo de Tuſcis & Sabinis, & Prœneſtinis qvoq;. Nam ut eorum ſermone utentem Vectium Lucillius inſectatur: qvemadmodum Pollio deprehendit in Livio Patavinitatem.* Idem lib. VIII, cap. I: *In T. Livio miræ facundiæ viro putat ineſſe Pollio Aſinius qvandam Patavinitatem.* Et lib. X, cap. I: *Neq; illa Livii lactea ubertas ſatis docebit eum.* Ibidem poſt multa: *Nec opponere Thucydidi Salluſtium verear; nec indignetur ſibi Herodotus æqvari T. Livium, cum in narrando miræ jucunditatis, clariſſimiq; candoris, tum in concionibus, ſupra qvam enarrari poteſt, eloqventem: ita dicuntur omnia cum rebus, tum perſonis accommodata. Sed affectus qvidem, præcipuè eos, qvi ſunt dulciores, ut parciſſimè dicam, nemo hiſtoricorum commendavit magis. Ideoq; immortalem illam Salluſtii velocitatem diverſis virtutibus conſecutus eſt. Nam mihi egregiè dixiſſe videtur Servilius Novianus, pares eos magis, qvam ſimiles.*

VI. Cremutius Cordus apud Tacitum lib. IV, annalium, cap. XXXIV, §. III: *Titus Livius eloqventiæ ac fidei præclarus in primis, Cn. Pompejum tantis laudibus tulit, ut Pompejanum eum Auguſtus appellaret. Neq; id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipſum Caſſiū, hunc Brutum, nuſqvam latrones & parricidas, qvæ nunc vocabula imponuntur, ſæpe, ut inſignes viros nominat.* Tacitus in Agricola cap. X, §. III: *Livius veterum, Fabius Ruſticus recentium eloqventiſſimi autores.*

VII. Svetonius in Caligula cap. XXXIV: *Sed & Virgilii & T. Livii ſcripta & imagines, parum abfuit, qvin ex omnibus Bibliothecis amoverit:*

qvorum alterum, ut nullius ingenii, minimæq́ doctrinæ: alterum ut verboſum in hiſtoria negligentemq́ carpebat.

VIII. Autor itinerarii, qvod Antonino Imperatori adſcribitur: *Tiberinum iter fertur Fano Voltornæ, cujus claris geſtis invidit Livius.*

IX. Joannes Annius commentario in Antonini Imperatoris Itinerarium: *Qvid ſibi velit, qvod ait, cujus præclaris geſtis invidit Livius, equidem alii alia exiſtimant. Dicam & ipſe opinionem meam. Svetonius Tranqvillus in vita C. Caligulæ ſcribit, paululum abfuiſſe, qvin ab omnibus Bibliothecis ſtatuas & ſcripta Livii deleret, quod illum, uti verboſum & negligentem in hiſtoria carpebat. Eſt autem negligens is, qvi ſupprimit, quæ referenda ſunt; & verboſus, qvi absq́ probatione contradicit afferenti rationes & autores. Et his duobus peccavit Livius in multis, ut patet. Sed ex multis qvoad fanum Volturnæ, hæc exempla ſint. Cœlius Tuſcus Lartes Fani juvit Romulum implorantem ab eo auxilium contra Ceninenſes, Cruſtuminos & Latinos, & retulit triumphum. Et id idem fecit contra Sabinos Galeritus Lucumo. Et ob id ipſe primus poſuit prætoria Romæ, & diviſa Roma in tres tribus impoſuit nomina, & tertiam partem dedit Tuſcis, ut clarè tradunt Propertius in elegia ad Vertumnum, & altera paululum præcedente, & Varro in primo de Lingva Latina, & Fabius Pictor de origine urbis Romæ, & Dionyſius Halicarnaſſenſis in ſecundo libro. & Mythici ſub fabula Jani ejaculantis aqvas ſulfureas in Sabinos, ut Macrobius in primo Saturnaliorum, & Ovidius in primo de Faſtis indicant. At lividus fuit Livius, ut hic notat Antoninus, qvi, ut funditus exſtingveret Tuſcorum ſplendorem, & triumphos obnubilaret ab eis partos, non à Romulo geſtos omnino etiam ſcribere unum verbum neglexit. Qvod profectò invidiſſimi hominis eſt officium, & negligentis veritatem in hiſtoria. Similiter fuit verboſus, qvia absq́ certo autore & probatione dicit contra Varronem, qvod Lucerum nomen eſt incertæ originis. Fabius enim Pictor, antiqvior eo, oſtendit ab hiſtoria eſſe Etruſcæ originis atq́ certiſſimæ. Rurſus Livio antiqvior & doctior Varro in primo de lingva Latina dicit eſſe certæ originis, à Lucumone Luceres dictos, idq́ probat vetuſtiſſimis autoribus, Junio & Tolunnio Tuſcarum Tragœdiarum ſcriptore, & item inexpugnabili argumento, qvod Luceres eſt derivatio Etruſca à Lucumone, & non Latina à Luco Aſyli, ut Pœdianus & Plutarchus in vita Romuli turpiter in Grammatica Latina aberrantes dicunt, qvia Lucus Latinè à luceo verbo per antiphraſin derivatur, & à Luco Lucii & Lu-*

& Lucani Latina derivatio eſt, & non Luceres, ut lingvæ Latinæ peritiſſimus Varro oſtendit. Non eſt igitur mirum, ſi Cæſar excanduit ira contra ſcripta Livii negligentia & ſupprimentia, qvæ clariſſima erant, & eum appellavit jure verboſum, qvi contra Varronem afferentem teſtes antiqviſſimos, & invincibilem rationem, verboſa ſolum & anili loqvacitate dixit, Lucerum nomen eſt incertæ originis. Et ideo, ut utamur regula beati Hieronymi, eadem facilitate Livius & omnes alii ſimiles contemnuntur, qvâ ſine ratione ac certo autore, contra doctiores ſola verboſitate uſi proferunt. Cum verò conſtet, Livium non ignoraſſe, qvæ Varro & Fabius Pictor, & alii referunt, conſtat eqvidem illum, non ignoratione ſcientiæ, ſed malignitate naturæ in hiſtoria neglexiſſe dicenda, & verboſè dixiſſe ſubticenda. Et ob id, uti Cajus, ita & Antonius Cæſar eum arguit invidiæ, dicens: Volturnæ præclaris geſtis invidit Livius.

X. Joannes Baptiſta Pius annotationũ poſteriorum cap. XXII: *Liviana majeſtas qvanta cum veneratione doctrinâ polleat, noverunt hi, qvi rectè de lingva Romana ſentiunt.*

XI. Lucius Joannes Scoppa lib. I, Collectaneorum, cap. XVIII: *Livius Hiſtoricus luculentiſſimus in primo ab Urbe condita: Eodem, inqvit, tempore, & centuriæ tres eqvitum conſcriptæ ſunt: Ramnenſes à Romulo; à Tito Tatio Titienſes appellati; Lucerum nominis & originis cauſa incerta eſt. Hæc Livius: non qvod, ut mea eſt ſententia, Lucerum originem ignoraret, ſed perinde ac Gallus Ciſalpinus, & Hetruſcæ Italæq; gloriæ invidens conſcripſit: qvod Antoninus Cæſar in ſuo Itinerario his verbis arguit: Vulturna, cujus claris geſtis invidit Livius. Et C. Caligula, Tranqvillo in Caligulæ vita ſcribente, paulum abfuit, qvin ſtatuas & ſcripta Livii ab omnibus Bibliothecis amoveret, tanqvam verboſum & in hiſtoria mendacem. Scius ergo erat Livius, ſed ut invidus omiſit.*

XII. Ptolemæus Flavius Centuria Conjectaneorum cap. XLV: *Patavinitatem, qvam Aſinius Pollio in T. Livii oratione ineſſe putabat, ſic accipit Fabius Qvintilianus lib. VIII, ut idem reprehenſum nitidiſſimum Hiſtoricum videatur adſtruere, qvod plerumq; peregrina & externa illius redoleat oratio. Qvare, inqvit, ſi fieri poteſt, & verba omnia, & vox hujus alumnum urbis oleant, ut oratio Romana planè videatur, non civitate donata. Atqvi ſi res ita ſe habet: ut ad optimam & omnibus conſtantem numeris orationem, reqviratur etiam, qvod opus eſt in urbe naſci, ne qvod Theophraſto*

phraſto Athenis, aliis qvoq; Romæ peregrini & hoſpitis nomen objiciatur, dicemus in ipſo qvoq; M. Tullio Arpinitatem ineſſe. Sed cum ſciamus Liviũ, ipſum eloqventiæ parentem Ciceronem omnibus prætuliſſe, qvod datur intelligi ex ejus ad filium epiſtola, in qvâ hortatur illum, ut M. Tullium vel ejus qvam ſimilliſſimos imitetur; & eum eſſe nitorem Livianæ hiſtoriæ perſpiciamus, ut nihil non Romanam redoleat orationem; aliud certè ſignificare voluiſſe Aſinium Pollionem per Patavinitatem adſtruemus, cum nullum legatur in Livio verbum, niſi probum & verè Romanum. Nam qvod Franciſcq Philelphus in familiari ſcribit epiſtola, eam eſſe in Livio Patavinitatem à Pollione taxatam, qvod plerumq; neglexerit ſeqvi vulgare genus orationis, & ſe communis ſenſus conſvetudini minus accommodarit, non ſeqvor, ſed illud Aſinium innuiſſe ſuſpicor, qvod cum placeret ſibi breviſſimus dicendi modus, & nihil probaret, qvod pluribus explicetur, & lacteam ubertatem in Livio intueretur, offenſus ea [utpote ingenio ſuo Laconiſmum appetenti ſatis minimè facienti] taxavit in illo Patavinitatem, qvando in hodiernum uſq; diem Patavini malè audiant de effuſiore qvadam ſermonis prolixitate, qvibus hunc tradunt eſſe in loqvendo morem, ut ſemper ab ovo exordiantur, ut & in Bergomatibus ineptitudinem orationis audimus. Hanc igitur dicendi copiam exoſam habens Pollio, & volens [ut illius mordaciſſimum fuit ingeniũ] in Hiſtoricorum principe aliqvid cavillari, cum Patavinæ urbis in loqvendo morem teneret, nihil aliud habens, qvod reprehenderet, objecit, in ejus oratione Patavinitatem ineſſe. Qvomodo enim Livio indulſiſſet Pollio, præcipue hiſtorias taxans, qvi ne Ciceroni qvidem ipſi, & ejus Synchrono Salluſtio pepercerat? Illud interim citra maledicentiam dictum velim, ineſſe interdum [qvod vitiũ indicabat Pollio] in T. Livio multa, qvæ ſine hiſtoriæ damno minus ubertim pleriq; exprimi poſſe exiſtimant. Hanc ego opinionem, non mantelum videri volo, qvoq; Caligula verboſum Liviũ appellabat, ut ſcribit Tranqvillus.

XIII. Leander Albertus in Italia, Guilielmo Kyriandro interprete: *T. Livius Hiſtoricorum princeps fuit. Scripſit Hiſtoriæ Romanæ CXL libros arte ac elegantia tanta, prorſus ut nec ætas ſuperior, neq; tota poſteritas, non modò potiorem, ſed ne parem qvidem ullum habuerit ſcriptorem.*

XIV. Bernardinus Scardeonius lib I. de antiqvitatibus Patavinis, claſſe III: *Scripſit autem, qvicqvid ſcripſerat, tanta eloqventia, tantaq; verborum majeſtate, & ſententiarum gravitate, ut propterea alii lacteum, alii beatum eloqventiæ fontem appellitent.*

Ibi-

Ibidem paulò poſt: *Tanti operis* (hiſtoriarum) *tam egregii, tamq; elaborati, vix exigua pars ſupereſt.* Et poſt qvædam: *Qvod Aſinius Pollio, autore Qvintiliano, ſe deprehendiſſe dixerit in T. Livio qvandam Patavinitatem, qvaſi qvippiam minus Latinè dictum, cum tamen in omni ejus ſermone nihil ſit, qvod ullâ ratione reprehendi ac culpari meritò poſſit, minimè mirandum cenſeo, unum Pollionem hoc dixiſſe, cum is tantæ elationis fuerit, tantumq; ſibi arrogaverit impudens, ut pati non poſſet, ſibi qvemqvam præferri.* Iterum poſt qvædam, cum Pollionis in alios qvoq; ſcriptores maledicentiam oſtendiſſet: *Huic cum non eſſet, qvod Livio noſtro objicere pejus poſſet, objecit, qvod peregrinus eſſet, longiusq; à Latio verſatus: & propterea ſtylum ejus aliqvando Patavinitatē ſapere: qvod & Cicero in oratione de externis oratoribus dixit, oppidanum ſapere & peregrinū. Qvaſi Aſinius ſolus norit, qvicqvam à Livio dictū eſſe ſermone patrio, & non ex Romana & Latina locutione depromtū.*

XV. Joannes Bodinus Methodo hiſtoriarum cap. IV: *Sin conciones de Livio detraxeris, exigua fragmenta reſtabunt. Qvæ cauſa Caligulam impulit, ut ſcripta Livii & imagines de Bibliothecis omnibus prope amoveret.*

XVI. Antonius Poſſevinus lib. XVI, Bibliothecæ ſelectæ, cap. VII: *Et qvidem aliis viſus eſt Livius nimis religioſè vel ſuperſtitioſè ſcripſiſſe. Nihil enim freqventius, qvam boves locutos, ſcipiones arſiſſe, ſtatuas ſudaſſe, qvod pluvio cœlo freqventer accidit; Deum Hannibali apparuiſſe; infantem ſemeſtrem triumphum clamaſſe: ut Polybius ejusmodi ſcriptores Tragœdos appellarit: qvanqvam Polybius de religionibus nefariè ſcripſit. Certè verò negandum non eſt, qvin Livius aliqvantò copioſior in laudibus alienis fuerit. Cum enim P. Sempronium civibus omnibus antetuliſſet (in qvo reliqvis injuria fieri videtur) omnibus humanis à natura fortunaq; bonis congeſtis inſtructum fuiſſe tradit. Nec eo contentus, ſingula copioſè amplificat à generis ſplendore, opibus, eloqventia, forma, ætate, animi magnitudine, diſciplina militari. Furium verò Camillum in cœlum usq; ; Africanum ſupra cœlum tollit; ut mirum videri non debeat, ſi Auguſtus Pompejanum appellavit: qvod in Pompejo laudando ſatietatem explere non potuiſſet. At in reprehenſionibus parcus eſt & gravis.* Eadem Poſſevinus in Apparatu ad omnium gentium hiſtoriam, ſectione III, cap. XI, repetit.

I XVII.

XVII. Fridericus Tilemannus parte III, diſcurſus philologici de Hiſtoricorum delectu: *Scribit Juſtinus lib. XXXVIII, hiſtoriarum (cap. III.) qvod Trogus in Livio & Salluſtio reprehendit, qvod conciones directas ac orationes operi ſuo inſerendo hiſtoriæ modum exceſſerint. Ego qvidem, ut concedam, hiſtoriæ modum non eſſe excedendum: ita hac in parte qvicqvam peccatum eſſe à Livio aut Salluſtio obſtinatè puto negandum; niſi qvis Trogi verba ad alteram partem hiſtoricæ accurationis referenda exiſtimet, qvæ de veritate qværit, ubi Livium & alios finxiſſe orationes, negari neqvit; an finxerint illo fine, ut ſcriptum opus ſpiſſeſceret, aliorum judicium eſto. Perfectionem hiſtoricam Livius diligentiſſimè reſpexit, & regulam ſibi perpetuam conſtituit, non ultra attingere externa, niſi qvà Romanis cohærent rebus, ut ipſe paſſim profitetur.*

XVIII. Juſtus Lipſius lib. IV, epiſtolicarum qvæſtionum, epiſt. X: *Non eſt antiqvarius Livius, fateor: ſed nec omnia in eo protrita, & à fece vulgi. Vetuſtæ dictionis haud dubiè veſtigia exſtarent, absq; correctorum audacia fuisſet.* Idem in notis ad politicorum lib. I, cap. IX: *Eſt Livius magnitudine qvidem & majeſtate operis ante omnes. Diffuſus ille & placidus, in concionibus maximè diſertus; & talis omnino, qvalem Fabius deſcripſit. Patavinitas ei objecta ab Aſinio, id eſt, niſi fallor, ſermonis qvædam peregrinitas, nec tam in verbis, qvam ſtylo toto. Nos qvoq; ſupinum eum alibi, aut frigidum, imò & ταυτολόγον agnoſcimus: derivaturi libenter tamen in exſcriptores hanc culpam. Judiciis ſententiisq; bonus eſt, etſi non freqvens, qvid refert? pro ipſo loqvitur docetq; copia tot eventuum & exemplorum.*

XIX. Lælius Biſciola tomo I, Horarum ſubſecivarum lib. II, cap. VI: *Nobilisſimus hiſtoriæ Romanæ ſcriptor T. Livius.*

XX. Bartholomæus Keckermannus de natura hiſtoriæ cap. III: *Apud Qvintilianum Pollio qvidam Livium reprehendit, & illi qvandam Patavinitatem ineſſe dixit. Plinius etiam ait, Livium fuiſſe ambitioſum, ſibiq; magis, qvam aliis ſcripſiſſe. Sicut qvidem multa in eo loca occurrunt, in qvibus maluit elegantius, qvam integrius ſcribere; improprius, qvam verius: exempli gratiâ, qvando cenſoribus Decemviris majeſtatem attribuit, nihil videlicet prætermittens, qvò ſonantia verba contexat.*

XXI. Caſpar Barthius lib. LX, Adverſariorum, ad Auguſtini lib. I, de Civitate Dei, cap. VI: *Certisſimum hoc, omnes ſcriptores re-*

rum Romanarum, qvi nunc ſunt, data occaſione panegyriſtas ſimul laudum eſſe patriæ ſuæ. Livius, meritò eorum princeps paterq́ue, qvam frigidè aliarum gentium præconia præterit, cum fortiter fecerunt; Gallorum verò etiam deditâ operâ non tam obſcuravit, qvam obruit, & maledictis etiam exſtirpavit, Romanorum autem facinora illuſtria longis præconiis, obliqvis directisq́ue, extollit ubiq́ue.

XXII. Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XIX: *Nihil hoc ſcriptore eſt grandius atq́ue uberius.* Ibidem poſt pauca: *De ſtylo litem intentabat olim Aſinius Pollio, Patavinitatem in eo animadvertere ſe ajebat, ut Fabius teſtatur lib. VIII, cap. I. Nimirum delicatum hominis palatum videbatur ſibi aliqvid ſentire, qvod non usqveqvaq́ue ſaperet genium Romani ſermonis. At non audiendus eſt Keckermannus, qvando hinc colligit, reprehenſum ab Aſinio eſſe ſublimem Livii ſtylum. Uti &, cum à Seneca culpari putat lib. I, de ira, cap. ultimo; & de tranqvillitate cap. IX. Nam longè aliud & Fabium & Senecam velle, nemo diffitebitur, qvi verba eorum attendat. Nec probare illa Lipſii poſſum, viri ab ingenii elegantia & varia eruditione, qvam dictione, laudatioris: Nos qvoq́ue ſupinum eum alibi aut frigidum, imò & ταυτολόγον agnoſcimus: derivaturi tamen libenter in exſcriptores hanc culpam. Cui & ſubſcribere videtur Poſſevinus Bibliothecæ ſelectæ lib. XVI. Uti & judicium eorum ſeqvitur improbantium, qvod ſuperſtitioſè referat prodigia tam multa: ut boves locutos, infantes ſemeſtres triumphum clamaſſe. Qvæ ſanè in gentili laudem magis merentur, cum qvalemcunq́ue numinis cultum ἀθεότητι oporteat præferre. Sed qvid de iſtis dicemus, qvibus ne bona qvidem fidei videtur?* Ibidem, cum & Joannis Annii, & L. Joannis Scoppæ ſiniſtrum de Livio judicium adduxiſſet: *Sed qvid in mentem venit Scoppæ, ut ſe tueretur autoritate Cæſaris Caligulæ? Qvem ignorare non potuit, ſimiliter de Virgilio ſenſiſſe: imò & Homerum contemſiſſe.* Et poſt pauca: *Qvamobrem ſanum neminem movebit autoritas Caligulæ, qvi ut ejusdem Tranqvilli verbis utar, non minore livore ac malignitate, qvam ſuperbia ſævitiaq́ue, pœne adverſus omnis ævi homines graſſatus eſt. Qvod verò ad Antoninum Imperatorem, qvo & ipſo ſe tuetur Scoppa, nusqvam leguntur ea de Livio verba in genuino, ſeu Antonii, ſeu Antonini, ſeu Æthici Itinerario, qvod primùm edidit Joſias Simlerus, poſteaq́ue ex antiqvis codd. correxit & commentario illuſtravit*

Hieronymus Surita Cæſarauguſtanus. Sed ſunt ea verba in Itinerario ficto, qvod Annius Viterbienſis commentus fuit, ac cunctis obeſæ naris, ut germanum obtruſit. Iterum poſt pauca: *Nec magis movere debet Henricus Glareanus, vir variæ eruditionis, cum (præfatione annotationibus in Livium præmiſsâ) Livium bellicoſæ Gallorum gentis res geſtas odiosè tractare, virtutesq; eorum malignè elevare conqveritur. Qvod etiam Barthius facit adverſariorum lib. LX, in Auguſtini de Civitate Dei lib. I, cap. VI. Qvam enim Livius veritati ſtuduerit, vel ex eo conjecturam capere poſſumus, qvod in deſcriptione belli civilis ne Auguſto qvidem in tantum voluerit gratificari, ut aliter res narraret, qvam factum ſciret.*

XXIII. Videantur de Livio judicia, qvæ ſuperius jam adducta ſunt; Juſtini, cap. VI, art. III, §. IX: Flavii Vopiſci, ibidem, §. X: Henrici Glareani, cap. VIII, art. III, §. V: Friderici Sylburgii, ibidem, §. VIII: Antonii Poſſevini, ibidem, §. IX: Gabrielis Naudæi, cap. VI, art. III, §. XXIX.

De T. Livii fragmento ad librum XXXII, qvod inſcribitur liber XLIII.

XXIV. Janus Gruterus in notâ iſti fragmento præmiſsâ: *Eqvidem, cum Polybius iſthæc ferè Græca habeat, neſcio qvid pronunciare debeam.*

XXV. Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XIX: *Qvi nuper tanqvam Livii genuinam, libri XLIII partem majorem è veteri, ut ait, Bibliotheca, primus juris publici fecit; næ ille fucum fecit auritis Midis; non illis, qvibus corculis eſſe datum eſt, & qvi norunt, qvid æra lupinis diſtent.*

CAPUT X.

CAJUS VELLEJUS PATERCULUS.

ARTICULUS I.

C. Velleji Paterculi Vita.

I.

VEllejus Paterculus, Romanus Hiſtoricus, utrum Caji, qvod à pleris-

pleriſq; ſuſtinet, an Marci, an verò Publii prænomen habuerit, in incerto eſt. Hac de re videantur, Juſtus Lipſius in prolegomenis ad Vellejum Paterculum: Idem in commentario ad Taciti lib. III, annalium, num. XCIII; & G. J. Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XXIV.

II. Atavum ſuum maternum nominat commendatq; lib. II, cap. XVI, his verbis: *Neq; ego verecundia domeſtici ſangvinis gloriæ qvicqvam, dum verum refero, ſubtraham. Qvippe multū Minatii Magii, atavi mei, Aſculanenſis, tribuendum eſt memoriæ: qvi nepos Decii Magii, Campanorum principis, celeberrimi & fideliſſimi viri, tantam hoc bello Romanis fidem præſtitit, ut cum legione, qvam ipſe in Hirpinis conſcripſerat, Herculaneum ſimul cum T. Didio caperet, Pompejos cum L. Sulla oppugnaret, Coſamq; occuparet. Cujus pietati plenam populus Romanus gratiam retulit, ipſum viritim civitate donando, duos filios ejus creando prætores, cum ſeni adhuc crearentur.* Avo ſuo paterno tale adſcribit elogium cap. LXXVI: *Qvod alieno teſtimonium redderem, in eo non fraudabo avum meum. Qvippe C. Vellejus, honoratiſſimo inter illos CCCLX judices loco à Cn. Pompejo lectus, ejusdem, Marciq; Bruti ac Tironis præfectus fabrûm, vir nulli ſecundus, in Campania, digreſſu Neronis à Neapoli, cujus ob ſingularem cum eo amicitiam partium adjutor fuerat, gravis jam ætate & corpore, cum comes eſſe non poſſet, gladio ſe ipſe transfixit.*

III. Ipſe Paterculus noſter Tribunus militum fuit. Id his verbis indicat lib. II, cap. CI: *Qvod ſpectaculum ſtantis ex diverſo hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, cum duo inter ſe eminentiſſima imperiorum & hominum coirent capita, perqvam clarum & memorabile, ſub initia ſtipendiorum meorum tribuno militum mihi viſere contigit. Qvem militiæ gradum ante ſub patre tuo, M. Vinici, & P. Silio auſpicatus, in Thracia Macedoniaq;, mox Achaja Aſiaq; & omnibus ad Orientem viſis provinciis, & ore atq; utroq; maris Pontici latere haud injucundâ tot rerum, locorum, gentium, urbium recordatione perfruor.*

IV. Eqvitum in Germania præfectum ſe fuiſſe, in eodem libro, cap. CIV, memorat: *Hoc tempus me functum ante tribunatu caſtrorum, Tib. Cæſaris militem fecit. Qvippe protinus ab adoptione miſſus cum eo Præfectus eqvitum in Germaniam, ſucceſſor officii patris mei, cæleſtiſſi-*

leſtiſſimorum ejus operum per annos continuos IX Præfectus, aut Legatus, ſpectator, & pro captu mediocritatis meæ, adjutor fui.

V. Poſtea Qvæſtorem & Tiberii bello Pannonico Legatum egit. Nam cap. CXI: *Habuit*, ait, *in hoc qvoq; bello mediocritas noſtra ſpecioſi miniſtri locum. Finita eqveſtri militia, deſignatus Qvæſtor, necdum Senator æqvatus Senatoribus, etiam deſignatus tribunus plebis, partem exercitus ab Urbe, traditi ab Auguſto, perduxi ad filium ejus. In qvæſtura deinde, remiſsâ ſorte provinciæ, Legatus ejusdem ad eundem miſſus, qvas non primo anno acies hoſtium vidimus.*

VI. Nerone Claudio Druſo, T. Qvinctio Criſpino Coss. anno Urbis 744, Mundi 3941, ante C. N. 6, Tiberius Claudius Nero de Pannoniis Dalmatisq; triumphum egit. Hunc cum prædicaſſet Vellejus, lib. II, cap. CXXI, §. III, addit: *Qvem mihi fratriq; meo, inter præcipuos, præcipuisq; donis adornatos viros, comitari contigit.*

VII. Anno Urbis 766, Chriſti 14, qvô deceſſit Auguſtus, & Tiberius ſucceſſit Imperator, ab hoc Vellejus cum fratre ſuo Prætor deſtinatus eſt. Teſtis ipſe lib. II, cap. CXXIV: *Qvo tempore mihi fratriq; meo, candidatis Cæſaris, proximè à nobiliſſimis ac Sacerdotibus viris, deſtinari Prætoribus contigit: conſecutis, ut neq; poſt nos qvenqvam D. Auguſtus, neq; ante nos Cæſar commendaret Tiberius.*

VIII. Imperatoris Tiberii anno 17, qvi eſt Urbis 782, Chriſti 30, Hiſtoriarum libros compoſuit. Qvod ipſe manifeſtis indiciis, tum aliis in locis plurimis, tum maximè lib. I, cap. VIII, prodit: ubi conſulem M. Vinicium, ad qvem libros ſuos ſcripſit, compellat his verbis: *Romulus, Martis filius, ultus injurias avi, Romam urbem Parilibus in Palatio condidit: à qvô tempore ad vos conſules anni ſunt DCCCLXXXII.* Et lib. II, cap. CXXVI, de Tiberio, qvid Imperator geſſerit, narraturus, ait: *Horum XVI annorum opera qvis, cum inſerta ſint oculis animisq; omnium, in partibus eloqvatur?*

Articulus II.
C. Velleji Paterculi Scripta.

I. C. Vellejus Paterculus ad M. Vinicium, Conſulem, Tiberii Cæſa-

Cæſaris Progenerum, hiſtoriæ Romanæ libros duos ſcripſit, qvi non integri ad nos pervenerunt. Prioris pars reſidua qvibusdam præmiſſis à Græcorum ducum, poſt excidium Trojanum, (qvod in annum Mundi 2767, ante Romam conditam 431, ante C. N. 1181, incidit) in diverſas terras profectorum rebus geſtis, incipit à Roma condita, ſive anno Mundi 3198, ante C. N. 750. Poſterior liber in exceſſu Liviæ, qvam Auguſtus uxorem, Tiberius matrem habuit, hoc eſt, in anno Urbis 781, Tiberii 16, Chriſti 29, deſinit.

II. Hos Paterculi duos libros emendatos explicatosq; nobis dederunt Aldus MANUTIUS Pauli filius, Fridericus SYLBURGIUS, Valens ACIDALIUS, Fulvius URSINUS, Juſtus LIPSIUS, Janus GRUTERUS, Gerardus VOSSIUS Gerardi filius, Joannes Henricus BOECLERUS, Antonius THYSIUS.

III. Prodierunt, cum *Manutii* ſcholiis, Venetiis M. D. LXXI, in 8: cum *Sylburgii* diverſis locorum ſcripturis, tomo I, hiſtoriæ Romanæ ſcriptorum, Francofurti ad Mœnum, M. D. LXXXVIII, in f: cum *Acidalii* lectionibus Vellejanis, Patavii M. D. XC, in 8: cum *Lipſii* animadverſionibus, Lugduni Batavorum, M. D. XCI, in 8: Antverpiæ M. DC. VII, in f: cum *Gruteri* notis, tomo I, hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum, Hanoviæ, M. DC. XI, in f: cum *Voſſii* notis, Lugduni Bat. M. DC. XXXIX, in 12: cum *Bœcleri*, & notis, & characteribus politicis Vellejanis, Argentorati M. DC. XLII, in 8: cum *Thyſii* aliorumq; ſelectis notis, Lugduni Bat. M. DC. LIII, in 8.

IV. In eosdem Velleji libros, ſed non additos, prodierunt *Urſini* notæ, cum Hiſtoricorum fragmentis ab Antonio Auguſtino collectis, Antverpiæ M. D. XCV, in 8.

V. Præterea qvoddam Velleji fragmentum cujus inſcriptio: *Velleji Excerpta ex Gallica hiſtoria*, reperitur, qvod litteris antiqvisſimis ſcriptum, ex pervetuſto codice, primus, ſub illô titulo, Wolfgangus Lazius publicavit.

VI. Exſtat in W. Lazii Commentariorum de Romana Rep. lib. I, cap. VIII. Unde Marcus Velſerus rerum Auguſtanarum Vindelicarum libro VIII, ſubjunxit: & Gerardus Joannes Voſſius in lib. I, de Hiſtoricis Latinis, caput XXIV tranſtulit.

ARTI-

ARTICULUS III.
Judicia de C. Vellejo Paterculo.

I. Beatus Rhenanus in prolegomenis ad Vellejum: *Meo ſanè judicio, nulli ſecundus eſt Vellejus inter Latinos: tam eſt caſtus ac nitidus in dicendo, mira ſtyli jucunditate ac clariſſimo candore præditus.*

II. Hadrianus Junius lib. VI, Animadverſorum, cap. XXV: *Apud Vellejum Paterculum, qvi mira compendii felicitate res Romanas adſtrinxit, ubi de Corinthi ruina ſcribit, error non vulgaris in impreſſis codicibus inolevit.*

III, Joannes Bodinus Methodo hiſtoriarum cap. IV: *Ut dicendi genus, qvô nihil purius ac ſvavius fluere poteſt, omittam; antiqvitates Romanorum ab ultimo principio tanta brevitate ac perſpicuitate (ſiqvidem integer exſtaret) comprehendit, ut nemini ſecundus eſſe videatur. Laudes etiam illuſtrium virorum egregia qvadam oratione, & magno viro digna commendare ſolet, ut videre eſt in laudibus Pompeji, Cæſaris, Ciceronis.*

IV. Antonius Poſſevinus in Apparatu ad omnium gentium hiſtoriam, ſect. III, cap. XXIII: *Pleraq; imò omnia placent, qvod res dignæ ſint, nec à melioribus ſcribantur. Tenuis alioqvi verbis, & ordine non ſatis accuratus; adulationis ſupra qvam credi poteſt, vitio laboravit, præſertim cum Auguſti & Tiberii Cæſaris geſta narravit.*

V. Juſtus Lipſius in prolegomenis ad Vellejum: *Exſtant libelli hi duo, nec toti, probi & fidi, donec ad Cæſarum res venias, ubi haud usqveqvaq; veri. Per adulationem enim multa celat, aut velat: imò & palam aliter narrat. Diſerti tamen ubiq; & eloqventiâ qvadam facili ac profluente.* Idem commentario ad Taciti lib. III, Annalium, num. XCIII: *Sunt, qvi* (P. Vellejum) *illum velint eſſe, cujus breviarium hiſtoriæ in manu: ſerium, doctum, qvantumvis opus, ſed plenum adulationis fœdiſſimæ, cujus me pudet.* Et lib. V, epiſtolicarum qvæſtionum epiſt. XI: *Ex antiqvis bilem mihi etiam movet Vellejus. Ælium Sejanum omnibus virtutibus accumulat, & qvaſi in theatro, plena manu dilaudat. Os hiſtorici! at nos eum ſcimus natum & exſtinctum exitio ge-*

tio ge-

tio generis humani. Liviam Auguſtam, poſt multas laudes, diis, qvam hominibus ſimiliorem fœminam concludit. Jam de Tiberio, flagitium ſit, ſi usqvam aliter, qvam ut de Jove immortali, loqvatur. Hæc liber & ingenuus animus qvî ferat? Contra, ut Germanici Cæſaris virtutes ubiq; callidè diſſimulat? Ut Agrippinam, & qvibus aliis infenſior Tiberius credebatur, obliqvè premit? Qvid multa? non aliud, qvam mancipium aulæ agit. Dices: Intuta illis temporibus veritas fuit. Fateor: ſed vera ſcribere ſi non licuit, falſa non debuit. Nemo ſilentii cauſam reddit.

VI. Caſpar Barthius lib. LX, Adverſariorum, ad Auguſtini de Civitate Dei, lib. I, cap. VI: *Vellejus Paterculus tantum præconem Romani nominis agit, ut eo ſolo fine ſcripſiſſe videri posſit.*

VII. Gerardus Joannes Vosſius de Arte hiſtorica cap. XXXII: *Velleji, elegantisſimi ſcriptoris, pauca admodum ſuperſunt; atq; eorum honorem fœda adulatione in ſui ævi rebus non leviter obfuſcavit.* Idem lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XXIV: *Librorum Velleji bona pars deperiit. Dictio ejus planè Romana atq; elegans. Qvædam etiam habet, qvæ haud alibi invenias. Sed in ſui ævi rebus nimis domui Auguſtæ & Sejano adulatur.*

VIII. Matthias Berneggerus, ex Taciti Germania & Agricola, qvæſtione CLXXXIV: *Niſi Vellejus Paterculus, qvi hanc ei* (Tiberio) *laudem tribuit, jam dudum reus factus eſſet fœdisſimæ adulationis, & neglectæ, qvæ hiſtoriæ pes & caput eſt, veritatis.*

IX. Joannes Henricus Bœclerus in Characteribus politicis Vellejanis cap. I, §. I: *Singularis eſt planè, qvod jam alibi monuimus, Velleji Paterculi in deſcribendis & veluti nota publica ſignandis hominum naturis diligentia. Hinc videre eſt deſcriptiones perſonarum, & elogia ingeniorum, qvæ ſubinde decenter utiliterq; hiſtoriæ ſuæ inſeruit, Philoſophiæ politicæ plurimum, nec minus facundiæ continere, deniq; prorſus eò dirigi, ut per qvosdam qvaſi characteres politicos ab autoribus rerum atq; agentibus ad recondita & præcipua omnis actus in Rep. principia proficiamus.*

De C. Velleji Paterculi fragmento
ex hiſtoria Gallica.

X. Marcus Velſerus lib. III, rerum Auguſtanarum: *Neq; hæc*

temerè excogitaſſe videri volunt, qvando ad ea, qvæ de Ciſara narrant, firmanda, producunt fragmentum hiſtoricum, qvod Auguſto an Paterculo olim ſcriptum dubii, nunc demum in lucem rediiſſe exiſtimant. Sed mihi conſtat, ab aliqvot centum annis, hominum manibus verſatum, à Liechtenavio (ad annum 1168) pœne verbatim in chronicis relatum, Ottoni Friſingenſi (lib. III, cap. IV,) qvoq; lectum, & actis D. Afræ, multis phaleris auctum, in ſcriptione hiſtoriæ Gallicæ præfixum eſſe; neq; Aventinum latuiſſe, ſatis apparet, ſed is parcè illo & tectè, ſuis ſuſpicionibus firmandis uſus. Ibidem poſt qvædam: *Verum enim verò, etſi fragmentum Auguſtum ſpectat, & Auguſta aliqvid inde lucis exſpectat, cavendum tamen, ne à fumoſa, nec lucida face, plus aliqvantò fuliginis, qvam fulgoris inferatur. Inprimis nimis obeſæ naris eſt, ſi qvis Auguſtum aut Paterculum autorem autumat. Prior ex membranis, qvibus HIST. AUG. hiſtoria Auguſta, aut Auguſtana ſcilicet præſcripta, irrepſit. De poſteriori incertior conjectura. Sed qvæcunq; erroris cauſa; plumbum iſtud longè eſt ab auro omnis illius ævi. Etſi melioris metalli venæ intercurrunt, hoc tantum indicant, autorem in bonis ſcriptoribus, non prorſus fuiſſe hoſpitem. Ætatem Auguſti cur affingimus, qvam ille non affectat?* Videantur ſeqventia, in qvibus fragmentum iſtud falſitatis in plurimis convincit, & multo recentius eſſe, qvam ut Vellejo tribui poſſit, oſtendit.

XI. Juſtus Lipſius centuria III, epiſtola VII, ad Marcum Velſerum: *Pſeudo-Vellejana illa vidi. Et an ego à te diſſentiam? primo oculi jactu agnovi & deprehendi falſum illud metallum: qvod miramur, (imò non miramur, ut homo fuit) Lazium venditaſſe pro auro. Sed tu ad Lydium lapidem judicii affricuiſti, ſine blanditia dico, accuratè & doctè.*

XII. Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XXIV: *Qvi naſum habet, ſatis odoratur, ſtylum ejus ſapere ſcriptorem, qvi ſæculis aliqvot Vellejo junior ſit. Nec in re pauca ſunt, qvæ peccentur. Ea adferrem, niſi id cum curâ feciſſet vir ſummus Marcus Velſerus, in rerum Auguſtanarum Vindelicarum libris. Sed monere operæ pretium videtur, fragmentum hoc totum, paucis tamen inſertis, legi apud Conradum à Lichtenau, Abbatem Urſpergenſem: qvem in Chronico vide poſt ea, qvæ de anno MCLXVII expoſuit. Lemma ejus capitis eſt:*

De

De Auguſta Vindelicorum vel Rhætiæ. Ætatem ejusce Conradi inde cognoſcimus, qvod initio Pontificatus Innocentii tertii, hoc eſt, anno cIↄ CXCVIII, laicum ſe atq; adeo minorennem fuiſſe, dicat: anno autem cIↄ CCXV referat ſe Abbatem factum Urſpergenſem: hiſtoriam verò ſuam perducat usq; ad annum cIↄ CC XXIX. Qvare, aut ex Abbate Urſpergenſi id fragmentum fuerit: aut inde, unde ea hauſerat Urſpergenſis.

CAPUT XI.

MARCUS ANNÆUS LUCANUS.

ARTICULUS I.

M. Annæi Lucani Vita.

I.

M. Annæus Lucanus, tertio nonas Novembris, C. Cæſare Caligula Germanico II, L. Apronio Cæſiano Coss. anno Urbis 791, Chriſti 39, in lucem eſt editus. Autor antiqvus, qvem Joannes Britannicus primus publicavit, in vita Lucani: *Natus eſt III. Nonas Novembris, C. Cæſare Auguſto Germanico II, L. Cæſiano Coss.*

II. Patriam habuit Cordubam, interioris Hiſpaniæ in provincia Bœtica urbem: Patrem M. Annæum Mellam, Cordubenſem, Eqvitem Romanum, L. Annæi Senecæ Philoſophi fratrem: Matrem verò Aciliam, Acilii Lucani Oratoris filiam. Tacitus lib. XVI, Annalium, cap. XVII, §. III: *Mella, qvibus Gallio & Seneca parentibus, natus petitione honorum abſtinuerat, per ambitionem præpoſteram, ut Eqves Romanus Conſularibus potentia æqvaretur.* Ibidem §. IV: *Idem Annæum Lucanum genuerat, grande adjumentum claritudinis.* Autor modò laudatus in vita Lucani: *M. Annæus Lucanus patrem habuit M. Annæum Melam, ex provincia Bœtica Hiſpaniæ interioris, Cordubenſem, Eqvitem Romanum illuſtrem inter ſuos, notũ Romæ propter Senecam fratrẽ: clarum per omnes virtutes virum, & propter ſtudiũ vitæ qvietioris: qvod ſeqvens, magis à turba recedebat, minus latebat. Matrem habuit, & regionis ejusdem, & urbis, Aciliam nomine, Acilii Lucani filiam, Oratoris opera, apud Proconſules freqventis, & apud clariſſimos viros non-*

nullius ingenii. Videantur Tacitus lib. XV, Annalium, cap. LVI, §. IV: Martialis lib. VII, epigr. XXI: Statius lib. II, Sylvarum, carm. VI, v. 24, & ſeq.

III. Octavum agebat menſem, cum translatus eſt Romam. Hanc ſtudiorum magiſtram conſecutus, maximè oratoriam poëticamq; coluit artem. Autor vitæ Lucani commemoratus: *Octavum menſem agens, Romam translatus eſt.* Ibidem poſt qvædam: *Præceptoribus tunc eminentisſimis eſt eruditus, eosq; intra breve temporis ſpatium ingenio adæqvavit. Unà verò ſtudentes ſuperavit profectibus. Declamavit & Græcè, & Latinè, cum magna admiratione audientium.*

IV. Qvos honores ſuſceperit gesſeritq;, dictus autor in Lucani vita exponit his verbis: *Puerili mutato in Senatorium cultum, & in Notitiam Cæſaris Neronis facile pervenit, & honore vix dum ætati debito dignus judicatus eſt. Gesſit autem Qvæſturam, in qvá cum collegis more tunc uſitato munus gladiatorium edidit, ſecundo populi favore. Sacerdotium etiam accepit Auguratus.*

V. In matrimonium accepit Pollam. Martialis lib. VII, epigr. XX:

> *Hæc eſt illa dies, qvæ magni conſcia partus,*
> *Lucanum populis, & tibi Polla dedit.*

Videatur ejusdem in eodem libro epigramma XXII: & Statii lib. II, Sylvarum, carmen VI, v. 62.

VI. Neronis, cujus amore fuerat gaviſus, odium poſtea ſenſit. Conditor vitæ Lucani anonymus: *Inter amicos Cæſaris, qvod tam conſpicuus fieret, provectus in poëtica, freqventer offendebatur. Qvippe & certamine pentaëterico acto, in Pompeji theatro laureis, recitante Nerone, fuerat coronatus, & ex tempore Orphea ſcriptũ in experimentum ingenii ediderat, & tres libros, qvales videmus. Qvare inimicum ſibi fecit Imperatorem, qvo ambitioſè mutante, non hominum tantum, ſed & artium principatum ſibi vendicante, interdictum eſt ei poëtica, interdictum eſt etiam cauſarum actionibus.*

VII. Hac Lucanus ignominiâ compulſus, ultionem meditari cœpit. Cujus dulcedine adductus, conjuratis in Imperatoris caput, ſe facilem præbuit ſocium. De hac conjuratione Tacitus lib. XV, Annalium, cap. XLIX, §. III: *Lucanus Annæus, Plautiusq; Lateranus Con-*

ſul

ſul deſignatus vivida odia intulere. Lucanum propriæ cauſæ accendebant, qvod famam carminum ejus premebat Nero, prohibueratq́; oſtentare, vanus adſimulatione: (æmulatione) *Lateranum Conſulem deſignatum, nulla injuria, , ſed amor reip. ſociavit.* Sæpius citatus autor in vita Lucani: *Hoc factum Cæſaris juvenili æſtimans animi calore, ſperansq́; ultionem, à conjuratis in cædem Neronis ſocius aſſumtus eſt.* Per qvos hæc conjuratio detecta ſit, Tacitus lib. XV, Annalium, cap. LIV, & tribus ſeqventibus, docet.

VIII. Sic, qvam Neroni Lucanus intentaverat, ſibi acceleravit mortem. Ab illo juſſus mori, venis inciſis, pridie Calendas Majas, P. Silio Nerva & C. Attilio Veſtino Coſs. anno ætatis XXVI, Urbis 817, Neronis 12, Chriſti 65, exſpiravit. Anonymus ille autor in vita Lucani: *Dum vindictâ expetit, in mortem irruit. Nam ſuâ ſponte coactus vita excedere, venas ſibi præcidit, periitq́; pridie Calendas Majas, Attico Veſtinio, & Nerva Syllano Coss. XXVI ætatis annum agens.* Tacitus lib. XV, Annalium, cap. LXX: *Exin M. Annæi Lucani cædem imperat. Is profluente ſangvine, ubi frigeſcere pedes manusq́;, & paulatim ab extremis cedere ſpiritum, fervido adhuc & compote mentis pectore intelligit; recordatus carmen à ſe compoſitum, qvô vulneratum militem per ejusmodi mortis imaginem obiiſſe tradiderat, verſus ipſos retulit: eaq́; illi ſuprema vox fuit.* Videatur Euſebius lib. II, Chronicorum, ad annum MM. LXXX.

ARTICULUS II.
M. Annæi Lucani Scripta.

I. M. Annæus Lucanus Pharſaliæ, id eſt, de Julii Cæſaris & Cn. Pompeji bello civili, cujus ultimum in Theſſaliæ campis, ad Pharſalum urbem, commiſſum eſt prælium, (in qvo Cæſar Pompejum vicit) libros X, heroico genere carminis, ſcripſit.

II. Præmiſſis qvibusdam de iſtius belli cauſis, incipit poëma ſuum à Cæſaris ex Galliâ in Italiam reditu, id eſt, à C. Claudii Marcelli, & L. Cornelii Lentuli Conſulatu, anno Urbis 704, Mundi 3901,

ante C. N. 47: finit in Photini Eunuchi, qvi Pompejum Ægyptiaco littori proximum, gladio trucidaverat, &, cum ſubactum Cæſar Ægyptiacum regnum Cleopatræ jam tradidiſſet, bellum renovaverat, pariter gladio peremti morte, qvæ in Q. Fuſii Galeni, & P. Vatinii Conſulatum, annum Urbis 706, Mundi 3903, ante C. N. 45, incidit.

III. Hos Pharſaliæ libros explicant Joannes SULPITIUS Verulanus, OMNIBONUS, Jacobus MICYLLUS, Joachimus CAMERARIUS, Theodorus PULMANNUS, Lambertus HORTENSIUS, Gregorius BERSMANNUS, Hugo GROTIUS, Thomas FARNABIUS.

IV. Prodierunt, Venetiis M.D.II, in 8: Pariſiis M.D.XLV, in 8: cum *Sulpitii* interpretatione, Argentorati M.D.IX, in 4: cum *Sulpitii* & *Omniboni* ſcholiis, *Micylli* annotationibus, Francofurti ad Mœnum, M.D.LI, in 4: cum *Pulmanni* variis lectionibus, Antverpiæ M.D.LXIV, in 12: cum *Sulpitii* commentariis, *Hortenſii* explanationibus, Baſileæ M.D.LXXVIII, in f: cum *Micylli* annotationibus, *Camerarii* notis, *Bersmanni* ſcholiis, Lipſiæ M.D.LXXXIX, in 8: cum *Pulmanni* variis lectionibus, *Grotii* notis, Antverpiæ M.DC.XIV, in 8: cum *Farnabii* notis, Francofurti ad Mœnum M.DC.XXIV, in 8.

ARTICULUS III.
Judicia de M. Annæo Lucano.

I. Martialis lib. VII, epigr. XXII, de Lucano ad Phœbum:

Phœbe veni; ſed qvantus eras, cum bella canenti
Ipſe dares Latiæ plectra ſecunda lyræ.

Idem lib. XIV, epigr. CXCIV; Lucanus:

Sunt qvidam, qvi me dicunt non eſſe Poëtam:
Sed qvi me vendit Bibliopola, putat.

II. Qvintilianus lib. X, cap. I: *Lucanus ardens & concitatus, & ſententiis clariſſimus, &, ut ita dicam, qvod ſentio, magis Oratoribus, qvam Poëtis annumerandus.*

III. Autor dialogi de cauſis eloqventiæ corruptæ, cap. XX, §. VI: *Exigitur jam ab Oratore etiam poëticus decor, non Attii aut Pacuvii veterno inqvinatus, ſed ex Horatii & Virgilii, & Lucani ſacrario prolatus.*

IV. Dio-

IV. Dionyſius Cato lib. II, Diſtichorum: ex emendatione Caſparis Barthii lib. LIII, Adverſariorum, cap. VI:

Si Romana cupis & civica noſcere bella,
Lucanum qværas, qvi Martia prælia dicet.

V. Boëthius lib. V, de conſolatione Philoſophiæ, proſâ VI, Philoſophiam de Lucano ita loqventem adducit: *Victricem qvidem cauſam diis, victam verò Catoni placuiſſe, familiaris noſter Lucanus admonuit.*

VI. Servius ad Virgilii lib. I, Æneidos, v. CCLXXXI: *Lucanus ideò eſſe non meruit in numero Poëtarum, quia videtur compoſuiſſe hiſtoriam, non poëma.* Qvæ Servii verba Iſidorus Hiſpalenſis ſua facit lib. VIII, Originum, cap. VII.

VII. Jornandes de rebus Geticis cap. V: *Qvorum ſtudium fuit primum inter alias gentes vicinas, arcus intendere nervis, Lucano plus hiſtorico, qvam Poëta teſtante.*

VIII. Joannes Sareſberienſes lib. II, Policratici, cap. XIX: *Innuit etiam poëta doctiſſimus, ſi tamen poëta dicendus eſt, qvi verâ narratione rerum ad Hiſtoricos magis accedit.*

IX. Julius Cæſar Scaliger lib. I, Poëtices, cap. II: *Altera* (qvæſtio): *An Lucanus ſit Poëta. Sanè eſt. Nugantur enim more ſuo Grammatici, cum objiciunt, illum hiſtoriam conſcripſiſſe. Principio, fac hiſtoriam meram: oportet eum à Livio differre: differet autem verſu. Hoc verò Poëtæ eſt. Deinde, qvis neſcit omnibus Epicis Poëtis hiſtoriam eſſe pro argumento, quam illi aut adumbratam, aut illuſtratam, certè alia facie cum oſtendunt, ex hiſtoria conficiunt poëma. Nam qvid aliud Homerus? Qvid Tragicis ipſis faciemus? Sic multa Lucano ficta: patriæ imago, quæ ſe ſe offerat Cæſari: excita ab inferis anima, atq; alia talia.* Et lib. III, cap. XXVII: *Lucani oratio ſuperba & minax, auditorem invitum, atq; alibi animo hærentem, ubi vult tenere, aut trahere, abigit: tyranno haud abſimilis, qui mavult metui, qvàm amari.* Et lib. VI, cap. VI: *Fatemur in illo ingenium magnum. Eqvidem etiam plusqvam poëticum condonabo. Effrenis mens, ſui inops, ſerva impetus, atq; idcirco immodica, raptaq; calore ſimul, & calorem ipſum rapiens, hoſtem maximum ejus temperamenti, qvod in uno omnino Marone, & admirabile eſt, & divinum. Proinde, ut, nimis fortaſſe liberè dicam, interdum mihi latrare, non canere videtur.*

X. Joſe-

X. Joſephus Scaliger lib. I, epiſt. III: *Si propius totum opus Lucani putare volueris, non ſolum nullam Aſtronomiæ peritiam in eo homine reperies, ſed & importunè ſemper interjectam rerum cœleſtium mentionem, & levem, vanum, & oſtentatorem illum juvenẽ fuiſſe deprehendes.*

XI. Caſpar Barthius lib. LIII, Adverſariorum, cap. VI, *Lucanus Poëta magni ingenii, neqve vulgaris doctrinæ, ſpiritus verò prorſus heroici, jam inde ex eo tempore, qvo floruit, maximâ ſemper fuit autoritate, præcipuè apud Philoſophos, propter grave, nervoſum & acutum, vibransqve & penetrabile ſententiarum pondus, qvibus univerſa ejus oratio mirificè floret, adeò, ut in eo genere parem nunqvam ullum habuerit. Bona enim fide declamatoris genium ſervat, interim Catonis & ejus ſcitorum perpetuus oſtentator, offenſus Monarchiæ ſeu tyrannidi; planè Senecæ, ut cognatus ſangvine, ſic par genere dicendi futurus, ſi prorſa ingenium tam ardens oratio cepiſſet. Qvæ res eum admirabilem ſuo ævo fecit, cum vetus illa & genuina Eloqventia jam vulgo diſpliceret, & acumina ſententiarum, & tortiles illæ clauſulæ pro ſumma haberentur omnium doctrinarum & feliciſſima eloqventiæ. Pervidit autem omnino ingenium hominis Qvintilianus, qvi Oratoribus magis adnumerabilem, qvam Poëtis ſcripſit. Si enim ſolos numeros demas, nihil in eo non oratorium videbis, nihil verò præter hos in eo poëticum. Nullæ fictiones, nulla Numinum ſcena, nulla fabularum perſona, planè ut quidvis aliud, qvam poëma Pharſaliã hanc dixeris, ſi ſoli numeri abeſſent.* Ibidẽ, cum de Lucano multorũ judicia protuliſſet, explicaviſſet, emendaſſet: *Grammaticorum teſtimoniis qvantus ſcriptor ſit, facile ex eo apparet, qvod poſt Virgilium, Plautum, Terentium, Horatium, nullius crebrius autoritate utantur. Uti videre potes apud Servium, Lutacium, Acronem, Donatum, Scholiaſten Juvenalis, Cariſium, Priſcianum. Nos, qvatenus in comparationem cum Virgilio non venit, optimum ſcriptorem, integrum Latinitatis, acutum, ingenioſum, doctum, gravem, utiliſſimum, & Philoſophum politicumq; non poſtremis accenſendum, eloqventem præterea, & ſententiis penetrantem meritò veneramur; illud unum tamen poſt præclaros noſtræ ætatis viros monentes, Matheſin ejus examen rigidum non ſuſtinere.* Et lib. LX, Adverſariorum, ad Auguſtini de Civitate Dei lib. I, cap. V: *Exſtat unus ipſius* [Julii Cæſaris] *obtrectator præcipuus Lucanus, ſed nimius partium, non tam pro libertate, qvam paucorum dominio ſtantium, & nibil*

recu-

recuſantium, modò Cæſar non is eſſet, qvi Rep. everſa clavum teneret. Præterea magna in eo ſcriptore temeritas judicandi eſt; modò enim ſententias ſuas vibret, & acutè rotatis feriat, modò extollit, modò premit eundem; homo jactator & inconſtantiæ poëticæ.

XII. Caſpar Barlæus in Latinorum Poëtarum elogiis; Lucanus:

Cui minus Hiſtoricus credor, minus eſſe Poëta,
Me minor eſt Vates, & minor Hiſtoricus.

XIII. Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XXVI: *Inter Hiſtoricos etiam locum damus M. Annæo Lucano, Cordubenſi. Qvippe qui poëma ſuum, de bello civili Cæſaris & Pompeji, fide hiſtoricâ ſcripſerit.* Idem lib. I, Inſtitutionum Poëticarum cap. VII, §. II: *Lucanus etſi ipſe Hiſtoricum magis, qvam Poëtam agit; in eo tamen Poëtam imitatur, qvod omnia ad unam referat actionem; unde & poëma ſuum de bello civili Pharſaliam appellavit. Scio, Lucanum reprehendi à Cæſare Scaligero (lib. VI, de re Poëtica, cap. VI,) qvaſi peſſimo conſilio ſic inſcripſerit: ſed niſi me ratio fugit, recta eſt inſcriptio; qvia multa qvidem bella perſeqvitur, & ante, & poſt Pompeji necem; ut Corfinienſe, Brunduſinum, Maſſilienſe, Dyrrhachinum, Hiſpanicum, Africanum, Alexandrinum: verum bella hæc ad Pharſalicum à Poëta referuntur.*

CAPUT XII.

PLUTARCHUS CHÆRONENSIS.

ARTICULUS I.

Plutarchi Chæronenſis Vita.

I.

PLutarchus patriâ qvidem Chæronenſis, natione autem Bœotus fuit. Ipſe libro de Curioſitate cap. I, Guilielmo Xylandro interprete: *Meam patriam ad Favonium ventum inclinatam, Soliſq; radios ſub veſperam Parnaſo incumbentis excipientem, verſus ortum converſam à Chærone ferunt.* Lib. VII, Sympoſiacon, qvæſtione IV, eodem interprete: *Nobis qvidem Bœotis in ore eſt ſemper: Relinqve aliqvid etiam*

Medis: ab eo tempore, qvô Medi Phocidem & extrema Bœotiæ incurſando populandoq́; vexaverunt. Et lib. IX, qvæſt. III: *Deſinente Protogene, me appellans Ammonius: Tu verò, inqvit, homo Bœotus non opitularis Cadmo?*

II. Avus ei fuit Lamprias. Lib. I, Sympoſiacon, qvæſt. V: *Lamprias avus noſter inter potandū inveniendi ac diſputandi facultate ſibi ipſi præſtabat.* Et lib. IX, qvæſt. III: *Lamprias avus meus ajebat, primam naturâ vocem articulatam facultate litteræ A efferri.* Lampriam qvoqve fratrem habuit. Lib. II, Sympoſ. qvæſt. II: *Cum cœnandi finem alii feciſſent, frater Xenocles more ſuo fratrem noſtrum Lampriam ſcommate ob voracitatem Bœoticam impetivit.* Et in commentario de Ei, cap. IV, eodem Xylandro interprete: *Hæc locuto Ammonio, Lamprias frater meus: atqvi, inqvit, ratio, qvam nos adduci audivimus ea de re, perbrevis eſt ac ſimplex.* Qvin & filium genuit Lampriam, cui catalogum patris ſcriptorum debemus. Suidas, Hieronymo Wolfio interprete: *Lamprias, Plutarchi Chæronenſis filius, tabulam confecit omniū ſcriptorum patris ſui, de Romana & Græca hiſtoria.* Præter hunc, Autobulum & Plutarchum, ſuſcepit: ad qvos de animæ procreatione librū ſcripſit. Nepotem habuit Sextum, Imperatoris Marci Antonini, qvem cognomine Philoſophi honoramus, præceptorem. Capitolinus in Marco cap. III: *Tantum ſtudium in eo Philoſophiæ fuit, ut adſcitus jam in imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii, diſcendi cauſâ, veniret. Audivit & Sextum Chæronenſem Plutarchi nepotem.* Ex ejus poſteris Apulejus Madaurenſis Philoſophus fuit. Ipſe Apulejus lib. I, Metamorphoſeon: *Theſſaliam (nam & illic originis maternæ noſtræ fundamenta Plutarcho illo incluto, ac mox Sexto Philoſopho nepote ejus, prodita gloriam nobis faciunt) eam Theſſaliam ex negotio petebam.*

III. Ammonio præceptore in ſtudiis profecit. Ipſe libro de adulatoris & amici diſcrimine cap. LXVIII, Eraſmo Roterodamo interprete: *Noſter magiſter & inſtitutor Ammonius, cum in pomeridiana confabulatione familiarium ſenſiſſet qvosdam pranſos eſſe prandium haud ſimplex, ſed opiparum & varium, liberto mandavit, ut ſuo filio plagas impingeret, addens elogium: Non poteſt, inqvit, prandere absqve aceto: ſimulq́; in nos flexit oculos, ut increpatio tangeret obnoxios.* Romanas litteras ſenex didicit. In Demoſthenis vita, Hermanno Cruſerio interprete:

prete: *Nos, qvi exiguum colimus oppidum, & , ne minus reddatur, ferè ibi commoramur, (qvia, cum Romæ ageremus & in Italia, propter negotia publica, & eos, qvi ad nos, Philoſophiæ cauſa, ventitabant, non vacabat in lingvâ Romana ſtudium ponere) ſero tandem & ætate provectiore Latinas attigimus litteras.*

IV. Legatum juvenis egit. Ipſe librô de inſtitutione civili cap. XII, Nicolao Saguntino interprete: *Eqvidem commemini juvenem me, qvodam altero ſocio, Legatum ad Proconſulem, decreto publico, inſtitutum.*

V. Chæronenſium aliquando Archontis ſive Prætoris officio defunctus eſt. Lib. VI, Sympoſiacon, quæſt. VIII, G. Xylandro interprete: *Me Archonte complures ſacrificio ſe adjunxerunt.* Sacerdos etiam Apollinis Pythii fuit. Libro, num Reſp. ſeni gerenda ſit, cap. XXVII, Giberto Longolio interprete: *Noviſti, me Apollini Pythio Pythiadas multas per feſta Pythica jam diutisſimè ſacrificaſſe: verum, non opinor, te in hunc modum me allocuturum: Jam ſatis eſt ſacrificiorum, mi Plutarche; ſatis pomparum & ſaltationum: non te ſenem animadvertis? tempus corollas ponere jubet, ſenectus oracula relinqvere mandat.*

VI. Nerone inter homines agente vixit. Quod & Photius in Bibliotheca ſua, codice CCXLV, extremo; & ipſe Plutarchus in commentario de Ei cap. II, extremo, tradit, G. Xylandro interprete, inqviens: *Qvæ, qvô tempore Nero apud Delphos eſt peregrinatus, eodem in loco, eademq; qvæſtione oborta, Ammonium diſſerere audiveramus.*

VII. A Neronis morte, qvam C. Silio Italico, M. Galerio Trachalo COSS. anno Urbis 820, Chriſti 68, obiit, pluribus annis ſuperſtes fuit. Interfecti Neronis, libro de Garrulitate, cap. IX, meminit his verbis, Thoma Naogeorgo interprete: *Romana Civitas, qvò minus libertatem conſeqveretur, liberareturq; à Nerone, unius hominis garrulitas impedivit. Una enim nox erat, poſtqvam oportebat tyrannum perire, omnibus jam præparatis. Qvi autem eum occiſurus erat, proficiſcens in theatrum, vidensq; vinctorum qvendam duci ad Neronem, ſuamq; fortunam deplorare, propè ad eum accesſit, & ſuſurrans in aurem: Precare, inqvit, homo, ut tantum hæc dies tranſeat, cras mihi gratias ages. Ille rapiens, quod obſcurè dictum erat, & cogitans, opinor, fatuum eſſe, qvi paratis relictis, imparata ſectaretur: firmiorem amplexus eſt ſalutem pro*

juſtiore, indicavitq; Neroni hominis ſermonem. Jam in orco pœnas luentis, libro de iis, qvi ſerò à Numine puniuntur, mentionem facit, cap. LIII. Ubi de animabus, in qvas Theſpeſius inciderat, locutus, Bilibaldo Pirckheimero interprete, ait: *Inter qvas & Neronis animam ſe vidiſſe ajebat, multis degravatam incommodis, clavisq; ignitis undiq; transfixam.*

VIII. Ultra Urbis 821, Chriſti 69, annum, qvo Veſpaſianus, Vitellii ſucceſſor, principatum accepit, ſe vitam ſuam produxiſſe, in Amatorio cap. XLIX, his verbis, G. Xylandro interprete, docet: *Unum ego referam, quod mea ætate, imperante Veſpaſiano, accidit.*

IX. Qvin cum Titus Imperator, Veſpaſiani ſucceſſor, è vivis exceſſiſſet, id eſt, anno Urbis 833, Chriſt. 81, Plutarchus adhuc ſupererat. Nam libro de tuenda valetudine cap. V, Eraſmo interprete, inqvit: *Non paucos balneum exſtinxit, cum initiò nullo gravi morbo tenerentur, niſi qvod non poſſent, neqve ferrent cibum capere, niſi loti. Qvorum de numero Titus erat Imperator, qvemadmodum referunt ii, qvi ægrotanti miniſtrârunt.*

X. Domitiani, qvem Titus ſucceſſorem habuit, in Valerii Poplicolæ vitâ meminit his verbis, H. Cruſerio interprete: *Qvibus facit Capitolii magnificentia admirationem, hi unam ſi in Domitiani domo videant porticum, vel baſilicam, vel balneum, vel pellicum diætam: cujuſcemodi eſt Epicharmi ad gurgitem dictum; Non benignus es, habes morbum, geſtis tu largiens: conſimile qvid ad Domitianum cogantur dicere: Non tu qvidem religioſus, nec magnificus es: morbo teneris, gaudes eum in ædificia omnia profundas; qvi, ut Midas ille, omnia tibi aurea fieri & gemmea cupis.* Qvæ ſicut Domitiano vivente, minus tutum fuit, ſcribere: ita fortasſis, eô jam mortuo, ſcripſit.

XI. Certè hujus Imperatoris cædi, qvæ in annum Urbis 848, Chriſti 96, incidit, Plutarchus ſuperſtes fuit. Idq; conſtat ex iis, qvæ in Amatorio, cap. LI, narrat Ubi, de Empona, (Epponinâ) illius Sabini, qvi contra Veſpaſianum Cæſarem, defectoribus in Galliâ ſe adjunxerat, uxore locutus: *Ipſam*, inqvit, G. Xylandro interprete, *Cæſar interfecit: ſed cædis pœnas dedit, exiguo temporis ſpatio, tota ſtirpe ipſius funditus interemta. Nullam enim rem hoc facto triſtiorem iſtud tulit imperium: neq; fuit, cur ullius rei aſpectum magis & dii, & genii averſarentur.*

ſarentur. Miſerationem quidem ſpectantibus ipſa exemit magnanimitate ſua & grandiloqventia, qvibus maximè irritavit Veſpaſianum. Nam ſi univerſum Veſpaſiani genus, cum Plutarchus hæc ſcripſit, penitus fuit exſtinctum; & Titus, & Domitianus, qvos filios Veſpaſianus reliqverat, jam ad plures abierant. Idem, qvod dixi, confirmant ea, qvæ in vita Numæ inveniuntur. Ubi, H. Cruſerio interprete, inqvit: *Qvintilis à Cæſare, qvi devicit Pompejum, Julius: Sextilis à ſecundo Principe, cui cognomen fuit Auguſto, vocabulum habuit. Succedentes appellationibus ſuis transnominavit Domitianus, verum haud id diu. Qvô trucidato receperunt ſuas, atq; alter September, alter October vocatur.*

XII. Trajano qvem anno Urbis 850, Chriſti 98, Nerva Coccejus in imperio ſucceſſorem habuit, Regum & Imperatorum Apophthegmata dedicavit. Qvem cap. I, G. Xylandro interprete, compellat his verbis: *Artaxerxes Perſarum Rex, Trajane Cæſar Imperator maxime, exiſtimans non minus regiam majeſtatem decere, & humanitatem, parva benignè alacriterq; accipere, qvam magna largiri, cum ſibi iter facienti operarius qvidam ac plebejus homo utraq; manu hauſtam è profluente aqvam (qvia nihil habebat aliud) obtuliſſet, hilari vultu accepit: munus, non uſu rei oblatæ, ſed ſtudio dantis metiens.* Qvod qvidem Apophthegmatum opus, an ejus, de qvô agimus, Plutarchi ſit; & Guilielmus Xylander in notarum principio, & Gerardus Joannes Voſſius lib. II, de Hiſtoricis Græcis, cap. X, dubitat. Cui ſuſpicioni tamen, niſi præfationem ſubleſtæ fidei judices, obſtare videntur ea, quæ ſeqvuntur: *Sanè aliud à nobis elaboratum opus continet illuſtriſſimorum inter Græcos ac Romanos ducum, legislatorum, atq; Imperatorum vitas.*

Idem præterea liber Apophthegmatum, cujus inſcriptio: Ἀποφθέγματα βασιλέων καὶ στρατηγῶν: *Apophthegmata regum & imperatorum:* in catalogo, qvô Lamprias, noſtri Plutarchi filius, ſcripta ſui patris recenſet, niſi fallor, num. 106, ſub hoc titulo, exſtat: Ἀποφθέγματα ἡγεμονικὰ, στρατηγικὰ, τυραννικὰ: *Apophthegmata ducum, imperatorum, regum.* Nam ex titulis qvidem paulo diverſis, non eſt, ut diverſos libros eſſe colligas, cum in eodem catalogo plures alii libri non planè iisdem, qvos hodiè præfixos gerunt, titulis indicentur.

XIII. Suidas, interprete H. Wolfio: *Plutarchus Chæronenſis, Bœotius, fuit Trajani Cæſaris temporibus, & ante. Trajanus autem*

dignitate conſulari eum ornavit: edixitq́; , ne qvisqvam Illyriæ magiſtratuum, qvicqvam absq; conſenſu ejus ageret. Scripſit multa.

ARTICULUS II.
Plutarchi Chæronenſis Scripta.

I. Plutarchus Chæronenſis librum qvæſtionum Romanarum compoſuit, qvô in rituum Romanorum origines & cauſas inqvirit. Prodiit inter reliqva ejusdem opera, Græcè, cum G. Xylandri, & interpretatione Latina, & annotationibus, & lectionibus variis, Francofurti ad Mœnum M. D. XCIX, in f: ibidem M. DC. XX, in f. Seorſim, Græcè & Latinè, eodem Xylandro interprete, cum ejusdem annotationibus, & Marci Zuerii Boxhornii animadverſionibus, Lugduni Batavorum, M. DC. XXXVII, in 4.

II. Ejusdem habemus de Romanorum fortuna commentarium: qvô varias Romanorum res, qvibus indulgentiorem ſe fortuna præbuit, commemorat. Prodiit Græcè, cum Guilielmi Budæi Latinâ interpretatione, Pariſiis, ex Henrici Stephani officinâ, M. D. LXXII, in 8: Græcè, cum Xylandri verſione variisq; lectionibus in utraq; Plutarchi operum editione, qvam nominavimus.

ARTICULUS III.
Judicia de Plutarcho Chæronenſi.

I. Taurus Philoſophus apud A. Gellium lib. I, cap. XXVI: *Sed & , qvid Plutarchus noſter, vir doctisſimus ac prudentisſimus ſenſerit, non ab re eſt, ut id qvoq; audias.* Ipſe Gellius lib. IV, cap. XI: *Plutarchus qvoq;, homo in diſciplinis gravi autoritate.*

II. Petrus Victorius lib. XXIII, variarum Lectionum, cap. XXI: *Teſtimonium gravis eruditiq́; inprimis ſcriptoris, qvo nuper uſus ſum, ejusq́; libri recordatio, admonuit me, ut duos in eo locos purgarem, qvi turpiter inqvinati ſunt, ac magnas illic tenebras offundunt. Cum enim Plutar-*

Plutarchi oratio aſpera moroſaq́ ſit, præcipuè in his libris, qvos de vita & moribus ſcripſit, durior adhuc illa obſcuriorq́ ſit, qvia multæ veterum ſententiæ inſertæ in eam confuſæq́ ſunt.

III. Marcus Antonius Muretus vol. II, orat. xv: *Qvis poſt Plutarchum exſtitit, qvi veræ ac ſolidæ eruditionis copia & varietate ita cum eo comparari qveat, ut non longiſſimo intervallo abfuturus ab eo ſit, qvemcunq́ illi proximum eſſe volueris? Qvem ille Poëtam veterem, qvem Oratorem, qvem Hiſtoriæ ſcriptorem non ita triverat, ut edidiciſſe videretur? Qvam Philoſophiæ partem non ita tractaverat, ut nemo poſtea tantum in unâ eminuerit, qvantum ille in omnibus?*

IV. Jacobus Pontanus annotationibus ad volumen II, Progymnaſma XLIV, de Bœotiorum ingeniorum craſſitie locutus: *Nos de Bœoticis ſuibus in hiſce vigiliis noſtris unam, Chæronææ natam perſæpe in medium adducimus. Sed ejusmodi ſuem profectò, qvalem ſe Attica optaret peperiſſe; qvalem ſe ipſa Minerva gauderet fieri. Qvid enim Plutarcho excogitari poteſt eruditius? qvid fuit unqvam poſt homines natos ſapientius?*

V. Juſtus Lipſius in notis ad lib. I, politicorum. cap. IX, §. XII: *Inter Græcos medios Plutarchus eſt: qvi non hiſtoriam propriè, ſed particulas hiſtoriæ ſcripſit, & ablegit illuſtrium virorum vitas. Sed dignus tamen, ſi qvis alius, Principe ſcriptor. Qvi judicium mirificè format, & diffuſa ac plana qvadam ſcribendi via ad virtutem ubiq́ & prudentiam ducit, ſed ad illam magis: &, niſi fallor, melior omninò, qvam acutior doctor.* Ibidem ad cap. x, §. XVII: *Qvi bene, juſte, feliciter imperare* (volet); *inſtrumentum & adjumentum ei Philoſophia eſt, ſed habita etiam cum modo. Aptiſſimus in hac parte Plutarchus erit, cujus omnis ſcriptio cum prudentiâ & virtutem inſerit.*

VI. Gerardus Joannes Voſſius lib. II, de Hiſtoricis Græcis, cap. x: *Sanè fuit Plutarchus vir undecunq́ doctiſſimus, idem Philologus, Philoſophus & Hiſtoricus ſummus. Magnā enim horum trium ſcientiam undiq́ ejus ſcripta ſpirant. Qvin habitus etiam fuit orator bonus.* Ibidem poſt pauca: *Tamen diſſimulare non poſſum; dictionem ejus gravem qvidem eſſe, ſed duriuſculam videri. Verum leviculum hunc defectum multijuga adeo ſcientia abundè ſummus vir compenſat.*

CAPUT

CAPUT XIII.

CAJUS SILIUS ITALICUS.

ARTICULUS I.

C. Silii Italici Vita.

I.

C. Silius Italicus unde nomen Italici acceperit, incertum. Videantur, Petrus Crinitus de Poëtis Latinis cap. LXVI: Lilius Gregorius Gyraldus de antiqvis Poëtis dialogo IV: Claudius Dauſqvejus initio commentarii ad Silium: Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XXIX: & de Poëtis Latinis cap. III.

II. Anno Urbis 820, Chriſti 68, qvô Nero Imperator ſeipſum ſuſtulit, cum M. Galerio Trachalo Turpiliano conſulatum geſſit. De qvô conſulatu Plinius lib. III, epiſt. VII: *Ut noviſſimus*, ait, *à Nerone factus eſt conſul, ita poſtremus ex omnibus, qvos Nero conſules fecerat, deceſſit. Illud etiam notabile, ultimus ex Neronianis conſulibus obiit, qvô conſule Nero periit.*

III. Longè diutius ex eo ſuperſtes fuit. Nam Veneri Jovem his verbis reſpondentem introducit lib. III, v. 601, & ſeq:

Tum juvenis magno præcellens robore mentis
Excipiet patriam molem, celſusq́; feretur
Æqvatum imperio tollens caput: hic fera gentis
Bella Palæſtinæ primo delebit in ævo.

Qvibus verſibus qvin Veſpaſianos, Patrem & Filium, intelligat, qvorum hic, anno Urbis 822, Chriſti 70, cum patre conſul, Hieroſolymam expugnavit, nullum eſt dubium. Deinde, cum plura in Domitiani Cæſaris laudem adjeciſſet, v. 620, & ſeqventibus, ſcribit:

Illa etiam, qva priſca fides ſtat regia nobis
Aurea Tarpejâ ponet Capitolia rupe,
Et junget noſtro templorum culmina cœlo.

His verò, qvemadmodum ex Plutarcho in vita Poplicolæ: Svetonii de Domitiano cap. V; & Martialis lib. IX, epigr. IV, evidenter colligitur,

ſigitur, combuſti reſtitutionem Capitolii ſignificat, qvod Domitianus XIII Conſul, anno Urbis 839, Chriſti 87, inauravit.

IV. Plinius in laudata epiſtola de Silio ad Caninium hæc addit: *Fuit inter principes civitatis ſine potentiâ, ſine invidia. Salutabatur, colebatur, multumq; in lectulo jacens, cubiculo ſemper, non ex fortuna, freqventi. Doctiſſimis ſermonibus dies tranſigebat, cum à ſcribendo vacaret: ſcribebat carmina majore cura, qvam ingenio. Nonnunqvam judicia hominum recitationibus experiebatur. Noviſſimè ita ſvadentibus annis ab urbe ſeceſſit, ſeq; in Campania tenuit, ac ne adventu qvidem novi Principis inde commotus eſt. Magna Cæſaris laus, ſub qvô hoc liberum fuit, magna illius, qvi hac libertate auſus eſt uti. Erat* φιλόκαλος *usq; ad emacitatis reprehenſionem. Plures iisdem in locis villas poſſidebat, adamatisq; novis, priores negligebat. Multum ubiq; librorum, multum ſtatuarum, multum imaginum; qvas non habebat modò, verum etiam venerabatur: Virgilii ante omnes cujus natalem religioſius, qvam ſuum celebrabat: Neapoli maximè, ubi monumentum ejus adire, ut templum, ſolebat. In hac tranqvillitate, annum qvintum & ſeptuageſimum exceſſit.* Novus ille Princeps, cujus ne adventu qvidem commotus eſt Silius, omnino videtur eſſe Trajanus, Domitiani poſt Cocceјum Nervam, (qvi altero imperii anno deceſſit) anno Urbis 850, Chriſti 98, ſucceſſor. Sub eo civium illam libertatem Plinius in Panegyrico prædicat cap. XLVIII: *Ipſe*, inqvit, *ut excipis omnes? ut exſpectas? ut magnam partem dierum inter tot imperii curas qvaſi per otium tranſigis? Itaq; non ut alias attoniti, nec ut periculum capitis adituri tarditate, ſed ſecuri & hilares, cum commodum eſt, convenimus: & admittente Principe, interdum eſt aliqvid, qvod nos domi, qvaſi magis neceſſarium, teneat. Excuſati ſemper tibi, nec unqvam excuſandi ſumus.*

VI. Cæterum, idem Plinius, in ejusdem epiſtolæ initio, Silium *in Neapolitano ſuo inedia vitam finiiſſe* ſcribit. Addit: *cauſa mortis valetudo. Erat illi natus inſanabilis clavus, cujus tœdio ad mortem irrevocabili conſtantiâ decurrit.*

Articulus II.
C. Silii Italici Scripta.

I. C. Silius Italicus de bello Punico ſecundo libros XVII, epico genere carminis, compoſuit. Incipit ab initiis illius belli, qvæ in M. Livii Salinatoris, L. Æmilii Pauli Conſulatum, annum Urbis 534, Mundi 3731, ante C. N. 217, incidunt. Deſinit in triumpho Scipionis Africani, qvem de Pœnis anno Urbis 552, Mundi 3749, ante C. N. 199, egit.

II. Libros Silii explicant Petrus MARSUS, Hermannus BUSCHIUS, Claudius DAUSQVEJUS, Daniel HEINSIUS.

III. Prodierunt, cum *Marſi* commentariis, Venetiis M. CCCC. XCII, in f: cum *Buſchii* ſcholiis, Pariſiis M. D. XXXI, in 8: Baſileæ M. D. XLIII, in 8: cum *Dauſqveji* commentario, *Pariſiis* M. DC. XVIII, in 4.

IV. In Silium, ſed non additum, prodierunt *Heinſii* crepundia ſive notæ, Cantabrigiæ M. DC. XLVI, in 12.

ARTICULUS III.
Judicia de C. Silio Italico.

I. Martialis lib. IV, epigr. XIV:

Sili Caſtalidum decus Sororum,
Qvi perjuria barbari furoris
Ingenti premis ore perfidosq;
Faſtus Hannibalis, levesq; Pœnos
Magnis cedere cogis Africanis.

II. Plinius lib. III, epiſt. VII: *Scribebat carmina majore curâ, qvam ingenio.*

III. Joannes Baptiſta Pius annotationum poſteriorũ cap. XXXI: *Silius Italicus duriuſculus à plerisq; omnibus Poëta nuncupatur, qvem cenſet Cæcilius Plinius verſus majore cura, qvam ingenio compoſuiſſe. Ego heroicæ gravitatis cum epigrammatico vate non omnino inſvavem reor. At acerbam immitemq; aſpredinem illi afferunt freqventes maculæ, qvibus penitus obruitur.*

IV. Ludovicus Carrio lib. II, Emendationum, cap. XI: *Silium Italicum lego, cujus ego lectione tum propter antiqvorum Poëtarum imitationem, tum hiſtoricarum rerum Pœnicarum narrationem, qvam ad Livii & Polybii exemplar conformavit, mediocriter me capi fateor.*

V. Jacobus Pontanus in Symbolis ad Virgilii lib. VIII Æneidos, v. 588: *Silium in iſtis Symbolis ſæpius fortaſſe produco, qvam ferre poſſint, qvi*

qvi eum bonorum Poëtarum poſtremum numerant, nervis, numeris, ſpiritu carere aſſeverant; imò ne Poëtam qvidem dici patiuntur. Qvorum judicium qvanqvam oppido ſeverum, non contemno. Verum ego nusqvam me eximios tantummodò Poëtas teſtes laudaturum profeſſus ſum. Et cum ſtudeam demonſtrare, qvo pacto alii Poëtæ Maronem principem & regem imitati ſunt; nemo autem id diligentius atqve crebrius Silio fecerit, meritò ſæpius ejus verſus profero: non optimos illos qvidem, fateor: ſed non ſemper etiam peſſimos. Deniq; non dubito, qvin æqvo Lectori imitandi Virgilii fervens ſtudium, qvod in eo elucet, voluptati ſit futurum. Eſt illud qvoq; certiſſimum, ab eruditis Silium non rarò, ut rerum Romanarum antiqvorumq; rituum bene gnarum advocari.

VI. Marcus Velſerus rerum Boicarum lib. I, poſt qvædam ex Silio adducta: *Qvæ ſi ad hiſtoriæ fidem ſcripta ſunt, ut pleraqve Silii, Bojos Romæ capiendæ non interfuiſſe tantum, ſed præfuiſſe qvoq; oportet, qvi ducem dederint.*

VII. Claudius Dauſqvejus in Silium præfatione ad Lectorem: *Libri Punicorum Hiſtoricum volunt, dicendi Character Poëtam. Hiſtoricus materiam legit graviſſimam: Poëta verbis dixit lectiſſimis, ex optimo qvoq; mutuatus. Hiſtoricus aut Polybium, aut Ephorum, Strabonem, Livium, Diodorum Siceliotam, Ciceronem, aut qvem è priſcis priſcâ fide adhæreſcit: Poëta æqvat alios, vel ſuperat dicendi ſplendore, fide, ſvavitudine, vel efficacitate.*

VIII. Caſpar Barthius lib. VIII. Adverſariorum, cap. III: *Qvi qvidem, Poëta dicam, an verſificator, cum alibi hiſtoriam notiſſimam heroicis temporibus æqvans, nihil memorabile agit, tum præcipuè in talibus viris, qvorum nepotes in omnium erant oculis. Cum enim Scipio Herculi alicui, aut Achilli paria facit, qvanto convitio feriuntur, qvi id nomen tum habebant, neq; ultra qvartum ævum ab illo numerabant? Latinitatis puritas qvædam in hoc autore, nec tamen ubiq; ſtricta, eum claſſicorum cenſui æqvat, & hiſtoriarum etiam inductio; alioqvi neq; numeri, nec ſpiritus, nec ingenium, Poëtam talem referunt, qvalem cum principibus cenſeremus, ſi ævi felicitati adhuc minus corruptæ, unum ſaltem horum addidiſſet.* Et lib. X, cap. XXIV: *Licet omnium verè Latinorum* Poë*tarum ingenio & acumine ſit poſtremus, præter dictionis tamen puritatem non pauca etiam habet, non infeliciter, & eruditiſſimè dicta.* Et lib. XIII, cap. VIII: *Qvi Silium Italicum, imitatorem Virgilii diligentiſſimum*

tiſſimum, licet non ſemper feliciſſimum, emendarunt, levi brachio operâ defuncti ſunt. Idem ad Statii lib. V, Thebaidos, v. 526: *Qvæ tolerabiliter Papinius, immani hiatu protulit Silius Italicus, cujus Poeſis tota ſenilem conatum habet, neqve ingenioſum ferè qvicqvam, niſi forte unum aliqvod dictum ſingulis libris. Ut taceam, qvod non ſibi verba, ſed ſe verbis ſervire indicat, vocabulis verum æqvalium & ferè earundem inhærens. Pro bono aliqvo autore legamus hunc ſcriptorem; pro Poëta, neſcio an non erubeſcamus; vatis verò nihil habet. Judicio inſigni in eo tamen fuit, qvod agnoſcere potuit veram poëſin, cultu Maronis ſuam conſcientiam faſſus. Non nego bonas ſententias inſpergere. Sed & raræ ea ſunt, & valde trepidæ aut pigriter incedunt.*

IX. Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XXIX: *Deſcripſit bellum Punicum ſecundum, qvod Hannibalicum dicitur, carmine qvidem,*

Obligat hiſtoricâ ſed ſua verba fide.

Eo in poëmate inprimis Livium & Polybium ſeqvitur. Nec ſolum iſtis prodeſt, qvæ hoc de bello refert: ſed vel inprimis iis, qvæ narrat de Xantippo, Regulo, Duillio, aliisq́; ad bellum Punicum primum pertinentibus; cujus hiſtoria in Livio deperiit. Idem etiam adſpergit, qvæ aliis geſta ſunt temporibus: ut de Scævola, Clœlia, Camillo, trecentis Fabiis, & bello Macedonico primo. Item libro tertio encomia inſerit Veſpaſiani, Titi, Domitiani. Ibidem poſt qvædam: *Etſi autem ad Maronis ſe exemplum componeret: nihil tamen ille ad divini vatis majeſtatem: imò carminum gloria etiam vincitur, non à Lucano modò, ſed etiam Papinio, Valerio Flacco, & juniorum aliis.* Iterum poſt qvædam: *Et tamen laudabilis induſtriæ ſic qvoq; ſucceſſus non infelix fuit. Nec enim planè ei adulatur Martialis, cum os ei tribuit magnum facundumq́;. Qvod ſi de puritate etiam ſermonisq; Romani caſtimonia certare lubeat; nulli illorum cedat, qvos ea, vel proxima vidit ætas. Imo potius eos exſuperet univerſos.*

CAPUT XIV.
CAJUS CORNELIUS TACITUS.
Articulus I.
C. Cornelii Taciti Vita.

I. C. Cor-

I.

C. Cornelius Tacitus anno Urbis 829, qui eſt Chriſti 77, Sponſam accepit Cn. Julii Agricolæ, cum Veſpaſiano Imperatore conſulatum gerentis, filiam. Ipſe in Agricola cap. IX, §. VIII: *Conſul egregiæ tum ſpei filiam juveni mihi deſpondit; ac poſt conſulatum collocavit, & ſtatim Britanniæ præpoſitus eſt, adjecto* Pontificatus *ſacerdotio.*

II. Sæcularibus ludis, qvos Imperator Domitianus edidit, Tacitus interfuit. Lib. XI, Annalium, cap. XI, de ludis à Cæſare Claudio celebratis: *Iisdem Conſulibus ludi ſæculares octingenteſimo poſt Romam conditam, qvarto & ſexageſimo, qvam Auguſtus ediderat, ſpectati ſunt. Utriusq; principis rationes prætermitto; ſatis narratas libris, qvibus res imperatoris Domitiani compoſui. Nam is qvoq; edidit ludos ſæculares; iisq; intentius adfui ſacerdotio Qvindecimvirali præditus, ac tum* Prætor. *Qvod non jactantia refero, ſed qvia collegio Qvindecimvirum antiqvitus ea cura, & magiſtratus potisſimum exſeqvebantur officia cærimoniarum.* Qvando ludos ſæculares Domitianus inſtituerit, Cenſorinus de die natali, cap. XVII, refert: *Septimos Domitianus, ſe XIV, & L. Minucio Rufo COSS. anno DCCCXLI.* Qvorum conſulatus ab aliis ad annum Urbis 840, qvi eſt à Chriſto nato 88, refertur.

III. Anno Urbis 849, Chriſti 97, cum Cæſar Nerva tertium gereret, in Virginii Rufi locum ſuffectus, Conſulatum gesſit. Cujus meminit Plinius lib. II, epiſt. I: *Laudatus eſt* (Virginius Rufus) *à conſule Cornelio Tacito. Nam hic ſupremus felicitati ejus cumulus accesſit, laudator eloqventisſimus.*

IV. Sub Imperatore Trajano, qui anno Urbis 850. Chriſti 98, Coccejo Nervæ ſucceſſit, communem felicitatem prædicat lib. I, Hiſtoriarum, cap. I, §. V: *Mihi Galba, Otho, Vitellius, nec beneficio, nec injuriâ cogniti. Dignitatem noſtram à Veſpaſiano inchoatam, à Tito auctam, à Domitiano longius provectam non abnuerim; ſed incorruptam fidem profesſis, nec amore qvisqvam, & ſine odio dicendus eſt. Qvod ſi vita ſuppeditet, principatum divi Nervæ, & imperium Trajani, uberiorem ſecurioremq; materiam ſenectuti ſepoſui: rara temporum felicitate, ubi ſentire, qvæ velis, & qvæ ſentias, dicere licet.* Et in Agricola cap. III: *Nunc demum redit animus, & qvanqvam primo ſtatim beatisſimi ſæculi ortu Nerva Cæſar res olim disſociabiles miſcuerit, principatum*

ac libertatem, augeatq́; qvotidie felicitatem imperii Nerva Trajanus, nec ſpem modò ac votum ſecuritas publica, ſed ipſius voti fiduciam ac robur aſſumſerit; natura tamen infirmitatis humanæ, tardiora ſunt remedia, qvam mala.

V. Sunt, qvi ex noſtro Tacito M. Claudium Tacitum Imperatorem, qvod hic illum parentem ſuum dixerit, ut Flavius Vopiſcus in Tacito cap. X, refert, ortum cenſent. Qvanti æſtimatus fuerit Plinio, cujus inter amicos fuit, lib. IV, epiſt. XV: lib. VI, epiſt. XVI: lib. VII, epiſt. XX: lib. IX, epiſt. XIV, reperire eſt.

ARTICULUS II.
C. Cornelii Taciti Scripta.

I. C. Cornelius Tacitus de Romanorum geſtis, ab Auguſti exceſſu, ad Domitiani mortem (id eſt, ab anno Urbis 769, Chriſti 14: ad annum Urbis 847, Chriſti 95:) libros XXX compoſuit. Hieronymus comentariorum qvinto in Zachariam Prophetam cap. XIV, de Hieroſolymitano excidio locutus; *Hæc omnia pleniſſimè Joſephus, qvi Judaicã ſcripſit hiſtoriam; eô multò majora, qvam legimus in Prophetis, eos ſuſtinuiſſe commemorat Cornelius qvoq; Tacitus, qvi poſt Auguſtum, usqve ad mortem Domitiani vitas Cæſarum XXX voluminibus exaravit.*

II. Ex illis XXX libris ſuperſunt XXI. Annalium libros XVI habemus: qvorum qvinqve primores Corbejæ, qvod monaſterium ad Viſurgim eſt, inventi ſunt. Hinc depromtos Qvæſtor qvidam Pontificius ad Leonem X detulit, à qvô propterea qvingentis aureis donatus eſt. Hæc Juſtus Lipſius commentario ad lib. II, annalium, num. XXXIV, narrat.

III. Horum annalium liber primus orditur ab Auguſti de ſucceſſoribus ſibi deſtinandis deliberatione, id eſt, ab Anno Auguſti ultimo, Urbis 766, Chriſti 14. Poſtremus ſive XVI liber, in fine mutilus, terminatur in Thraſeæ Pœti, qvem Nero mori juſſerat, interitu, qvi in C. Svetonii, & L. Teleſini conſulatum, annum Urbis 818, Chriſti 66, incidit.

IV. Præterea Hiſtoriarum exſtant libri V. Primus à ſecundo Servii Gal-

vii Galbæ (qvi Neronis in imperio ſucceſſor fuit) & Titi Vinii Conſulatu, anno Urbis 821, Chriſti 69, incipit. Ultimus (ex perditis deſinebat in Domitiani morte, id eſt, anno Urbis 847, Chriſti 95: ex hodiernis autem, qvi eſt qvintus, in fine mutilus) terminatur in pace inter Cerealem Romanum, & Civilem Batavum (qvi auditâ Vitellii imperatoris morte, rebellis, prælio victus erat) initâ, ſive anno Urbis 822, Chriſti 70.

V. Hos Taciti libros additamentis ſuis meliores utilioresq; reddiderunt Beatus RHENANUS, Andreas ALCIATUS, Æmilius FERRETUS, Marcus VERTRANIUS Maurus, Annibal SCOTUS Placentinus, Fulvius URSINUS, Marcellus DONATUS, Franciſcus MODIUS, Henricus SAVILIS, Joſias MERCERUS, Curtius PICHENA, Chriſtophorus COLERUS, Juſtus LIPSIUS, Janus GRUTERUS, Scipio AMIRATUS, Chriſtophorus FORSTNERUS, Joannes FREINSHEMIUS, Joannes Henricus BOECLERUS.

VI. Prodierunt, Romæ M. D. XV, in f: cum *Rhenani* caſtigationibus, *Alciati* annotationibus, Venetiis M. D. XXXIV, in 4: cum *Ferreti* annotationibus, Lugduni M. D. XLI, in 8: cum *Rhenani*, & caſtigationibus, & theſauro locutionum, conſtructionum, vocumq; Tacito ſolennium; *Alciati* annotationibus, Baſileæ M. D. XLIV, in f: cum *Lipſii* notis, Antverpiæ M. D. LXXIV, in 8: cum *Lipſii* commentariis, ibidem M. D. LXXXV, in f: ibidem M. D. LXXXIX, in f: cum *Lipſii* & commentario, & excurſibus, & diſpunctione notarum Mirandulani codicis, ibidem M. DC. VII, in f: cum *Pichenæ* commentariis, Francofurti ad Mœnum M. DC. in 8: ibidem M. DC. VII, in 4: cum *Rhenani* caſtigationibus, *Alciati* annotationibus, *Ferreti* annotatiunculis, *Vertranii* & *Urſini* notis, *Donati*, dilucidationibus, *Modii* lectionibus novantiqvis, *Merceri* notis, *Pichenæ* & notis, & earum appendice; *Coleri* ſpicilegio, *Gruteri* ſchediaſmatibus, ibidem, M. DC. VII, in 8: cum *Freinshemii* locorum ab interpretibus intactorum, aut ſecus acceptorum expoſitione, Argentorati, M. DC. XXXVIII, in 8.

VII. In eosdem Taciti libros, ſed non additos, prodierunt *Lipſii* curæ ſecundæ, Lugduni Bat. M. D. LXXX, in 8: *Scoti* commentaria politicam & aulicam rationem præcipuè ſpectantia, Francofurti ad Mœ-

num

num M. D. XCII, in f: *Urſini* notæ, cum Hiſtoricorum fragmentis ab Antonio Auguſtino collectis, Antverpiæ M. D. XCV, in 8: *Savilii* (in hiſtoriarum libros) commentarius, qvem Iſaacus Gruterus ex Anglico in Latinum transtulit, Amſtelodami M. DC. XLIX, in 12: *Gruteri* discurſus varii, ſeu prolixiores commentarii, ex Commeliniana Officina, cum Onoſandri Strategico, M. DC. IV, in 4: auctiores, Livio ſubjuncti, Francofurti ad Mœnum M. DC. XXVIII, in f: *Donati* dilucidationes, tomo VI, Theſauri critici, qvem J. Gruterus collegit, ibidem M. DC. XII, in 8: *Amirati* diſſertationes politicæ, ibidem M. DC. XVIII, in 8: *Forſtneri* notæ politicæ, Argentorati M. DC. XXVIII, in 8: ejusdem omiſſorum liber ſingularis, ibidem M. DC. XXXI, in 8: & notæ, & omiſſorum liber, Lugduni Bat. M. DC. L, in 12: *Freinshemii* ſpecimen paraphraſeos Cornelianæ (hoc eſt, priorum qvatuor librorum in annalibus paraphraſis, cum verſionum comparatione in eosdem libros) Argentorati M. DC. XLI, in 8: *Bœcleri* (ad lib. I, Annalium, capita XV priora) commentarius, ibidem M. DC. XLIII, in 4: (ad lib. XIII, Annalium cap. III, de eloqventia Principum Romanorum) diſſertatio, ibidem M. DC. XLIX, in 4: (ad Hiſtoriarum libros V ſuperſtites) annotatio politica, ibidem M. DC. XLVIII, in 4.

ARTICULUS III.

Judicia de C. Cornelio Tacito.

I. Plinius lib. II, epiſt. I: *Laudatus eſt* (Virginius) *à Conſule Cornelio Tacito. Nam hic felicitati ejus ſupremus cumulus acceſſit, laudator eloqventiſſimus.* Et epiſt. XI: *Reſpondit Cornelius Tacitus eloqventiſſimè, & qvod eximium orationi ejus ineſt, σεμνῶς.*

II. Tertullianus Apologetico adverſus gentes, cap. XVI, cum qvædam ex Tacito citaſſet falſa: *Idem Cornelius Tacitus, ſanè ille mendaciorum loqvaciſſimus, in eadem hiſtoria refert.*

III. Paulus Oroſius lib. VII, hiſtoriarum, cap. X: *Qvanta fuerint Diurpanei Dacorum Regis cum Fuſco duce prælia, qvantæq; Romanorum clades, longo textu evolverem, niſi Cornelius Tacitus, qvi hanc hiſtoriam diligentiſſimè contexuit, de reticendo interfectorum numero, & Salluſtium Criſpum, & alios autores qvam plurimos ſanxiſſe,*

& ſe

& ſe ipſum idem potiſſimum elegiſſe dixiſſet. Qvæ Oroſii verba Paulus Diaconus ſua facit lib. IX, hiſtoriæ miſcellæ, cap. XI.

IV. Sidonius Apollinaris Panegyrico Authemii, v. CXC, & ſeq:

Qva Criſpus brevitate placet, qvô pondere Varro,
Qvo genio Plautus, qvô flumine Qvintilianus,
Qvâ pompa Tacitus nunqvam ſine laude loqvendus.

V. Andreas Alciatus ad Paulum Jovium epiſtola, Ticini M. D. XLIX, ſcripta: *Satis tibi fuerit, pauculos tantum flores ex Q. Curtii pratis, ſæpius qvam ex Cornelii Taciti ſenticetis, arguta manu decerpſiſſe.*

VI. Dioyſius Lambinus commentario ad Horatii lib. III, odam XXVII: *Hanc ſententiam confirmat Cornelius Tacitus, non optimus ille qvidem Latinitatis autor, ſed hiſtoriæ certè ſcriptor prudens, verus atq; acutus.*

VII. Joannes Bodinus Methodo Hiſtoriarum cap. IV: *Eſt oratio Taciti mirum in modum arguta & prudentiæ plena.* Ibidem, cum id ipſum aliqvot exemplis demonſtraſſet: *Qvid multa? nullus profectò Hiſtoricus magiſtratui ac judici utilior videtur.* Et, cum Andreæ Alciati judicium, Cornelianam hiſtoriam ſenticeta vocantis, improbaviſſet: *Budæus acerbè Tacitum ſcriptorem omnium ſceleratiſſimum appellavit: qvod non nihil adverſus Chriſtianos ſcripſit. Qvæ ratio fecit, opinor, ut eum Tertullianus mendaciſſimum, Oroſius adulatorem appellaret. Sed qvemadmodum Marcellus JC. meretricem turpiter facere reſpondit, qvod ſit meretrix, non tamen turpiter accipere, cum ſit meretrix: ita qvoq; impiè fecit Tacitus, qvod non fuerit Chriſtianus: ſed non impiè adverſus nos ſcripſit, cum gentili ſuperſtitione obligaretur. Ego verò impium judicarem, niſi qvamcunq; religionem veram judicaret, non eam qvoq; tueri, & contrarias evertere conaretur.*

VIII. Antonius Poſſevinus lib. I, Bibliothecæ ſelectæ, cap. XXVI: *Acer eſt ſcriptor, ſuasq; fert utilitates his temporibus, qvibus, dum Principum illius ſæculi aulas, interiorem vitam, conſilia, juſſa, facta conſiderat, occaſionem præbet, ut obvia in plerisq; ſimilitudine pares aliorum principum exitus animo percipiantur.* Ibidem poſt pauca: *Ubi Tacitus de Chriſtianorum necibus agit, cæcitas in illo maxima & cerni debet, & caveri. Qvippe immerſus Romanis rebus, vera Chriſtia-*

norum geſta, qvæ in oculis erant omnium, ignorans, malignâ mente carpebat: cum etiam in Judæorum origine mentiatur, de qvibus tamen coactus eſt ſcribere, adoratum ab iis unum Deum. Ea ergo cauſa eſt, cur Tacitum Tertullianus mendaciorum loqvaciſſimum vocat: qvem nos & terrenæ prudentiæ faſtu elatum, pleraq; dicentem, à qvibus non abeſt impietas, & divinæ juſtitiæ ignoratio, rectè dicere poſſumus. Eadem in Poſſevini Apparatu ad omnium gentium hiſtoriam, ſect. III, cap. XIV, inveniuntur.

IX. Juſtus Lipſius ad Maximilianum II, Imperatorem epiſtola, qvam ſuo in Tacitum commentario præmiſit: *Admirabile eſt, qvantum inter iſtos* (recentioris ætatis Hiſtoricos) *unus excellat, imitator Salluſtii Cornelius Tacitus, omni virtute antiqvis proximus, longo qvidem intervallo, ſed tamen proximus: & ſi lingvæ Latinæ eſſet eadem puritas, cætera ſic perfectus, ut vocare illos ipſos antiqvos in certamen poſſit dignitatis. Acer ſcriptor, dii boni, & prudens.* Ibidem poſt qvædam: *Genus ipſum ſermonis, minimè ſordidum aut vulgare, diſtinctum crebris, & neſcio unde ex abdito erutis ſententiis, qvas vel veritate, vel brevitate, vicem oraculi poſſis accipere.* Idem in notis ad politicorum lib. I, cap. IX: *Latini* (Hiſtorici) *ſeqvuntur, qvorum agmen Cornelius Tacitus mihi ducat. Ante Livium? inqvies. Non eloqventia aut aliis virtutibus: ſed iis, qvas nunc conſideramus, Prudentiæ & Judicii notis. Qvis illô verius narrat, aut brevius? Qvis narrando magis docet? In moribus qvid eſt, qvod non tangat? in affectibus, qvod non revelet? Mirabilis omninò ſcriptor, & qvi ſerio hoc ipſum agit, qvod non agit. Nec enim hiſtoria ſolum eſt: ſed velut hortus & ſeminarium præceptorum. Ut ii, qvi veſtes acu pingunt, ingenioſè gemmas inſerunt, ſine confuſione aut noxa formarum: ſic iſte paſſim ſententias, ſerie narrationis nihil omiſſa aut læſa. Scaber tamen qvibusdam & obſcurus videtur: ſuóne vitio, an ipſorum? Nam acutè arguteq; ſcripſiſſe fateor: & tales eſſe debere, qvi eum legent. Ideo conſiliariis magis Principum, qvam ipſis commendo: qvi habeant hunc ſapientiæ ſimul & prudentiæ verum ducem.* Idem cent. III, epiſt. LXXXIX: *Dederam Tacitum, prudentiæ (tuo qvoq; judicio) patrem: debui, certè volui; & Senecam, ſapientiæ fontem. Sed de Tacito, dici non poteſt, qvam me tua elogia delectent. Nam qvosdam eſſe, qvi preſſum illum eunt, vel abjectum non igno-*

ignorat. A qvibus ita diſſentio, ut æternæ providentiæ beneficio datum, ſervatumq; in parte ſcriptorem illum arbitrer, ad ingenia & conſilia vel illuſtranda, vel dirigenda.

X. Joannes Mariana lib. II, de Regis inſtitutione, cap. VI: *Confirmatis ſtudiis & peritia majori Tacitus adjungatur, horrida oratione atqve ſpinoſa, ſed arguta imprimis magnum rerum theſaurum tegens, conſilia principum, artes fraudesq; aulæ. In alienis periculis & malis, qvaſi in ſpeculo, noſtrarum rerum imaginem contemplari licebit. Idoneus autor, qvem nunqvam Principes, nunqvam aulici deponant de manibus, die noctuq; verſent.*

XI. Joannes Ovvenus lib. II, epigr. CLIX:

Veracem fecit probitas, natura ſagacem:
Obſcurum brevitas te, gravitasq; brevem.

XII. Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XXX: *Dictio Taciti floridior uberiorq; in hiſtoriarum eſt libris, preſſior ſicciorq; in annalibus. Nimirum in hiſtoria rem perſeqvitur ordine, nec eam intercidit rebus aliis. In annalibus ſtylum accommodat annis ac Coſs. Eaq; cauſa eſt, cur in hiſtoria cauſas accuratius tractet: in annalibus eas brevius proponat: cur item in hiſtoria uberior ſit dictio, conciſior in annalibus. Interim gravis utrobiq; & diſerta.* Ibidem poſt qvædam: *Alciatus, vir ſanè egregius, non dubitat affirmare, dictionem ejus, præ illa Pauli Jovii, eſſe ſenticeta. Condonemus tale judicium tanto viro, & cogitemus, ex amore Jovii proficiſci. Et qvale illud, qvod idē & Æmilius Ferretus ajunt, eum non Latinè ſatis ſcribere? Qvam hoc inſubidum, qvam inſulſum! Qvis enim non videt, dictio Taciti qvam ſit elegans, qvam terſa & limata? Et tamen major eſt laus iſta, qvod nihil eo ſcriptore vel cogitari poſſit prudentius.*

XIII. Gabriel Naudæus in Bibliographia politica, cum Thucydidem, Polybium, Saluſtium & Livium commendaſſet: *Qvod idem de Cornelio Tacito dicerem, ſi cum reliqvis promiſcuè in hiſtorici Theatri ſcenâ conſpiceretur. At verò qvoniam ſedet ipſe velut omnium Princeps ac Imperator in orcheſtra, aut potius ſedem ſibi fecit in machina, ex qvâ cum ſtupore & admiratione politicas difficultates componit; virtutum ſuarum majeſtate omne faſtigium humanum excedens; certè conſultius eſſe mihi perſvadeo, non hunc tenui ſermone, velut ho-*

minem, ſed eloqventi ſilentio, deitatis inſtar, venerari. Unde, ſi pueri olim juris civilis ſtudium auſpicaturi leges XII tabularum, tanqvam carmen neceſſarium, ediſcebant, cur non & Politici reip. clavum gubernaturi hujus autoris ſcripta memoriæ penitus commendabunt, à qvibus exempla ſimul atq; oracula petant, ipſius reip. benè feliciter adminiſtrandæ?

XIV. Marcus Zuerius Boxhornius in Hiſtoria univerſali ad A. C. XCIX: *Cornelius Tacitus, autor gravisſimus, neq; obiter inſpiciendus. Qvi qvanqvam in magnarum rerum narratione, qvæ momenti alicujus ſunt, promat omnia, plura tamen tegit & recondit, qvæ seriò tantum legenti aperiuntur. Neq; enim lectione tantum, ſed memoria, ſed judicio, & ſumma attentione eſt opus; ſed & incredibili qvadam ſagacitate, ut eventa cum originibus ſuis & cauſis, & qvaſi cunabulis, qvæ diligenter & ſumma judicii gravitate ab eo explicata ſunt, continuò contendamus; ut in partibus, qvomodo vir hujus ſæculi clarisſimus rectè alibi judicat & loqvitur, totius uſum negotii, ut ipſas inter ſe partes & cum re tota, pervideamus; ut deniq; rerum in ſpeciem & primo aſpectu minimarum non exigua aut contemnenda momenta, in ipſa ſæpe dictione ac ſtylo penetremus. Cum enim arcanam, neq; vulgò obviam ubiq; prudentiam contineat, profectò non admirabile minus eſt & arcanum, & inuſitatum aliis, abdita qvæq; & recondita exprimendi genus. Adeo nihil in omni ejus ſermone eſt, qvantumvis conciſo ac brevi, qvod non maxima obſervandæq; imprimis rei vim habeat ac ſignificationem. In qvo cum aſperitatem qvadam aut inſvetam ſpeciem habere videantur, nihil majeſtati tamen, qvam dicendo magnitudini rerum adæqvat, officiunt, ſed robur ejus omne perficiunt ac abſolvunt. Eqvidem ita invenio, qvâ qvantaq; cura & ſolicitudine dicta in curia, gravisſimis de rebus ſententiæ, facta Senatus conſulta, conditæ leges, cœpta bella aut finita, adminiſtratæ provinciæ, expoſitæ & exceptæ, vel auditæ ſplendidisſimæ legationes, ſtructæ clam inſidiæ & doli, tantâ accuratisſimum autorem ſingula legentibus exhibuiſſe; plane ut omnis ejus oratio, qvâ & narrat ſimul, & judicat, & præcipit, & vetat, ac factorum uſum ab eorundem notitia ac cognitione nunqvam ſejungit, rerum, qvas tradit, & abditorum, qvæ prodit, conſiliorum, perfectisſima apertaq; imago mihi qvidem eſſe videatur.*

XV. Vi-

XV. Videantur de Tacito judicia, qvæ in aliis partis hujus locis adduximus, Flavii Vopiſci, cap. VI, art. III, §. X: Joannis Bodini, cap. XVII, art. III, §. VI. Antonii Poſſevini, cap. VIII, art. III, §. IX: Caſparis Barthii, cap. XXIII, art. III, §. III.

CAPUT XV.

LUCIUS ANNÆUS FLORUS.

ARTICULUS I.

L. Annæi Flori Vita.

I.

Lucius Annæus Florus, in qvibusdam veteribus libris, pro Lucio Julius dictus, pro Floro Seneca cognominatus, qvando vixerit ipſe in librorum ſuorum præfatione indicat. Nam ibi: *A Cæſare Auguſto*, ait, *in ſæculum noſtrum ſunt haud multò minus anni CC: qvibq inertiâ Cæſarum qvaſi conſenuit atq; decoxit: niſi qvod ſub Trajano Principe movet lacertos, & præter ſpem omnium, ſenectus imperii, qvaſi reddita juventute revireſcit.*

II. Hæc qvidem inter ſe qvâ ratione conciliari debeant, non ſatis liqvet. Nam ab Auguſti principatu, ſi hujus initium ad annum Urbis 724, qvô Imperator appellari cœpit, referas; ad imperium Trajani, qvod anno Urbis 850 ſuſcepit, anni ſunt CXXIV: ad ejusdem Imperatoris exceſſum, CXLIII. At, ſi principatum Auguſti, qvod alii faciunt, anno Urbis 722, qvo poſt Antonium victum, Auguſtus ſolus remp. tenere cœpit, cœpiſſe ſtatuas; ab ejusdem principatu ad Trajani imperium, anni erunt CXXVI: ad ejusdem obitum, CXLV. Qvod ſi verò temporum Auguſti principium eo in anno figere placeat, qvô anteceſſor Julius interfectus eſt; ad imperium Trajani, annos CXXXIX: ad ejusdem fatum, CLVIII collegeris.

III. Qvæ cum ita ſint; aut veros autor non appoſuit numeros, Chronologiæ negligentisſimus; aut corruptos habemus; aut præfationem non Trajani temporibus ſcripſerit: fortè ultimis Hadriani an-

nis, cujus cum vitâ imperium exſpiravit anno Urbis 889, Chriſti 137. Ad qvem annum ab obitu Julii Cæſaris numerantur anni CLXXX.

IV. Secundum Gerardus Joannes Voſſius amplectitur, pro *anni CC*, legendum ratus, *anni CL*, lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. xxx. Ultimum qvibus arridet, in voce *movet*, pro qvâ *movit*, ut in qvibusdam MStis exſtat, legunt, ſententiæ ſuæ potisſimum præſidium habent: inter qvos Joannes Camers & Claudius Salmaſius nomina ſua profitentur.

V. Nihil repugnat, qvò minus noſter Annæus Florus ſit, cujus ad imperatorem Hadrianum verſiculos Spartianus in Hadriano, cap. XVI, in medium affert: & cujus ad eundem Hadrianum epiſtolam (unde verba hæc: *Poëmatis delector*, adducit) Soſipater Chariſius Grammaticus citat. Cenſent hoc, laudati viri, Salmaſius in notis, cum ad dictum Spartiani locum, tum ad Flori præfationem: Voſſius de Poëtis Latinis cap. IV: item lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. xxx: ubi ſubjicit: *Sanè, qvod poëmatis delectari ſe ait, id non abhorret ab hujus compendii ſcriptore, qvando ſtylus ejus in hiſtoria eſt declamatorius, ac poëtico propior, adeo, ut etiam Virgilii hemiſtichia profundat.*

VI. Jam, etſi nulla ex his ſententia prorſus omni dubio careat, id tamen extra controverſiā poſitum videmus, intra tempus illud, qvod eſt à Trajano, qvi anno Urbis 850, Chriſti 98 imperare cœpit; anno autem Urbis 869, Chriſti 117, vivere deſiit) usq; ad ſucceſſoris Hadriani mortem, qvæ in annum Urbis 890, Chriſti 138 incidit, Florum noſtrum vixiſſe.

Articulus II.
L. Annæi Flori
Scripta.

I. L. Annæus Florus ſcripſit rerum Romanarum libris IV Epitomen. Qvam incipit ab Urbe condita ſive anno Mundi 3198, ante C.N. 750: finit in Jano, Imperatoris Auguſti temporibus, prima vice clauſo, id eſt, in anno Urbis 724, Chriſti 27, qvô Auguſtus cum Sexto Apulejo Nepote qvintum conſulatum geſſit, & primū Imperator ſalutatus eſt.

II. Hanc

II. Hanc Epitomen explicant Joannes CAMERS, Joannes STADIUS, Fridericus SYLBURGIUS, Janus GRUTERUS, Claudius SALMASIUS, Joannes FREINSHEIMIUS, Jacobus ZEVECOTIUS, Joannes MINELLIUS.

III. Prodiit, cum *Camertis* annotationibus, Coloniæ Agrippinæ M. D. XL, in 8: Moguntiæ M. D. LI, in 8: cum *Stadii* commentario, Coloniæ Agrippinæ M. D. LXXIX, in 8: ibidem M. DC. in 8: cum *Sylburgii* diverſis locorum ſcripturis, tomo I, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, Francofurti ad Mœnum M. D. LXXXVIII, in f: cum *Gruteri* & *Salmaſii* notis, Heidelbergæ M. DC. IX, in 8: *Gruteri* notis, tomo I, hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum, Hanoviæ M. DC. XI, in f: cum *Salmaſii* auctioribus notis, Lugduni Batavorum M. DC. LV, in 8: cum *Freinshemii* aliorumqve commentatorum ſelectis notis, Argentinæ M. DC. XXXII, in 8: ibidem M. DC. LV, in 8: cum *Zevecotii* obſervationibus maximè politicis, Hardevici M. DC. XXXIII, in 12: Amſtelodami, M. DC. XXXVIII, in 12: cum *Minellii* annotationibus, Roterodami M. DC. LXIV, in 12.

ARTICULUS III.

Judicia de L. Annæo Floro.

I. Juſtus Lipſius lib. II, Electorum, cap. V: *L. Annæus Florus compendium non tam Livii, à qvo ſæpe diſſentit, qvàm rerum Romanarum ſcripſit: ſi qvid mei judicii eſt, compoſitè, diſertè, eleganter. Subtilitas qvidem & brevitas in eo ſæpe mira: & ſententiarum qvædam gemmulæ cum judicio inſertæ & veritate.*

II. Chriſtophorus Colerus de ſtudio politico epiſtola, qvam Auguſtus Buchnerus Gabrielis Naudæi Bibliographiæ addidit: *L. Annæi Flori compendium rerum Romanarum magis, qvam Livii. Tabulam enim dixeris haud abſurdè, in qvâ imago totius Reip. Romanæ expreſſa. Ipſe hoc nomen tribuit. Nihilo me hercule jucundius terſiſſimum illum libellum legas, qvam Apellis tabulas intueare. Ita compoſitus, ita elegans eſt. Miror judicium, qvod ubiq; cum ſubtilitate & brevitate ſententiarum in tanto rerum acervo & varietate inſerit.*

III. Claudius Salmaſius ad Ælii Spartiani in Hadriano cap. XVI:

Florus

Florus elegantiſſimum illud hiſtoriæ Romanæ breviarium imperante Hadriano edidit.

IV. Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis cap. XXX: *Stylus ejus in hiſtoria eſt declamatorius, ac poëtico propior, adeo, ut etiam Virgilii hemiſtichia profundat. Et tamen ea potisſima eſt Flori noſtri laus, qvod ſcriptor eſt elegans & diſertus, &, ſi paucula exceperis, qvæ frigidius dicta videntur, verè floridus. Sed latæ eſt culpæ reus, qvod in temporum ratione usq; adeo negligens ſit; ita, ut non posſit non ſæpius hallucinari, qvi hunc ducem ſeqvi velit. Valde autem falluntur, qvi eum putant in hiſtoria ſuâ epitomen nobis Livii dare voluiſſe: ſiqvidem crebrò à Livio recedit.*

CAPUT XVI.

SEXTUS JULIUS FRONTINUS.

ARTICULUS I.

Sexti Julii Frontini Vita.

I.

SExtus Julius Frontinus vir conſularis fuit: ſicut Ælianus de inſtruendis aciebus, cap. I; & in præfatione, qvam eidem libello præmiſit, commemorat.

II. Veſpaſiani Auguſti ſecundo, & Titi filii conſulatu, id eſt, anno Urbis 822, Chriſti 70 Prætor urbanus erat. Tacitus lib. IV, hiſtoriarum, cap. XXXVIII, §. I: *Interea Veſpaſianus iterum ac Titus conſulatum abſentes inierunt.* Et cap. XXXIX, §. I: *Kalendis Januariis in Senatu, qvem Julius Frontinus Prætor urbanus vocaverat, legatis exercitibusq; ac regibus laudes gratiaq; decreta.* Ibidem §. III: *Et mox, ejurante Frontino, Cæſar Domitianus Præturam accepit.* Unde ſuſpiceris, anno Urbis præcedente, qvi eſt 821, à Frontino Præturam geſtam eſſe, qvod eâ ſe, poſteaqvam Calendis Januariis, Senatum, abſentibus novis conſulibus, convocaſſet, abdicaverit; niſi, aut unius diei prætorem fuiſſe dicas, aut ante Calendas Januarias magiſtratum

novos

novos Prætores ſuſcepiſſe ſtatuas; qvod ſe nusqvam legiſſe Stephanus Vinandus Pighius fatetur lib. xviii., annalium Romanorum, ad annum Urbis DCCCXXI.

III. Poſtea Britanniæ Proconſulem, ante Julium Agricolam, egit. Tacitus in Agricolæ cap. xvii: *Et cum Cerealis qvidem alterius ſucceſſoris curam famamq́; obruiſſet, ſuſtinuit qvoq; molem Julius Frontinus, vir magnus, qvantum licebat, validamq́; & pugnacem Silurum gentem armis ſubegit; ſuper virtutem hoſtium, locorum qvoqve difficultates eluctatus. Hunc Britanniæ ſtatum, has bellorum vices media jam æſtate transgreſſus Agricola invenit.*

IV. Temporibus Nervæ Imperatoris, qvi anno Urbis 848, Chriſti 96, ſuſceptum imperium, altero anno cum vita depoſuit, Præfectus aqvarum fuit. Id ipſe tradit præfatione in ſuum de aqvæ ductibus librum: *Cum omnis res ab Imperatore delegata intentiorem exigat curam, & me, ſeu naturalis ſolicitudo, ſeu fides ſedula, non ad diligentiam modò, verum ad amorem qvoq; commiſſæ rei inſtigent, ſitq́; mihi nunc ab Nerva Auguſto, neſcio, diligentiore, an amantiore Reip. imperatore, aqvarum injunctum officium, tum ad uſum, tum ad ſalubritatem, atqve etiam ad ſecuritatem urbis pertinens, adminiſtratum per principes ſemper civitatis noſtræ viros; primum ac potisſimū exiſtimo, noſſe, qvod ſuſcepi.*

V. Sub Trajano etiam Imperatore, qvi anno Urbis 850, Chriſti 98, imperium ſuſcepit, vixiſſe Frontinum, vix erit, ut ex hoc Æliani loco evincere coneris, cum in præfatione, qvam ad Hadrianum Auguſtum, ſuo de inſtruendis aciebus libello præmiſit, Theodoro Gaza interprete, inqvit: *Cum ad divum Nervam, patrem tuum, ſalutandi viſendiq́; gratia Formias veniſſem, diesq́; non nullos apud Frontinum, virum conſularem inſignem, & rei militaris peritum, diverterem, intellexi ſanè, non minus ſtudii ab eo ipſo Græcæ impendi, qvam Romanæ ſcientiæ militari.* Nam etſi, cum ad Hadrianum Auguſtum iſta ſcripſerit, per ejus patrem, divum Nervam [niſi voce patris pro avo accepta, Coccejum Nervam intelligas] Nervā Trajanum, Cocceji, & adoptivum filium, & ſucceſſorem, (cujus adoptivus filius Hadrianus fuit) innuat: Trajanus tamen, cum eum Formiis ſalutavit Ælianus, tum adhuc privatus eſſe potuit.

VI. Nihilô melior ad hoc oſtendendum Flavii Vegetii locus,

lib. II, de re militari, cap. III, ſcribentis: *Unius ætatis ſunt, qvæ fortiter fiunt; qvæ verò pro utilitate Reip. ſcribuntur, æterna ſunt. Idem fecerunt alii complures, ſed præcipuè Frontinus divo Trajano ob ejusmodi comprobatus induſtriam*: etiamſi vulgarem lectionem; *ob ejusmodi comprobatur induſtriam*; retineas. Cum enim Vegetius ad Valentinianum Auguſtum adeoqve jam tertio poſt Trajanum ſæculo illa ſcripſerit; ſicut per Trajanum, Trajani de Frontino relictum in ſcriptis judicium: ita per Frontinum, compoſitos à Frontino libros intelligere poſſumus. Hunc tamen Vegetii locum, eſt, qvi adducit, ſub Trajano imperatore Frontinum vixiſſe oſtenſurus.

VII. Firmiora, qvibus idem probemus, argumenta notavimus. Plinius lib. IV, epiſt. VIII, ad Arrianum: *Gratularis mihi, qvod acceperim auguratum. Jure gratularis, primum, qvod graviſſimi Principis judicium in minoribus etiam rebus conſeqvi pulcrum eſt: deinde qvod Sacerdotium ipſum, cum priſcum & religioſum, tum hoc qvoq; ſacrum planè & inſigne eſt, qvod non adimitur viventi. Nam alia, qvanqvam dignitate propemodum paria, ut tribuuntur, ſic auferuntur: in hoc fortunæ hactenus licet, ut dari poſſit. Mihi verò etiam illud gratulatione dignum videtur, qvod ſucceſſi Julio Frontino, principi viro: qvi me nominationis die per hos continuos annos inter ſacerdotes nominabat, tanqvam in locum ſuum cooptaret: qvod nunc eventus ita comprobavit, ut non fortuitum videretur. Te qvidem, (ut ſcribis) ob hoc maximè delectat auguratus meus, qvod Marcus Tullius augur fuit. Lætaris enim, qvod honoribus ejus inſiſtam, qvem æmulari in ſtudiis cupio. Sed utinam, ut Sacerdotium, idem & conſulatum, multò etiam junior, qvam ille, ſum conſecutus: ita ſenex ſaltem ingenium ejus aliqva ex parte aſſeqvi poſſim.* Ex his, Trajano imperante, Frontinum adhuc ſuperſtitem fuiſſe, colligimus. Plinius, cum auguratum, Frontini ſucceſſor, acciperet, jam conſulis honores conſecutus erat. Conſulatum verò, cum imperator Trajanus tertium gereret, anno Urbis 852, Chriſti 100, geſſit.

VIII. Ipſe Frontinus in prologo libri de re agraria, ſive agrorum qvalitatibus, eorundemqve controverſiis ait: *Poſtqvam ergò maximus Imperator victoriam Dacicam proximè reſeravit, ſtatim ad ſeptentrionalem plagam tranſire permiſit.* Hæc de Trajano dici, conſideratis omnibus circumſtantiis, nemo hiſtoriarum Romanarum paulò peritior

ritior negaverit. Imperator autem Trajanus expeditionem in Dacos anno Urbis 852, Chriſti 100, ſuſcepit: ſuperatoqve Decebalo, Rege Dacorum, qvi, ne caperetur, voluntariam mortem ſubiit, victoriam conſecutus, bellum anno Urbis 857, Chriſti 105, confecit.

IX. Non ultra imperium Trajani, qvod in anno Urbis 869, Chriſti 117 terminatur, ætatem ſuam extendiſſe Frontinum, ex dicta Plinii epiſtola ſuſpicari posſis. Nam, ut Plinio vacaret, augurii ſacerdotium Frontinus aut ſponte, aut morte coactus, depoſuit. Neqvis enim ademtum Frontino auguratum credat Romanorum obſtat conſvetudo. Qvam ipſe Plinius innuit, cum *ſacrum plane & inſigne* vocat *Sacerdotium, qvod non adimitur viventi*, & in qvod hoc *fortunæ tantum licet, ut dari posſit.* Eandem Plutarchus docet, cum in qvæſtionibus Romanis cap. XCIX, de cauſis ſolicitus eſt, cur Sacerdotium [cum tamen alia damnatorum Sacerdotia ſuſcipiant alii] ſolis auguribus, qvamvis ſummorum flagitiorum reis, qvamdiu vivant, non abrogetur? Jam, ſi ſponte Frontinus auguratum Plinio ceſſiſſet, ſine dubio indicatum reperiremus. Qvare, ſicut laudatam epiſtolam, Trajani tempore, qvi *graviſſimi Principis* nomine videtur intelligi, à Plinio ſcriptam eſſe; ita, ſub eodem Principe, Frontinum obiiſſe, obituq; ſuo inter augures Plinio feciſſe locum, vero ſimillimum eſt.

X. Certè Plinius Frontino ſuperſtes fuit. Qvod ejus, libro IX, epiſt. XIX, teſtantur hæc verba: *Reprehendis, qvod juſſerit* (Virginius Rufus); *addis etiam, melius rectiusq; Frontinum, qvod vetuerit omnino monumentum ſibi fieri: meq; ad extremum, qvid de utroq; ſentiam, conſulis. Utrumq; dilexi; miratus ſum magis, qvem tu reprehendis.* Ibidem poſt qvædam: *Agedum, hunc ipſum Frontinum, in hoc ipſo, in qvo tibi parcior videtur & presſior, comparemus. Vetuit exſtrui monumentum: ſed qvibus verbis? Impenſa monumenti ſupervacua eſt, memoria noſtri durabit, ſi vitâ meruimus.*

ARTICULUS II.

Sexti Julii Frontini Scripta.

I. Sextus Julius Frontinus, de aqvæ ductibus Urbis Romæ, commentarium nobis reliqvit. In qvô qvid commemoret, ipſe his in procemio verbis indicat: *Ac ne qvid ad totius rei pertinens notitiam prætermiſiſſe videar, nomina primum Aqvarum, qva in urbem Romam influunt, ponam: tum per qvos qvæq; earum, & qvibus Conſulibus, & qvoto poſt urbem conditam anno perductæ ſint: deinde qvibus ex locis, & qvoto milliario duci cæpiſſent, qvantum ſubterraneo rivo, qvantum ſubſtructione, qvantum opere arcuato: poſtea altitudinem cujusq;, modulorum qvoq; rationem, & ab illis erogationes, qvantum extra urbem, qvantum intra, qviq; modus cuiq; regioni, pro ſuo modulo unaqvæq; aqvarum ſerviat: qvot caſtella publica privataq; ſint, & ex his, qvantum publicis operibus, qvantum muneribus (ita enim cultiores appellant,) qvantum lacubus, qvantum nomine Cæſaris, qvantum privatorum uſui, beneficio Principis, daretur: qvod jus tuendarum ſit earum, qvâ contumaces afficiantur pœna ex lege SCti & mandatis Principum irrogata.*

II. Prodiit, Marci Vitruvii de Architectura libris ſubjunctus, M. D. XXIII, in 8: Onuphrii Panvinii de Rep. Romana commentariis additus, Pariſiis M. D. LXXXVIII, in 8: & inter rei militaris Scriptores, qvos Petrus Scriverius edidit, Antverpiæ M DC.VII, in 4.

III. Præterea de Italiæ coloniis libellum ſcripſit. Cujus duplex, idq; in multis diverſum exemplar, idem Scriverius, inter eosdem Scriptores, publicavit. Prius exemplar dictis Panvinii commentariis adjectum reperitur.

Articulus III.

Judicia de Sexto Julio Frontino.

I. Hieronymus Magius lib. IV, miſcellaneorum, cap. II: *Julius Frontinus maximus Geometra.*

II. Caſpar Barthius lib. II, Adverſariorum, cap. XI: *Serius & minimè verboſus autor.*

III. Videatur de Frontino judicium Æliani, ſupra, hoc ipſo in capite, art. I, §. V, adductum.

CAPUT

CAPUT XVII.

CAJUS SVETONIUS TRANQVILLUS.

ARTICULUS I.

C. Svetonii Tranqvilli Vita.

I.

C. Svetonius Tranqvillus Avi ſui mentionem facit in Caligula cap. XIX: *Scio plerosq; exiſtimaſſe, talem à Cajo pontem excogitatum æmulatione Xerxis, qvi non ſine admiratione aliqvanto anguſtiorem Helleſpontum contabulaverit. Alios: ut Germaniam & Britanniam, qvibus imminebat, alicujus immenſi operis fama territaret. Sed avum meum narrantem puer audiebam; cauſam operis ab interioribus aulicis proditam; qvod Thraſyllus mathematicus, anxio de ſucceſſore Tiberio, & in verum nepotem proniori affirmaſſet: Non magis Cajum imperaturum, qvam per Bajanum ſinum eqvis diſcurſurum.* De Patre ſuo refert hæc in Othone cap. X; cum inter Othonem & Vitellii Legatos ad Bebriacum, anno Urbis 821, Chriſti 69, habitum prælium deſcripſiſſet: *Interfuit huic bello pater meus Svetonius Lenis, tertiæ decimæ legionis Tribunus anguſticlavius.*

II. Natus eſt, aut Neronis ultimis, aut primis Veſpaſiani temporibus. Nam in Nerone cap. ultimo ait: *Deniq; cum poſt viginti annos, adoleſcente me, exſtitiſſet conditionis incertæ, qvi ſe Neronem eſſe jactaret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus & vix redditus ſit.* Nero qvidem, anno Urbis 820, Chriſti 68; Veſpaſianus autem (qvi anno Urbis 821, Chriſti 69, imperium ſuscepit) anno Urbis 831, Chriſti 79, è vivis abierunt. At ab exceſſu Neronis, annus XX, qvô Neronis ille ſimulator exſtitit, & Svetonius ſe adoleſcentem fuiſſe dicit, annus erat Urbis 840, Domitiani 8, Chriſti 88.

III. Patris exemplo, Tribunus militum aliqvando fuit. Plinius ad Svetonium, lib. III, epiſtola VIII: *Facis pro cætera reverentia, qvam mihi præſtas, qvod tam ſolicitè petis, ut Tribunatum, qvem à Ne-*

ratio Marcello, clariſſimo viro, impetravi tibi, in Cæſennium Silvanum, propinqvum tuum, transferam. Mihi autem ſicut jucundisſimum, ipſum te tribunum, ita non minus gratum, alium per te videre.

IV. Maritus infelix, hoc eſt, ſine liberis, à Trajano imperatore, (qvi anno Urbis 850, Chriſti 98, ſuſcepit imperium) ad Plinii litteras, jus trium liberorum impetravit. Plinius ad Trajanum, lib. X, epiſt. XCV: *Svetoniam Tranqvillum, probisſimum, honeſtisſimum, eruditisſimum virum, & mores ejus ſecutus & ſtudia, jampridem, Domine, in contubernium asſumſi: tantoq; magis diligere cœpi, qvantò hunc propius inſpexi. Huic jus trium liberorum neceſſarium faciunt duæ cauſæ. Nam & judicia amicorum promeretur, & parum felix matrimonium expertus eſt: impetrandumq; à bonitate tua per nos habet, qvod illi fortunæ malignitas denegavit.* Cui Trajanus his in ſeqventi epiſtola verbis reſpondet: *Tuo deſiderio ſubſcripſi. Et ut ſcias dedisſe me jus trium liberorum Svetonio Tranqvillo eâ conditione, qvâ adſvevi, referri in commentarios meos juſſi.*

V. Imperatoris Hadriani, qvi anno Urbis 869, Chriſti 117, Trajano ſucceſſit, Magiſter epiſtolarum fuit. Ælius Spartianus in Hadriano cap. XI: *Septitio Claro, Præfecto Prætorii, & Svetonio Tranqvillo, epiſtolarum magiſtro, multisq; aliis, qvi apud Sabinam uxorem, injusſu ejus, familiarius tunc egerant, qvam reverentia domus aulicæ poſtulabat, ſucceſſores dedit.*

ARTICULUS II.
C. Svetonii Tranqvilli Scripta.

I. C. Svetonius Tranqvillus de XII Cæſarum Romanorum vitis libros VIII compoſuit. Primus Cæſarum eſt Cajus ille Julius Cæſar. Cujus ab anno ætatis XVI, qvò Patrem amiſit: L. Cornelius Cinna IV, & Cn. Papyrius Carbo II, Coss. fuerunt: id eſt, ab anno Urbis 669, Mundi 3866, ante C. N. 82, præmiſſis rebus geſtis, deſcribit acta imperii, qvod anno Urbis 705, Mundi 3902, ante C.N. 46, ſolus obtinuit. Ultimus eſt Titus Flavius Domitianus, in cujus exceſſu, (anno Urbis 847, Chriſti 95,) deſinit.

II. Has

II. Has à Svetonio relictas nobis vitas explicandas ſuſceperunt Marcus Antonius SABELLICUS, Philippus BEROALDUS, Joannes Baptiſta EGNATIUS, ERASMUS Roterodamus, Henricus Loritus GLAREANUS, Theodorus PULMANNUS, Lævinus TORRENTIUS, Iſaacus CASAUBONUS, Fulvius URSINUS, Theodorus MARCILIUS, Juſtus LIPSIUS, Marcellus DONATUS, Janus GRUTERUS, Jacobus ZEVECOTIUS, Matthias BERNEGGERUS, Joannes Henricus BOECLERUS, Joannes SCHILDIUS.

III. Prodierunt, Florentiæ M. D. X, in 8: ibidem M. D. XV, in 8: Venetiis M. D. XVI, in 8: cum *Sabellici* commentariis, Venetiis M. CCCC. XC, in f: cum *Sabellici* & *Beroaldi* commentariis, ibidem M. D. VI, in f: cum *Sabellici* & *Beroaldi* commentariis, *Egnatii* & *Eraſmi* annotationibus, Lugduni M. D. XLVIII, in f: cum Egnatii annotationibus ibidem M. D. LXV, in 8: cum *Egnatii* annotationibus, inter hiſtoriæ RomanæScriptores, qvos Henricus Stephanus publicavit, M. D. LXVIII, in 8: cum *Egnatii*, *Eraſmi*, & *Pulmanni* annotationibus, Antverpiæ M. D. LXXIV, in 8: cum *Torrentii* commentario, Antverpiæ M. D. LXXVIII, in 8: ibidem in 4: cum *Egnatii*, *Eraſmi*, *Glareani*, *Pulmanni* annotationibus, tomo II, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, qvos Fridericus Sylburgius edidit, Francofurti ad Mœnum, M. D. LXXXVIII, in f: cum *Caſauboni* animadverſionibus, *Marcilii* expoſitionibus, M. DC. XI, in 4: cum *Gruteri* notis, tomo I, hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum, Hanoviæ M. DC. XI, in f: cum *Caſauboni* animadverſionibus, *Bœcleri* obſervationibus politicis, Argentorati M. DC. XLVII, in 4: cum *Schildii* aliorumqve ſelectis notis, Lugduni Batavorum M. DC. XLVII, in 8.

IV. In eosdem Svetonii Cæſares, ſed non additos, prodierunt *Urſini* notæ, cum Hiſtoricorum fragmentis ab Antonio Auguſtino collectis, Antverpiæ M. D. XCV, in 8: *Lipſii* (in tres poſteriores libros, id eſt, Veſpaſianum, Titum & Domitianum) commentarii, Offenbachii M. DC. X, in 8: *Donati* dilucidationes, tomo VI, Theſauri critici, qvem Janus Gruterus collegit, Francofurti ad Mœnum, M. DC. XII, in 8: *Zevecotii* (in Julium Cæſarem) obſervata politica, Amſtelodami M. DC. XXX, in 16: *Berneggeri* (in Julium, qvædam Auguſti, & Veſpaſiani vitam) diatribæ, Argentorati M. DC. LV, in 4.

Arti-

ARTICULUS III.

Judicia de C. Svetonio Tranqvillo.

I. Flavius Vopiſcus in Firmo cap. I: *Minuſculos Tyrannos ſcio pleroſq; tacuiſſe, aut breviter præteriiſſe. Nam & Svetonius Tranqvillus emendatiſſimus & candidiſſimus ſcriptor, Antonium & Vindicem tacuit.* Ibidem poſt qvædam: *Et de Svetonio non miramur, cui familiare fuit, amare brevitatem.*

II. Sidonius Apollinaris lib. IX, epiſt. XV: *Qvis opera Svetonii, qvis Juvenci Martialis hiſtoriam, qvisve ad extremum Balbi ephemeridem fando adæqvaverit?*

III. Angelus Politianus præfatione in Svetonium: *Atq; hæc ſingula ita Svetonius hic noſter perſecutus in ſua hiſtoria eſt, ut præter explicandi ſcientiam, qvâ mirificè eſt uſus, etiam diligentiam nobis fidemq; & libertatem ſuam planè probaverit. Nulla in his libris ſuſpicio eſt gratiæ, nulla ſimultatis; nihil ſtudio dictum, nihil ſuppreſſum metu, rebus ipſis data omnia, veritati inprimis ſervitum eſt.*

IV. Joannes Baptiſta Pius annotationum poſteriorum cap. XXIV: *Tranqvillo Svetonio peculiare fuit, amare brevitatem; qvæ res multos in plerisq; ſuſpenſos reddidit & ambiguos.*

V. Joannes Ludovicus Vives de tradendis Diſciplinis lib. V: *Svetonius Tranqvillus Græcorum & Latinorum Scriptorum diligentiſſimus atq; incorruptiſſimus res XII Cæſarum videtur mihi integerrimè exponere, qvi optimis Principibus, nec vitia, nec ſuſpiciones vitiorum tacet: in peſſimis verò etiam colores virtutum non diſſimulat.*

VI. Joannes Bodinus Methodo hiſtoriarum cap. IV: *Sceleratus qvoq; Tranqvillus, ubi agit de Chriſtianis: cujus tamen hiſtoria tantopere laudatur, ut, qvi æqvi rerum æſtimatores, nihil unqvam accuratius ab ullo Hiſtorico ſcriptum fateantur. Non placet qvibusdam, qvod leviſſima qvæq; perſeqvitur: ſed in Principum dictis & factis, nihil leve, nihil parvum videri debet; propterea, qvod in vulgus manant, & Principis exemplo mores populi ſemper reguntur. Hoc fortaſſis improbari poteſt, qvod fœdiſſimas qvasq; Principum libidines nimis ſtudioſè conſectatur, qvas Cornelius Tacitus omiſit.* Ibidem poſt qvædam: *Sic ſcribit,*

bit, ut nec dignitate cujusqvam, nec vitiis, nec ulla omnino perturbatione commoveri videatur. Caligulæ virtutes animi & corporis tantas initio contigiſſe ſcribit, ut nemini majores: ejusdem tot ac tanta vitia, qvæ poſtea conſecuta ſunt, commemorat, ut nullum in natura monſtrum fœdius fuiſſe videatur. Idem Neronis laudabile qvinqvennium prædicavit. Claudium adeo ſtupidum fuiſſe ſcribit, ut illum pro tribunali ſedentem leves cauſidici ſtultum appellarent. Ejusdem nobile judicium illud commemorat, qvo fœminam filium non agnoſcentem, dubia utrinq; argumentorum fide, indicto matrimonio filii ad confesſionem impulit. Iterum poſt qvædam: *Eſt etiam in Tranqvillo plurima Romanæ vetuſtatis & antiqvi juris imago, multæ leges, edicta, Senatus conſulta, qvæ nunqvam alibi reperiuntur. Qvæ verò qvalisq; fuerit Principum cognitio ac jurisdictio, ſolus pœne Tranqvillus cum Tacito ſcribit, ex qvô plurimum lucis accedit ad ſcripta Juriſconſultorum.*

VII. Antonius Posſevinus lib. XVI, Bibliothecæ ſelectæ, cap. VII: *C. Svetonius Tranqvillus Hiſtoricus prudens & verax: antiqvitatis autem Romanorum & Græcorum peritus admodum.*

VIII. Juſtus Lipſius lib. II, Electorum, cap. XVII: *Svetonium Tranqvillum non injuria commendo ſæpe juventuti. Verba vides? pura, terſa, propria. Filum totum orationis? breve, nervoſum. Rem ipſam? utilis pariter & jucunda hiſtoria eſt: &, qvod mihi caput, plena moris & doctrinæ antiqvæ. Qvis, obſecro, ritus publicus olim privatusq; fuit, qvem velut de induſtria non tangat? Qvod munus, qvis magiſtratus, qvem non libet? Tangat & libet, dico. Non enim explicet: qvod inſtitutum ejus vetuit, & ratio ſcribendi. At viam tamen latam ſternit ad indagandum: & aures atq; animum imbuit auditione aliqva, imò cognitione.*

IX. Videantur de Svetonio judicia, qvæ in aliis hujus partis locis jam adduximus; Plinii, hoc ipſo in capite, art. I, §. IV: Flavii Vopiſci, cap. XXV, art. III, §. I: Antonii Posſevini, cap. VIII, art. III, §. IX: Caſparis Barthii, cap. XXIII, art. III, §. III.

CAPUT XVIII.

APPIANUS ALEXANDRINUS.

ARTICULUS I.

Appiani Alexandrini Vita.

I.

APpianus patriâ fuit Alexandrinus, Romæ cauſarum Patronus. Ipſe in præfatione, qvam hiſtoriis Romanis præmiſit, extremâ, Sigismundo Gelenio interprete: *Qvis verò hæc ſcribam, multi norunt, & ipſe ante docui. Ut autem apertius dicam, Alexandrinus ſum, honeſtisſimo loco habitus in Patria, verſatusq́ Romæ in agendis cauſis apud Auguſtorum tribunalia, donec me inter ſuos Procuratores optaverunt.*

II. Qvô tempore claruerit, Photius in Bibliotheca ſuâ, codice LVII, extremo, Andrea Schotto interprete, his verbis docet: *Floruit Trajani & Adriani temporibus.* Qvorum ille, anno Urbis 850, Chriſti 98, imperium accepit: hic, anno Urbis 890, Chriſti 138, vitam amiſit.

III. Qvin diutius, ſub Antonino etiam Pio, Hadriani ſucceſſore, vitam egit. Nam in eadem præfatione, qvam indicavimus, à condita Urbe ad ætatem ſuam annos nongentos numerat: *Poſt qvingentos illos annos ducentis maximè imperium in immenſum crevit, augmentis continuis, accedentibus innumeris externis auxiliis. Qvo temporis ſpatio plurimas Populus Romanus acqviſivit provincias. Poſt hæc C. Cæſar cæteris ætatis ſuæ potentior, ubi principatum ſuum conſtabilivit, ſpeciem qvidem reip. nomenq́ reliqvit, ſibi tamen imperium in omnes uſurpavit: & ſic in hodiernum uni parent omnia. Qvem non Regem dicunt, propter religionem opinor jurisjurandi veteris, ſed Imperatorem nominant: qvæ appellatio communis eſt eorum etiam, qvi ad certum tempus præſunt exercitibus. Sed revera omnino Reges ſunt. Hoc genus Imperatorum ætas in præſentem diem alteros ducentos annos penè complevit, qvô tempore Urbs reddita eſt ornatisſima, aucta in immenſum*

menſum etiam reditibus, longa conſtantiâ, pace res provehente ad felicitatem tutiſſimam. Ibidem poſt qvædam: *Aſſyriorum, Medorum, Perſarum tria maxima imperia ſimul congeſta, ne tempus qvidem nongentorum annorum æqvare poſſunt, qvantum duravit in hodiernum Romana potentia.* Annus autem Urbis DCCCC eſt Antonini Pii undecimus, Chriſti 148.

ARTICULUS II.
Appiani Alexandrini Scripta.

I. Appianus Alexandrinus hiſtorias Romanas libris XXIV complexus eſt. Qvas ab Ilio capto (à qvô Æneas in Italiam venit) id eſt, ab anno Mundi 2767, ante urbem conditam 431, ante C. N. 1181, exorſus: usqve ad Cæſarem Auguſtum produxit: niſi qvod eas in qvibusdam locis, ſed obiter, usqve ad Trajanum, qvi anno Urbis 850, Chriſti 98, imperium conſecutus eſt, extendit. Liber primus de Romanorum Regibus: II, de rebus Italicis: III, de Samniticis: IV, de Celticis: V, de Siculis: VI, de Ibericis: VII, de Hannibalicis: VIII, de Libycis, Punicis, Numidicis: IX, de Macedonicis: X, de Græcis & Jonicis: XI, de Syriacis & Parthicis: XII, de Mithridaticis: XIII, cum octo ſeqventibus, de bellis civilibus: XXII, Hecatontætia inſcriptus, de annorum centuriâ: XXIII, de Dacicis: ultimus, de Arabicis egit. Hæc, cum ex Appiani præfatione, qvam Operi ſuo præmiſit; tum ex Photii Bibliotheca, codice LVII, cognoſcimus.

II. Ex prioribus novem libris qvædam ſuperſunt Excerpta. Horum initium, eſt Sabinorum, ut pro L. Tarqvinio Superbo exſule Romanorum Rege, arma Romanis inferrent, P. Valerio Poplicola qvartum & T. Lucretio alterum conſulatum gerentibus, id eſt, anno Urbis 250, Mundi 3447, ante C. N 501, (per Sextum, Tarqvinii exſulis filium, ut Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. V, antiqvitatum, cap. XL, refert, facta) ſolicitatio. Finis eſt L. Æmilii Pauli oratio, qvam (ſicut ex Livii lib. XLV, cap. XL, & XLI, ſatis patet) poſt actum de Perſeo Macedonum Rege triumphum, cum duos filios, alterum paulò antè, alterum paulò

poſt triumphum, fato ereptos, amiſiſſet, Q. Ælio Pœto, & M. Junio Penno COSS. anno Urbis 586, Mundi 3783, ante C. N. 165, ad Qvirites habuit. Primus hæc inter alia veterum Scriptorum Excerpta, Græcè, cum interpretatione ſuâ Latina, ſuisqve notis publicavit Henricus Valeſius, Pariſiis M. DC. XXXIV, in 4.

III. Ex Celticis ſive Gallicis, qvod habemus, ſeu compendium, ſeu fragmentum, incipit à Roma per Gallos capta, id eſt, ab anno Urbis 365, Mundi 3562, ante C. N. 386: deſinit in Julii Cæſaris primo in Britanniam ex Galliis tranſitu, anno Urbis 698, Mundi 3895, ante C. N. 53. Prodiit, Latinè tantum, Sigismundo Gelenio interprete, in Appiani operibus, Baſileæ M. D. LIV, in f: Lugduni M. D. LXXXVIII, in 16.

IV. De Ibericis ſive Hiſpanicis liber cum pauca de Hiſpaniæ ſitu & primis ejusdem inhabitatoribus commemoraviſſet, incipit à bello Punico II, qvod L. Æmilio Paulo, M. Livio Salinatore COSS. anno Urbis 534, Mundi 3731, ante C. N. 217, Romani contra Carthaginienſes, Saguntinis in auxilium venturi, ſuſcipiendum decreverunt: deſinit in rebellantibus Hiſpaniæ populis, anno Urbis 731, Mundi 3928, ante C. N. 20, (qvô Aſtures in ſervitutem redacti ſunt: Cantabri, cum nullam libertatis ſpem ſupereſſe viderent, vim ſibimet ipſis intulerunt) per Cæſarem Octavianum Auguſtum domitis. Prodiit Latinè tantum, Cœlio Secundo Curione interprete, in Appiani operibus, qvæ modò indicavimus: Græcè, cum Franciſci Beraldi Latina interpretatione, Henrici Stephani caſtigationibus, Pariſiis M. D. LVII, in 8.

V. In Hannibalicis ea commemorat, qvæ Hannibal contra Romanos, & Romani contra Hannibalem, intra Italiam, geſſerunt. Eum librum, præmisſis qvibusdam ab Hannibale in Hiſpania geſtis, incipit ab ejus in Italiam per Alpes tranſitu, ſive ab anno Urbis 535, Mundi 3732, ante C. N. 216: finit in Hannibalis, poſt devaſtatam ſedecim annis Italiam, in Africam reditu, qvi in annum Urbis 551, Mundi 3748, ante C. N. 200 incidit. Prodiit Græcè, cum Franciſci Beraldi Latina interpretatione, H. Stephani caſtigationibus, Pariſiis M. D. LVII, in 8: Latinè tantum, eodem interprete, in Appiani operibus Lugduni M. D. LXXXVIII, in 16.

VI. De bellis Punicis liber, ſicut Romanorum adverſus Carthaginienſes per Africam geſta exponit; ſic, paucis de Carthaginis per Phœni-

Phœnices ante Ilium captum annis qvinqvaginta conditæ ortu præmiſsis: à Romanorum ex Sicilia in Africam, poſt habitum inter ipſos & Carthaginienſes navale prælium, adventu, ſive ab anno Urbis 494, Mundi 3691, ante C. N. 256, incipit: & in Carthagine à Romanis deſtructa, id eſt, in anno Urbis 607, Mundi 3804, ante C. N. 144, deſinit. Prodiit, Latinè tantum, Sigismundo Gelenio interprete, in Appiani operibus, Baſileæ M. D. LIV, in f: Lugduni M. D. LXXXVII., in 16.

VII. De bellis Illyricis liber, cum de Illyriorum origine aliisqve rebus, qvædam præmiſiſſet, incipit ab Agrone, Illyriorum Rege, cujus ætate (ut Polybius lib. II, cap. II, refert) primam in Illyricum expeditionem Romani ſuſceperunt, anno Urbis 522, Mundi 3719, ante C. N. 229: deſinit in triumpho, qvem Cæſar Auguſtus, poſt victum Antonium, anno Urbis 724, Mundi 3921, ante C. N. 27, de Illyriis egit. Prodiit Latinè tantum, Publio Candido interprete, in Appiani operibus jam indicatis.

VIII. De Syriacis bellis liber, præmiſsis qvibusdam ab Antiocho Magno, Syriæ Rege, actis, incipit à bello, qvod contra eundem Antiochum Romani M. Acilio Glabrione, P. Cornelio Scipione COSS. anno Urbis 562, Mundi 3759, ante C. N. 189, ſuſceperunt. Deſinit in Syria, qvam Antiocho Cyziceno eripuerant, à Romanis in provinciam redacta, ſive in anno Urbis 689, Mundi 3886, ante C. N. 62.

IX. De Parthicis bellis liber incipit à Syriâ per Pompejum in provinciam redacta, ſive anno Urbis 689: deſinit in Antonii cum Medorum Rege initâ belli ſocietate, id eſt, in anno Urbis 720, Mundi 3917, ante C N. 31, qvô Cæſar Auguſtus ſecundum, & L. Volcatius Tullus conſulatum geſſerunt.

X. De Mithridaticis bellis liber incipit à Pruſia, Bithyniæ Rege, qvi pro capto Perſeo, Rege Macedonum, cujus ſororem in matrimonium acceperat, interceſsit anno Urbis 584, Mundi 3781, ante C. N. 167: deſinit in triumpho, qvem victo Mithridate, Ponti Rege, Pompejus egit, tum primum Magni cognomine honoratus, anno Urbis 692, Mundi 3889, ante C N. 59.

XI. De civilibus bellis libri V, ex perditis reſidui, præmiſsis qvibusdam, à ſeceſsione plebis in montem ſacrum, id eſt, ab anno Urbis 260, Mundi 3457, ante C. N. 491, diſcordiarum Romanarum cauſis & exem-

exemplis: incipiunt à Tiberii Sempronii Gracchi, qvam tribunus plebis tulerat, agraria lege, diſcordem civitatem reddente: id eſt, à Mucii Scævolæ, L. Calpurnii Piſonis Conſulatu, anno Urbis 620, Mundi 3817, ante C. N. 131. Deſinunt in Sexto Pompejo, per Antonii Legatos C. Furnium & M. Titium capto atq; interemto, ſive anno Urbis 718, Auguſti 9, ante C. N. 33, qvô L. Cornificius & Sextus Pompejus COSS. fuerunt.

XII. Hos de Syriacis, Parthicis, Mithridaticis atq; civilibus bellis libros ex Græco in Latinum Sigismundus Gelenius vertit. Cujus interpretatio in Latinis Appiani operibus prodiit Baſileæ M. D. LIV, in f; Lugduni M. D. LXXXVIII, in 16.

ARTICULUS III.
Judicia de Appiani Alexandrini libris.

I. Evagrius lib. V, hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. ultimo, interprete Joanne Chriſtophorſono: *Ad everſionem Carthaginis Polybius Megapolitanus res geſtas explicavit: qvarum ſingulas ſcite & ſolerti cum judicio diſtinxit Appianus, easq; licet variis temporibus confectas, in unum congesſit: qvin etiam, qvæ poſtea contigerunt, ſimili modo commemoravit.*

II. Photius in Bibliotheca, Codice LVII, Andrea Schotto interprete: *Stylus illi tenuis ac minimè redundans: ſed hiſtoriam, qvoad ejus fieri poteſt, veram texit, & militaris diſciplinæ, ſi qvis alius, enarrator eſt. Oratione dejectos militum animos erigere, & ardentiores mitigare, affectusq; exprimere, ac ſi qvid aliud imitari dicendo licet, optimè novit.*

III. Antonius Poſſevinus lib. XVI, Bibliothecæ ſelectæ, cap. VI: *Etſi in Romanorum antiqvitate ſæpe lapſus eſſe deprehenditur, unus ex omnibus Hiſtoricis eſt, qvi Romanorum provincias, opes, exercitus, totiusq; imperii deſcriptionem proponit.* Eadem in Poſſevini Apparatu ad omnium gentium hiſtoriam, ſect. II, cap. XVI, reperiuntur.

IV. Joſephus Scaliger Animadverſionibus in Euſebii Chronicon,

con, ad annum MMXXI: *Qvi locus eſt inſignis ad confutandam eorum ſententiam, qvi Appianum alienorum laborum fucum ſecuti, Herodem* ὑπόφορον, *regem vectigalem, & minimô minus mancipium fuiſſe putant.*

V. Gerardus Joannes Voſſius de Arte hiſtorica, cap. XX: *Nec prætereundus nobis Appianus Alexandrinus, alienorum qvidem ille laborum fucus, ut meritò à magno viro appellatur: ſed ſcriptor utilis tamen, præſertim poſt deperditos non paucos eorum, qvos exſcribere ſolet.*

De Appiani Alexandrini Syriacis.

VI. Joſephus Scaliger Animadverſionibus in Euſebii Chronicon, ad annum MMCXL: *Multa hujusmodi fabuloſa adtexta ſunt illi libro Appiani, ut mediocriter docto conſtare poteſt. Qvod ſi non ſunt aſſuta, valde infantem in hiſtoria Appianum fuiſſe, neceſſe eſt.*

CAPUT XIX.
MARCUS AURELIANUS ANTONINUS.
ARTICULUS I.
M. Aurelii Antonini Vita.

I.

M. Aurelius Antoninus (cujus multò plura nomina, qvæ olim habuit, ex antiqvis monumentis Joannes Jonſius lib. III, de Scriptoribus hiſtoriæ Philoſophicæ, cap. X, adducit) Grammaticis, Oratoribus, Philoſophis Magiſtris uſus, eò pervenit eruditionis, conſtantiſſimus Philoſophiæ cultor, ut ſuô meritô à poſteritate dictus fuerit cognomine Philoſophus.

II. Ab Antonino Pio Imperatore amicis commendatus, ejus à S. P. Q. Romano ſucceſſor, anno Urbis 913, Chriſti 161, creatus eſt. Rebus feliciter geſtis, anno ætatis LIX, imperii XIX, Urbis 932, Chriſti 180, deceſſit.

III. De his & reliqvis ad ipſius vitam pertinentibus videantur, ipſe Antoninus paſſim in libris de vita ſuâ: Dio Caſſius lib. LXXI: Eutropius lib. VIII, cap. V: Julius Capitolinus in noſtri Antonini vita: Euſebius lib. II, Chronicorum, ad annum MM. C. LXXVII, & ſeq.

ARTICULUS II.
M. Aurelii Antonini Scripta.

I. M. Aurelius Antoninus Græca lingvâ compoſuit ad ſeipſum de vitâ ſuâ libros XII. Hi, qvos habemus, libri, utrum iidem, qvorum Suidas meminit, an alii, an excerpta ſint, eruditi certant. Videantur, Guilielmus Xylander annotationum principio: Caſpar Barthius lib. LI, Adverſariorum, cap. XVI: Gerardus Joannes Voſſius lib. II, de Hiſtoricis Græcis, cap. XIV. In iis paucisſima qvidem paſſim attingit ad vitam ſuam pertinentia, cæterum plurima proponit vitæ ad Philoſophorum leges componendæ præcepta.

II. Prodierunt Græcè, cum Guilielmi Xylandri, & interpretatione Latinâ, & annotationibus, Tiguri M. D. LIX, in 8: Baſileæ M. D. LXVIII, in 8: cum Thomæ Gatakeri, & interpretatione Latina, & variis lectionibus, & perpetuo commentario, Cantabrigiæ M. DC. LII, in 4.

ARTICULUS III.
Judicia de M. Aurelio Antonino, ejusq; libris.

I. Guilielmus Canterus lib. VII, novarum Lectionum, cap. I: *M. Aurelius Antoninus, imperator optimus, atq; idem Philoſophus tantus, ut hoc meruerit proprium cognomen, duodecim conſcripſit de officio ſuo libros, maximæ pietatis, humanitatis, temperantiæ, eruditionis, aliarum rerum præclararum teſtes plenisſimos: & cum qvibus multorum Philoſophorum operoſa præcepta collata, meritò ſordere posſint.*

II. Deſiderius Heraldus Animadverſionibus ad Arnobii lib. II, adverſus gentes: *De Marco Antonino Imperatorum ſapientisſimo Capitolinus.*

III. Iſa-

III. Iſaacus Caſaubonus ad Henricum IV, Francorum Regem epiſtolâ, qvam Polybio præmiſit: *Omnium ſapientisſimus atq; doctisſimus M. Antoninus, qvem propter asſiduam operam ſtudiis navatam, vulgò Hiſtorici Philoſophum cognominant, in libris aureis de vitâ ſuâ.*

IV. Caſpar Barthius Animadverſionibus ad Rutilii lib. I, v. 327: *Docet nos Imperatorum, qvantum unqvam fuit, ſapientisſimus M. Antoninus libro II.* Idem lib. LI, Adverſariorum, cap. XVI: *Libros iſtos neqvaqvam ita ad nos pervenisſe, ut à ſapientisſimo Principe ſcripti ſunt, nihil attinet diſputare. Omnes paginæ docent, Florida modò eſſe, locos inſigniores, ſententias illuſtriores, è commentariis decerptas; qvales deflorationes Apuleji Orationum habemus in iis, qvæ Florida ejus inſcribuntur. Videtur autem ſummus omnis memoriæ imperator omnia hominis, principis & Philoſophi ſua officia, monita, rationes, his libris complexus, nec magnopere tamen ordini etiam ſtuduisſe, aut eloqventiæ.* Et lib. LX, ad Auguſtini de Civitate Dei lib. I, cap. VIII: *Pulcerrimè M. Antoninus Imperator lib. XII, de vita ſuâ; qvi libelli revera omnis humanæ ſapientiæ ſunt apex & ſumma.* Ibidem poſt qvædam: *Antoninus Imperator ſummus omnium Philoſophorum, utpote, qvi & divina ſcivit, & docuit, & uti ea tradidit, ita etiam vita expresſit, & tali qvidem loco poſitus, ut ei omnia impune licuerint mala, bonæ autem vitæ fructus ad omnes homines devenire potuerit, libro VII, de vita, ſeu officio ſuo.* Ibidem ad cap. X: *Egregiè M. Antoninus ſummus ſapientiæ myſta.*

CAPUT XX.

DIO CASSIUS.

Articulus I.

Dionis Caſſii Vita.

I.

Dio Casſius, cognomine aliis Coccejus, aliis Coccejanus audit. Patriam habuit Nicæam, Bithyniæ urbem. Ipſe lib. LXXV, Guilielmo Blanco interprete: *Cum* (Severus Imperator) *aliqvando Nicææ,*

qvæ mea eſt patria, mugilem poſtularet, qvos maximos ille fert lacus, miſit, qvi à Plautiano peterent. Pater ei fuit Apronianus, Ciliciæ Præfectus. Lib. LXIX, eodem interprete: *Apronianus pater meus, qvi Ciliciæ præfuit, qvię res ejus omnes certò cognovit, mihi ſingula recenſuit, atq; illud inprimis; mortem Trajani per aliqvot dies in occulto fuiſſe, ut adoptio prius emanaret.*

II. Commodi, qvi anno Urbis 932, Chriſti 180, imperium ſuſcepit, temporibus vixit. Lib. LXXII, Blanco interprete: *Paratæ ſunt Commodo ſæpius inſidiæ à multis: ipſe magnum numerum virorum & mulierum partim palam interfecit, partim clam veneno ſuſtulit, & maximè eos omnes ferè, qvi & patris temporibus, & ſuis florentes erant, præter Pompejanum, & Pertinacem, & Victorinum. Hos enim neſcio qvibus de cauſis non interfecit. Hæc autem ego, cæteraq; omnia, qvæ ſeqvuntur, non ab aliis tradita, ſed à me obſervata, notavi.* Ibidem poſt qvædam: *Eſt Malli, qvod oppidum eſt Ciliciæ, Amphilochi oraculum, qvod per ſomnia conſulentibus reſpondet. Id Sexto qvoq; reſponſum dedit, qvod ille pictura hujusmodi expresſit. Pictus erat in tabella puer, à qvo duo ſerpentes ſuffocabantur, itemq; leo hinnuleum perſeqvens. Qvam rem ego, cum eſſem in Cilicia cum patre, qvi ei provinciæ præerat, non ante potui conjicere, qvam fratres à Commodo, qvi Herculem poſtea imitatus eſt, qvodammodo ſuffocatos eſſe intelligerem, ut Herculem infantem adhuc, memoriæ proditum eſt, ſerpentes à Junone immiſſos ſuffocaſſe (Qvintilii enim ſtrangulati ſunt:) jamq; Sextum fugere, qvem viribus potior Commodus perſeqveretur.*

III. Commodo vita defuncto Pertinax ſuccesſit, cujus imperium anno Urbis 945, Chriſti 193, trimeſtre fuit. Hujus ætate qvid audiverit, eodem in libro refert: *Fuit tam audax qvidam, ut poſt mortem Commodi, Sextum ſe eſſe diceret, ac proinde recuperare facultates ejus & dignitatem niteretur. Qvi qvanqvam ſæpe, cum examinaretur à multis, ſcitè reſpondebat; tamen poſtqvam eum Pertinax Græcè, cujus lingvæ ille peritus fuerat, interrogavit; plurimum impegit, cum ne qvidem intelligere poſſet, qvid diceretur. Id ipſe præſens audivi.* Ab eodem imperatore Prætor fuit deſignatus. Lib. LXXIII: *His cognitis rebus, nos, ut cuiq; nuntiatum eſt, in timorem Juliani militumq; venimus, & maximè ii, qvibus aliqvid cum Pertinace neceſſitudinis intercedebat. Fui*

& ego

& ego ex eorum numero. Me enim Pertinax, præter alios honores, qvos mihi tribuerat, etiam Prætorem deſignaverat.

IV. Heliogabalo, qvi anno Urbis 973, Chriſti 221, trucidatus eſt, Alexander Severus ſucceſſit. Ab eo Caſſius Africæ, Dalmatiæ, Pannoniæ fuit præpoſitus. Lib. LXXX, cum Alexandrum Heliogabalo ſucceſſiſſe commemoraviſſet, eodem Blanco interprete: *Ea, qvæ ſupra dicta ſunt, ego qvidem accuratè diligenterq; conſcripſi, ut potui: qvæ verò reſtant, mihi non licuit perſeqvi pari diligentia, qvod Romæ non ſum diu commoratus, qvodq; in morbum incidi, cum ex Aſia in Bithyniam veniſſem: ex qva profectus ſum ad imperium Africæ. Poſt, ubi reverti in Italiam, pœne rectà in Dalmatiam, atq; inde in Pannoniam ſuperiorem miſſus ſum, ut eis præeſſem.* Eorundem honorum, lib. XLIX, mentionem facit. Ubi, cum Pannonum terras & mores deſcripſiſſet, Guilielmo Xylandro interprete, addit: *Qvod ego non auditu tantum, aut lectione, ſed reipſa cognitum, cum præeſſem videlicet ei nationi, ſcribo. Nam poſt Africæ præfecturam, Dalmatiæ, qvam olim pater qvoq; meus aliqvandiu adminiſtravit, & Pannoniæ ſuperiori præpoſitus fui: unde hæc, qvæ ſcribo, explorata mihi ſunt.*

V. Cum Imperator Alexander Severus tertium, ipſe conſulatum ſecundum geſſit, anno Urbis 981, Chriſti 229. Lib. LXXX, Blanco interprete: *Dicam in ſumma ea, qvæ usq; ad ſecundum conſulatum meum geſta ſunt.* Ibidem poſt qvædam: *Prætoriani, poſt Ulpianum, me qvoq; criminati ſunt; qvod, cum in Pannonia militibus præfuiſſem continenter, metuerent, ne poſtularem, ut & ipſos aliqvis inſtitutis Pannoniorum vivere cogeret. At Alexander horum rationem habuit nullam, ſed contra, me magis honeſtavit, ſecumq; una deſignavit iterum futurum Conſulem, & ſumtus, qvos ea dignitas poſtulat, ſe facturum recepit. Qvamobrem, cum moleſtè ferrent prætoriani, timuit, ne me, ut vidiſſent cum inſignibus imperii, interficerent. Itaq; juſſit Alexander, ut alicubi extra urbem commorarer in Italia, tempore hujus conſulatus mei. Qvod cum feciſſem, Romam veni, dein profectus ſum ad ipſum in Campaniam, verſatusq; cum eo per aliqvot dies, viſusq; à militibus cum magna ſecuritate, domum redii: dimiſſus, qvod laborarem ex pedibus, ut omne reliqvum vitæ tempus in patria degerem.*

ARTICULUS II.
Dionis Caſſii Scripta.

I. Dio Caſſius hiſtoriam Romanam libris LXXX complexus eſt, à condita Urbe, ad Imperatoris Alexandri Severi conſulatum tertium, qvi in annum Urbis 981, Chriſti 229, incidit, progreſſus. Ipſe libro LXXIII, extremo, Blanco interprete: *Collegi omnia, qvæ populus Romanus geſſit ab Urbe condita, uſq; ad mortem* (Septimii) *Severi* (id eſt, ad annum Urbis 962, Chriſti 210) *eaq; collecta decem annorum ſpatio, poſtea duodecim annis compoſui: cætera, qvemadmodum ſuccedent, perſcribam.*

II. Ex prioribus XXXIV libris fragmenta qvædam de Legationibus ſuperſunt. Incipiunt à Romanorum, poſt Tuſculum victum, ad Æqvos, Graccho imperatore gaudentes, Legatione: qvæ, ut ex Dionyſii lib. X, antiqvitatum, cap. XXVI, patet, C. Nantio II, & L. Minutio Coss. anno Urbis 296, Mundi 3494, ante C. N. 455, eſt ſuſcepta. Deſinunt in pace, qvam L. Cornelius Sulla cum Mithridate, Ponti rege, iniit, Cn. Papirio Carbone II, & L. Cornelio Cinna IV, Coss. anno Urbis 669, Mundi 3866, ante C. N. 82. Primus hæc fragmenta Græcè, cum notis ſuis, Fulvius Urſinus edidit, Antverpiæ M. D. LXXXII, in 4. Græcè, cum Joannis Leunclavii Latina interpretatione, Urſini & Leunclavii notis, reliqvis Dionis operibus ſubjuncta prodierunt Hanoviæ M. DC. VI, in f.

III. Liber XXXV, cujus pars prior periit, à Luculli rebus contra Mithridatem Ponti, & Tigranem Armeniæ reges, geſtis, Q. Hortenſii & Q. Cæcilii Metelli Conſulatu, anno Urbis 684, Mundi 3881, ante C. N. 67, incipit. Seqventes libri XXV ſuperſunt integri: qvorum ultimus, qvi eſt LX, in morte Claudii Cæſaris, ſive anno Urbis 806, Chriſti 54, deſinit. Prodierunt Græcè, cum Guilielmi Xylandri Latina interpretatione, qvam Joannes Leunclavius emendavit, Roberti Stephani caſtigationibus, Xylandri annotationibus, Friderici Sylburgii notationibus, & Leunclavii notis, Hanoviæ M. DC. VI, in f.

IV. Sexageſimum excipientes libri perierunt: niſi qvod ex iis (præ-

(præter fragmenta librorum LXXVIII, & LXXIX,) per Joannem Xiphilinum, & neſcio qvem Theodoſium excerpta reperiuntur. Hæc, ex LXI libro, incipiunt à morte Claudii: &, ex libro LXXX, deſinunt in Imperatoris Alexandri Severi conſulatu tertio, qvi eſt imperii annus 8, Urbis 981, Chriſti 229. Prodierunt Xiphilini excerpta, Græcè, cum Guilielmi Blanci Latina interpretatione, qvam Guilielmus Xylander emendavit, ejusdem Xylandri annotationibus, & Friderici Sylburgii notationibus, tomo III hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, qvos Sylburgius collegit, Francofurti ad Mœnum M. D. XC, in f: Eadem Xiphilini excerpta, Græcè, cum eadem Blanci Latina interpretatione, ſed qvam, præter Xylandrum, Joannes Leunclavius emendavit, Henrici Stephani Spicilegio, Xylandri annotationibus, Sylburgii notationibus, Leunclavii notis: item Theodoſii excerpta, & librorum LXXVIII, atqve LXXIX, fragmenta, Græcè, cum Leunclavii, & verſione Latina, & notis, reliqvis Dionis operibus ſubjuncta; Hanoviæ M. DC. VI, in f.

V. Ex Dionis præterea libris uberiora qvædam illarum hiſtoriarum, qvæ in enumeratis hactenus librorum reliqviis haud inveniuntur, excerpta ſuperſunt. Incipiunt à Numa Pompilio, Romanorum Rege, qvi anno Urbis 39, Mundi 3236, ante C. N. 712, imperium ſuſcepit. Deſinunt in Artaxerxis, Perſæ cujusdam, à Parthis defectione, qvi, Rege Parthorum Artabano ſuperato & occiſo, victor in Armeniam tranſiit, anno Urbis 981, Chriſti 229. Hæc de conſilio Imperatoris Conſtantini Porphyrogenetæ olim excerpta, & in Collectaneorum librum de virtutibus vitiisqve congeſta, Nicolao Fabricio Peireſcio, qvi primus in ea incidit, & Henrico Valeſio, qvi primus Græcè, cum Latina interpretatione ſuâ ſuisqve notis, Lutetiæ Pariſiorum, M. DC. XXXIV, in 4, edidit, debemus.

ARTICULUS III.
Judicia de Dione Caſſio.

I. Photius in Bibliotheca, Codice LXXI, Andrea Schotto interprete: *Grandis ejus ſermo & tumidus, eò, qvod rerum ingentium ſenſa adferat. Veteris item ipſi conſtructionis ſermo plenus, verborumq́, qvæ rerum magnitudini reſpondeant. Periodi parentheſibus injectæ, & hy-*

 perba-

perbatorum opportunus uſus. Numeri porro & interciſio, etſi accuratè adhibita, ob orationis tamen perſpicuitatem obiter legentibus non ſunt manifeſta. In narrationibus præterea & concionibus, Thucydidis maximè eſt æmulus: niſi qvod ad perſpicuitatem magis tendit: cætera ferè Thucydides illi norma eſt ac regula.

II. Joannes Bodinus Methodo Hiſtoriarum cap. IV: *Cum Dio totum vitæ ſuæ tempus in Rep. gerenda conſumſerit, ac per omnes honorum gradus bis ad conſulatum evectꝰ, deinde Proconſul factus provincias ſumma cum laude gubernarit, magnam deniq; bonarum artium ſcientiam cum uſu conjunxerit, qvis dubitet eum inter optimos Scriptores cenſere? Profecto comitiorum ac magiſtratuum Romanorum, totiusq; publici juris diſciplinam accuratè collegit: Principum verò conſecrationes & ἀποθεώσεις unus tradidit; & ea, qvæ Tacitus imperii arcana vocat, pœne ſolus evulgavit. Fuit enim publici conſilii diligens indagator. Videtur tamen ubiq; partes Cæſaris adverſus Pompejum; & Antonii adverſus Ciceronem datâ operâ tueri voluiſſe. Illa verò portenta, qvæ in acie Marcomannorum contigerunt, Arnulpho Ægyptio, non Chriſtianis tribuit, contra qvam Tertullianus, Euſebius, Oroſius, Juſtinus, Paulus Diaconus ac Marcus ipſe Aurelius in ſuis ad Senatum litteris teſtantur.* Eadem, iisdemqve verbis paulò transpoſitis, Antonius Poſſevinus habet lib. XVI, Bibliothecæ Selectæ cap. VI: & in Apparatu ad omnium gentium hiſtoriam ſect. II, cap. XVII.

III. Joannes Leunclavius prolegomenis ad Dionem: *Judicii, qvo præditus eximio fuit, & prudentiæ civilis, cum alia licet opere toto ſparſa colligere argumenta, ſane qvam illuſtria, tum ex illis, qvæ initio libri XLII de admiſſis à Pompejo poſt cladem Pharſalicam variis erroribus; qvæ libri hunc ſeqventis initio, de populari civitatis Romanæ ſtatu in unius imperium mutato; qvæ deniq; libro XLVII de dominatione unius, ex comparatione triumviratus, præ qvo C. Cæſaris imperium fuerit aureum, ſapientiſſimè diſſeruit. Ex his enim, qvæ pauca producimus è multis, velut ex ungve Leonem, qvod ajunt: ita, qvanto Caſſius noſter uſu rerum valuerit, facilè qvivis agnoſcet.*

IV. Juſtus Lipſius lib. IV, epiſtolicarum qvæſtionum, epiſtola III: *De Dione aliud eſt; qvem legendum cum judicio ajo, nec fidei ejus usqveqvaq; fidendum. Sæpe adulatur, ſæpe hallucinatur: utrumq; ideo, qvia Græcus, & ingenii minimè conſtantis. Qvædam audacius in moribꝰ externis, qvædam*

dam vanius affirmat. Idem commentario ad Taciti lib. XIII, annalium, num. CXXV: *Summa eadem divitiarum Senecæ expreſſa à Dione: qvi omnes res relictas habet, prout culpet virum inculpatum. Ita adulterium ei objicit cum Agrippina: pullarium eum fuiſſe ait, idemq; vitium ab illo inſitum Neroni: cauſam autoremq; interfectæ matris: aliaq;, qvæ homo vanus, præter fidem, præterq; omnium mentem conviciatur velut è plauſtro. Qvibus odii cauſis? aut qvô mendacii pretio? Nam Seneca tantò anterior, non injuriâ, non beneficio cognitus illi. Sed credo judicii qvædam morumq; perverſitas fuit, qvæ eundem illum in Ciceronem exacuit, qvæ in Caſſium, Brutum omnesq; bonos. Caveat ab his, moneo, juventus, & è campis illis ita antiqvitatum & hiſtoriæ flores legat, ut non colligat venena.*

V. Fridericus Tilemannus Diſcurſus Philologici de Hiſtoricorum delectu parte II; cum J. Lipſii ex lib. IV, epiſt. qvæſt. epiſt. III, de Dione judicium protuliſſet: *Ego ut concedam Lipſio & aliis, qvi teretes aures habent, intelligensq; judicium, minus à Græco ſatisfieri, nec obloqvar Balduino, qvi Dionem noſtris JCtis malignè invidiſſe ſcribit: ex animi ſententia dicam, me Hiſtoricum politicis & juridicis tractationibus magis accommodum, prorſus ignorare. Adfuit illi ſumma voluntas indagandæ veritatis, & ſtudium accuratum, nec defuit facultas; ipſe αὐτόπτης καὶ αὐτήκοος, qvæ ſuam ætatem attinuerunt, omnia penitiſſimè inqviſivit, præteritorum memoriam ex publicis monumentis recollegit, & qvia in clariſſima luce Romanæ Reip. multos annos vixit, ſolus arcana Reip. intellexit, nobisq; conſervavit veteres leges, ac ſolennes formulas diligentius expreſſit, ut in illis nihil poſſit deſiderari. Interea non nego judicium ſcripti hiſtorici faciendum eſſe, cum non nulla à librariis perperam deſcripta apud Dionem occurrant, monente Petro Fabro lib. I, Semeſtrium, cap. XXIV, & lib. II, cap. XVI: aliqva etiam difficili ſuſpicione non careant, qvia apparet, non nihil eum Cæſari & Antonio obnoxium fuiſſe contra Pompejum & Ciceronem. Labitur qvoqve cum κεραυνοβόλου, ſeu fulminatricis legionis meminerit lib. LXXI, teſte Xiphilino, nominis verò originem, Chriſtianæ religionis odio ſubticuerit, vel potius ad obſcurum magum Arnulphum retulerit, qvam Imperator Antoninus ſuis ad Senatum Romanum litteris non dubitavit illius legionis Chriſtianis precibus adſcribere, & ingenuè profeſſus eſt, ſe hoſtili frau-*

li fraude circumventum, ab aqvatione prohibitum, anhela ſiti fermè periiſſe cum univerſo exercitu, ſervatumq; unionis beneficio, impetraſſe, ut ſaxeus imber hoſtes turbaret, Romanos vivificus animaret. De qva re ſatis idoneum, & ſatis gravem teſtem ejusdem ſæculi habemus Tertullianum in libro ad Scapulam, & in Apologetico cap. IV. Ibidem poſt qvædam: *Hæc ergo Dionem prateriiſſe, ne ſeipſum alienæ & ſæculis illis prohibitæ religionis damnaret, Hiſtorici noſtri non modò ſuſpiciosè, ſed etiam credibiliter affirmant, easq; ſi excerpimus (non Hiſtoricum ſine omni nævo invenias, ne ſi Soli qværendum tradas, Hiſtorici enim homines ſunt) & poſtea interiores reconditasq; deſcriptarum hiſtoriarum perfectiones, non limis oculis intuemur, cogimur profectò fateri, Dionem plerosq; ſcriptores longo poſt ſe intervallo reliqviſſe. Vel ſolus Dio Græcæ hiſtoriæ ſplendorem ſuſtinebit, nec patietur Græcis ſcriptoribus debitum favorem improbius eripi.*

VI. Gerardus Joannes Voſſius lib. II, de Hiſtoricis Græcis, cap. XV: *Unius, ſed latæ admodum culpæ, abſolvere Dionem non poſſum; qvod qvadam ſeu judicii, ſeu morum pravitate, virtutes ſuo pretio æſtimare neſcit; ſed virus ſuum ejaculatur in optimos & præſtantiſſimos viros: ut Ciceronem, & Brutum, Caſſiumq; & L. Senecam. Omnino hæc, aut inſignem judicii defectum, aut malam mentem arguunt.*

VII. Videatur de Dione Caſſio judicium Joannis Henrici Bœcleri, qvod capite ſeqvente, art. III, §. VI, adducitur.

CAPUT XXI.

HERODIANUS.

ARTICULUS I.

Herodiani Vita.

I.

HErodianus qvando vixerit, ipſe docet lib. I, cap. I, cum ait, Angelo Politiano interprete: *Ego non qvidem acceptam ab aliis, aut teſtibus egentem hiſtoriam, ſed eorum, qvi legent, ſenſibus adhuc memoriaq; recenti inhærentem, ſumma vel fide, vel diligentia collectam, conſcriben-*

ſcribendam ſuſcepi: ſperans haud injucundam fore poſteritati earum rerum notitiam, qvæ multæ ſanè atq; magnæ haud ita longo tempore acciderunt. Nam ſi qvis ab Auguſto usq; Principe omnem ætatem complectatur animo, cum ſcilicet Romanorum potentia ad unius eſt arbitrium devoluta, ne annis qvidem illis circiter ducentis (tot enim fermè ad Marci tempora numerantur) aut imperiorum tam diverſas ſucceſſiones reperiet, aut bellorum vel civilium, vel externorum tam varios caſus atq; eventus. Ibidem poſt pauca: *Nam cum ſexaginta annis plures, qvam pro tempore, Principes Urbs Roma pertulerit, factum ex eo eſt, uti multa ſanè variaq; res atq; admiratione digna exorirentur.* Et cap. II, extremo: *Qvæ poſt Marci obitum per univerſam ætatem viſa mihi auditaq; ſunt, nonnulla item in experiundo cognita, utpote in publicis officiis principalibusqve verſato, ea nunc conſcribenda ſuſcepi.*

II. Hæc Commodi, qvem Marcus Antoninus anno Urbis 932, Chriſti 180, ſucceſſorem habuit: ſed & Severi, Caracallæ, Heliogabali, Alexandri & Maximini Imperatorum temporibus Herodianum vixiſſe indicant. Nam ſui temporis hiſtoriam, qvam nobis reliqvit, in imperio in Gordianum, qvi Maximino ſucceſſit, tranſlato, id eſt, in anno Urbis 990, Chriſti 238, finit.

Articulus II.
Herodiani Scripta.

I. Herodianus Romanam ſui temporis hiſtoriam libris VIII ſcripſit. Eam à M. Aurelii Antonini, qvi cognomen Philoſophi ſuſtinet, obitu, ſive ab anno Urbis 932, Chriſti 180, orditur: & in initio imperii Romani, poſt Maximinum, à Gordiano ſuſcepti, anno Urbis 990, Chriſti 238, terminat.

II. Ex Græco Latinam Angelus Politianus fecit: declaratam dederunt Henricus STEPHANUS, Erricus MEMMIUS, Andreas SCHOTTUS, Fridericus SYLBURGIUS, Daniel PAREUS, Joannes Henricus BOECLERUS.

III. Prodiit Latinè tantum, Politiano interprete, Bononiæ M. CCCC. XCIII, in f: Græcè, cum eadem interpretatione, Venetiis M. D. XXIV, in 8: Baſileæ M. D. XLIX, in 8: Græcè & Latinè, cum *Stephani* an-

notationibus, *Memmii* animadverſionibus, *Schotti* emendationibus ſcripturarumq; varietatibus, *Sylburgii* notationibus, tomo III, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, qvos Sylburgius collegit, Francofurti ad Mœnum M. D. XC, in f: cum *Stephani* & annotatiunculis in qvosdam locos, &, partim ſupplemento, partim examine interpretationis Politianæ, Lugduni M. DC. XI, in 8: cum *Parei*, ex Herodianianis libris, principum bonorum & malorum ſpeculo, ſive monitis & exemplis ethico-politicis, qvæ virtutes & vitia Principum ſpectant, Francofurti ad Mœnum, M. DC. XXX, in 8: cum *Bœcleri* notis, Argentorati M. DC. XLIV, in 8.

ARTICULUS III.
Judicia de Herodiano.

I. Capitolinus in Albino, cap. XII: *Qvæ qvi diligentius ſcire velit, legat Marium Maximum, de Latinis Scriptoribus; de Græcis, Herodianum, qvi ad fidem pleraq; dixerunt.* Idem in duobus Maximinis, cap. XIII: *Herodianus Græcus ſcriptor ei* (Maximino), *qvantum videmus, in odium Alexandri plurimum favit.*

II. Photius in Bibliotheca, Codice XCIX, Andrea Schotto interprete: *Scriptoris hujus dictio clara eſt, atq; perſpicua, qvin & jucunda: vocibus autem utitur temperatis, neq; ſupra modum Atticis, qvibus nativa illa communis ſermonis gratia qvodammodo violetur: nec rurſus in humilitatem qvandam ita demiſſis, ut artem omnem illæ fugiſſe videantur. Ad hæc nec ſupervacaneis tumet, neq; neceſſarium qvid omittit: ſed, ut uno verbo abſolvam, omnibus hiſtoriæ virtutibus paucis ſane cedit.*

III. Joannes Bodinus Methodo hiſtoriarum cap. IV; de Svetonio locutus: *Non idem fuit in Herodiano ſtudium veritatis inqvirendæ: nec ferè poteſt ejusdem Principis virtutes ac vitia recenſere, &c.*

IV. Iſaacus Caſaubonus notis ad Capitolini in Maximinis caput XIII: *Duo objiciuntur ſcriptori optimo: qvod Alexandrum oderit, Maximino faverit. Unde colligi potuerit amor Herodiani in Maximinum, in ejus hiſtoria nihil invenio: at in Alexandrum odium ex narratione de bello Perſico & Germanico ſine dubio Capitolinus collegit. Sic*

enim tota expeditionum illarum hiſtoria Herodiano texitur, ut gloriam nullam, ignominiam verò non nullam ex utroq; bello, maximè autem Perſico, Princeps alioqvin laude digniſſimus reportarit. Et mirum ſanè eſt de bellicis ejus imperatoris rebus adeo non diverſa, ſed ἐκ διαμέτρȣ, qvod ajunt, pugnantia Herodianum & Capitolinum ſcripſiſſe. Etſi autem amiſſis omnibus aliis Hiſtoricis, pro certo dici hodiè non poteſt, utrius ſit narratio verior; ſuſpicor tamen Herodiano fieri à Capitolino injuriam: & qvod in Alexandro non omnia laudet, in Maximino non omnia vituperet, libertate ſuâ & recto judicio uſum potius, qvam vel odio, vel gratia fuiſſe corruptum.

V. Gerardus Joannes Voſſius lib. II, de Hiſtoricis Græcis, cap. XV: *Veritati etiam ſtuduit, niſi qvod fides ejus nutet in Alexandro & Maximino.*

VI. Joannes Henricus Bœclerus in Herodianum præfatione ad Lectorem: *Qvod ſi qvis utrumq; velit comparare, Dio ſane amplitudine argumenti, copia expoſitionis, freqventia pragmaticæ informationis præcellere videbitur; ſed ſtili terſiſſima & temperatiſſima venuſtas, οἰκονομίας hiſtoricæ concinnitas, ſententiarum opportunitas & elegantia, judicii civilis gravitas & æqvabilitas, compoſitionis univerſæ competentia in Herodiano longè longeq; eminebit.* Ibidem poſt qvædam: *Qvod non nulli in rebus Alexandri & Maximini fidem ejus ſuſpectant, non magnis id videntur de cauſis facere, ſicut in notis oſtendimus.*

CAPUT XXII.

DEXIPPUS HERENNIUS.

ARTICULUS I.

Dexippi Herennii Vita.

I.

DExippus Herennius, Athenienſis, patriæq; contra Scythas defenſor fuit. Trebellius Pollio in Gallienis cap. XIII: *Inter hæc Scythæ per Euxinum navigantes, Iſtrum ingreſſi, multa gravia in ſolo Romano fecerunt. Qvibus compertis, Gallienus Cleodamum & Athe-*

naum Byzantios, inſtaurandis urbibus muniendisq; præfecit: pugnatumq; eſt circa Pontum, & à Byzantinis ducibus victi ſunt barbari. Veneriano item duce, navali bello Gothi ſuperati ſunt; tum ipſe Venerianus militari periit morte. Atq; inde Cyzicum & Aſiam, deinceps Achajam omnem vaſtaverunt, & ab Athenienſibus, duce Dexippo, ſcriptore horum temporum, victi ſunt.

II. Non autem ſub Gallieno tantum, qvi cum patre Valeriano imperium anno Urbis 1006, Chriſti 253; ſolus anno Urbis 1012, Chriſti 260, cœpit gerere: ſed etiam ſub imperatoribus qvibusdam ſeqventibus vixit. Eunapius Sardianus in vita Porphyrii extrema, interprete Hadriano Junio: *Ea tempeſtate artis Oratoriæ præſides Athenis fuere Paulus & Andromachus Syrus: licetq; hariolari, hæc tempora in Gallienum, Claudium, Tacitum, Aurelianum & Probum imperatores incidiſſe: qvibus etiam vixit Dexippus, qvi temporum hiſtoriam contexuit, vir in liberalibus diſciplinis & facultate Logica verſatiſſimus.* Ex his imperatoribus Probus, anno Urbis 1028, Chriſti 276, ſe & Paulino Conſulibus, imperium ſuſcepit.

ARTICULUS II.
Dexippi Herennii Scripta.

I. Dexippus Herennius, ut Photius in Bibliotheca docet, codice LXXXII, præter Hiſtoriarum opus, qvod in Claudii principatu terminavit, & Julius Capitolinus in Maximo & Balbino cap. XVI, videtur indicare, Scythica, id eſt, de Romanorum & Scytharum inter ſe præliis aliisq; rebus geſtis, hiſtorias compoſuit.

II. Ex altero iſtorum ſcriptorum; qvod vero ſimilius eſt, ex Scythicis, qvædam de Legationibus excerpta ſuperſunt, olim, de conſilio Imperatoris Conſtantini Porphyrogenneti, in magnum illud ex plurimis libris collectum Pandectarum hiſtoricorum corpus relata.

III. Incipiunt à Legatione, qvam Scythæ Juthungi (qvos Ammianus Marcellinus lib. XVII, cap. XII, inter Alemannos numerat) ad Imperatorem Aurelianũ, à qvo ad Iſtrum ſuperati fuerant, de pace obtinenda miſerunt; qvantum ex Zoſimi libro I, conjicere licet, primo

Aure-

Aureliani anno, qvi eſt Urbis 1022, Chriſti 270. Deſinunt in celeri Cæſaris ejusdem, poſt Vandalos victos, ad Italiam, in qvam Juthungi denuò irruperant, reditu; qvi ad eundem annum videtur referendus.

IV. In lucem hæc prodierunt, inter alia ex Græcis ſcriptoribus de Legationibus excerpta, Latinè tantum, interprete Carolo Cantoclaro, cum ejusdem notis, Lutetiæ Pariſiorum, M. DC. IX, in 8: ibidem, ex Typographia regia, Græcè, cum ejusdem Cantoclari, & verſione Latina, & notis, & in illam pariter atq; has novis aliqvot notis, qvibus ſuas Henricus Valeſius addidit, M. DC, XLVIII, in f.

ARTICULUS III.
Judicia de Dexippo Herennio.

I. Capitolinus in Gordianis cap. II: *Gordiani, non ut qvidam imperiti Scriptores loqvuntur, duo, ſed tres fuerunt: idq; docente Arriano ſcriptore Græcæ hiſtoriæ, docente item Dexippo Græco autore, potuerunt addiſcere: Qvi etiamſi breviter, ad fidem tamen omnia perſecuti ſunt.*

II. Photius in Bibliotheca, codice LXXXII, Andrea Schotto interprete: *Oratio ejus, ut nihil habet redundans, ita pompam qvandam ac majeſtatem affectat. Unde qvis eum jure dixerit alterum eſſe, ſed cum perſpicuitate qvadam Thucydidem; potiſſimum verò in Scythicis hiſtoriis.*

III. Videatur de Dexippo judicium Eunapii Sardiani, qvod in hoc capite, art. I, §. II, adduximus.

CAPUT XXIII.
VULCATIUS GALLICANUS.

ARTICULUS I.
Vulcatii Gallicani Vita.

I.

VUlcatius Gallicanus in Codicibus V. C. additum habet. Unde Senatorem fuiſſe colligimus. Nam, ut Valerius Probus de interpretandis Romanorum litteris, cap. xx, tradit: *V. C. aut qvintùm Conſulem, aut Virum Conſularem, aut Virum Clariſſimum denotat.* Jam in faſtis, ne ſemel qvidem, nedum qvinqvies Conſulem Gallicanum reperimus. Nec aliunde qvoddam teſtimonium ſe offert. Nunqvam verò Conſul, vir conſularis non fuerit. Relinqvitur, ut virum clariſſimum ſtatuamus: qvalis antiqvitati Senator audiebat. Lampridius in Alexandro Severo cap. xxi: *Præfectis Prætorio ſuis Senatoriam addidit dignitatem, ut viri Clariſſimi, & eſſent, & dicerentur.* Idem in Heliogabalo cap. IV: *Mulier, qvaſi clariſſima* (id eſt, Senatoris uxor) *loco viri, Senatum ingreſſa eſt.* Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus lib. IX, Originum, cap. IV: *Primi ordinis Senatores dicuntur illuſtres, ſecundi ſpectabiles, tertii clariſſimi.* Videatur Vopiſcus in Aureliano cap. xviii.

II. Vixit Imperatoris Diocletiani tempore, qvi anno Urbis 1036, Chriſti 284, imperium ſuſcepit, & per annos xx ſuſtinuit. Hunc cap. III, compellat his verbis: *Propoſui, Diocletiane Auguſte, omnes, qvi imperatorum nomen, ſive injuſtè habuerunt, in litteras mittere, ut omnes purpuratos Auguſtos agnoſceres.*

Articulus II.
Vulcatii Gallicani Scripta.

I. Vulcatii Gallicani ſcriptorum, ut forte plura compoſuerit, tamen hodiè nihil habemus, præter vitam Avidii Casſii. Qvi, cum eſſet Aſiæ præfectus, audito, Imperatorem M. Antoninum à Qvadis occiſum eſſe, falſo nuncio deceptus, in Oriente imperium arripuit, qvod per tres menſes & ſex dies uſurpatum cum vita perdidit, anno Urbis 927, Marci 15, Chriſti 175.

II. Hanc Avidii à Gallicano ſcriptam vitam explicuerunt Joannes Baptiſta EGNATIUS, Marcellus DONATUS, Janus GRUTERUS, Iſaacus CASAUBONUS, Claudius SALMASIUS, Marcus Zuerius BOXHORNIUS.

III. Pro-

III. Prodiit, inter alios hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, Venetiis ex Aldi Manutii officina, M. D. XIX, in 8: cum *Egnatii* annotationibus, ex Henrici Stephani officina M. D. LXVIII, in 8: & tomo II, Scriptorum, qvos Fridericus Sylburgius edidit, Francofurti ad Mœnum M. D. LXXXVIII, in f: cum *Gruteri* notis, tomo I, Scriptorum, qvos idem collegit, Hanoviæ M. DC. XI, in f: cum *Caſauboni* & *Salmaſii* notis, Pariſiis M. DC. XX, in f: cum *Gruteri*, *Caſauboni*, & *Salmaſii* notis, Cornelii Schrevelii curâ ſelectis, Lugduni Batavorum M. DC. LXI, in 8: cum *Boxhornii* animadverſionibus, ibidem M. DC. XXXII, in 12.

IV. In eandem vitam dilucidationes *Donati* prodierunt tomo VI, Theſauri critici, qvem J. Gruterus collegit, Francofurti ad Mœnum M. DC. XII, in 8.

ARTICULUS III.
Judicia de Vulcatio Gallicano.

I. Joannes Baptiſta Pius annotationum poſteriorum cap. LIX: *Exſtat qvoq; Avidii vita à Vulcatio Gallicano ſcripta, ubi plus doctrinæ, qvam eloqventiæ reperies.*

II. Juſtus Lipſius lib. V, epiſtolicarum qvæſtionum, epiſt. XXI: *E Spartiano, Lampridio, Capitolino, Vulcatio, & illis qvaſi partium ſecundarum Hiſtoricis, eloqventiæ non multum; rerum & morum veterum immenſam copiam eſt haurire.*

III. Caſpar Barthius lib. LX, Adverſariorum, in Auguſtini de Civitate Dei lib. I, cap. VI: *Rariſſimos ſupereſſe, qvi veritatem viderentur exqviſitè ſectari, & ſibi comperta ſcripſiſſe, in cæterorum tamen copia non ſpernendos, voluit divina benignitas. In his ponere ſoleo Polybium, Svetonium, & vitarum Auguſtarum ineptos plerumqve conſarcinatores, niſi ſi ita interpolatos; Tacitum & Ammianum Marcellinum. Qvibus etſi diverſiſſimis ſcriptoribus, maximè omnium veritatis ſtudium cordi fuiſſe ſcimus.*

CAPUT XXIV.
TREBELLIUS POLLIO.

ARTICULUS I.
Trebellii Pollionis Vita.

I.

TRebellius Pollio, Cæſaris Conſtantii Chlori, qvem Conſtantinus Magnus patrem habuit, temporibus vixit. Ipſe in Claudio cap. I, ſecundum emendatiora exemplaria: *Ventum eſt ad Principem Claudium, qvi nobis intuitu Conſtantii Cæſaris cum cura in litteris dicendus eſt.* In Gallienis cap. VII. *Contra Poſthumium Gallienus cum Aureolo & Claudio duce, qvi poſtea imperium obtinuit, principe generis Conſtantii Cæſaris noſtri, bellum incepit.* Et cap. XIV: *Claudius qvidem, ut ſuo dicemus loco, vir omnium optimus, electus eſt, qvi conſilio non adfuerat, eaq; apud cunctos reverentia, ut dignus videretur imperio, qvemadmodum poſtea comprobatum eſt. Is enim eſt Claudius, à qvô Conſtantius vigilantisſimus Cæſar originem ducit.*

II. Qvibus in locis, pro *Conſtantino*, qvem codices qvidam habent, ponendum eſſe *Conſtantium*, ex his, in Gallienorum vita cap. X, patet: *Qvæ idcirco poſui, ut ſit omnibus clarum, Conſtantium divini generis virum, ſanctisſimum Cæſarem, & Auguſtæ ipſum familiæ eſſe, & Auguſtos multos de ſe daturum, ſalvis Diocletiano & Maximiano Auguſtis, & ejus fratre Galerio.* Nam Diocletianus imperator Maximianum in imperii partem, Junio Maximo iterum, & Vettio Aqvilino Coss. anno Urbis 1038, Chriſti 286, asſumſit: Diocletianus autem & Maximianus, Auguſti, Conſtantium Chlorum & Galerium, Maximiani fratrem, in imperii ſublevamentum, Cæſares creaverunt anno Urbis 1043, qvô Tiberianus & Dio Conſules fuerunt, Chriſti 291. De his Auguſtis & Cæſaribus Trebellium loqvi, ſatis apparet.

ARTICULUS II.
Trebellii Pollionis Scripta.

I. Trebellius Pollio plurium principum Romanorum vitas compoſuit.

poſuit. Imperatoris Valeriani vitæ pars prior periit. Ea, qvæ reſidua eſt, qvoad initium præſertim, alienam manum videtur paſſa. Prout hodiè invenitur edita, incipit à rebus imperii, qvod Valerianus anno Urbis 1005, Chriſti 253, ſuſcepit: deſinit in bello, qvod Valerianus contra Saporem Perſarum regem geſſit, Odenatus autem Palmyrenus, pulſis ex Romano imperio Perſis, anno Urbis 1016, Chriſti 264, confecit.

II. Huic Cæſaris Valeriani, Patre Valeriano imperatore procreati, ſubjunxit vitam, qvam paucis tangit.

III. Imperatoris Gallieni, cui Valerianus imperator pater fuit, vitam incipit à captivitate patris, qvi victus à Perſis, & in Perſiam traductus eſt, anno Urbis 1012, Chriſti 260: finit in Gallieni morte, ſive anno Urbis 1020, Chriſti 268.

IV. In Salonini Gallieni, patre Gallieno imperatore procreati, vita, nihil, præter puerile factum, commemorat.

V. Præterea Tyrannorum xxx vitas ſcripſit. In iis duas fœminas, Zenobiam & Victorinam habet. Qvas ſi annumeres; xxix tyrannos deſcribit, qvi Valeriano & Gallieno imperantibus arripuerunt imperium. Sed ut omninò xxx tyrannos repræſentaret, unum alieni temporis, Valentem Superiorem, qvi tempore imperatoris Decii, circiter annum Urbis 1003, Chriſti 251, rebellavit, decimi noni loco, immiſcuit. Has xxx vitas incipit à Cyriade, qvi anno Urbis 1010, Chriſti 258, in Syria uſurpavit imperium: finit in Victorina, ſub imperio filii, ſenioris Tetrici, interemta. Qvi Tetricus inter præcedentes tyrannos recenſitus, ab Aureliano imperatore, cui ſe permiſerat, in triumpho, cum Tetrico juniore, filio, & Zenobia ductus eſt, anno Urbis 1026, Chriſti 274.

VI. Hic xxx tyrannos pollicitus liber, qvod duas contineret fœminas, cum autor à viris eruditis in templo Pacis reprehenſus eſſet; ut dictum efficeret numerum, duorum Titi & Cenſorini tyrannorum vitas addidit: qvemadmodum ipſe cap. xxxi, tradit. Titus ſub Maximino circiter annum Urbis 988, Chriſti 236: Cenſorinus ſub Claudio circiter annum Urbis 1021, Chriſti 269, qvæſivit imperium.

VII. Imperatoris Claudii vitam incipit à rebus imperii, qvod

anno Urbis 1020, Chriſti 268, ſuſcepit: finit in Claudii morte, qvæ in annum Urbis 1022, Chriſti 270 incidit.

VIII. Hæc Trebellii Pollionis opuſcula explicaverunt Joannes Baptiſta EGNATIUS, Fulvius URSINUS, Marcellus DONATUS, Janus GRUTERUS, Iſaacus CASAUBONUS, Claudius SALMASIUS, Marcus Zuerius BOXHORNIUS.

IX. Prodierunt, & hæ, qvas Pollio, & ſimul omnes Auguſtorũ vitæ, qvas Ælius Spartianus, Ælius Lampridius, Julius Capitolinus, Flavius Vopiſcus ſcripſerunt, Venetiis M. D. XIX, in 8: cum *Egnatii* annotationibus, ex Henrici Stephani Officina, M. D. LXVIII, in 8: tomo II, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, qvos Fridericus Sylburgius conjunxit, Francofurti ad Mœnum, M. D. LXXXVIII, in f: cum *Gruteri* notis, tomo I, hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum, qvos idem collegit, Hanoviæ M. DC. XI, in f: cum *Caſauboni* & *Salmaſii* notis, Pariſiis M. DC. XX, in f: cum *Gruteri*, *Caſauboni* & *Salmaſii* notis, Cornelii Schrevelii curâ ſelectis, Lugduni Batavorum, M. DC. LXI, in 8: cum *Boxhornii* animadverſionibus, ibidem M. DC. XXXII, in 12.

X. In Pollionis qvin & Spartiani, Lampridii, Capitolini, Vopiſci ſcripta, ſed non addita, prodierunt, *Urſini* notæ, cum Hiſtoricorũ fragmentis ab Antonio Auguſtino collectis, Antverpiæ M. D. XCV, in 8: *Donati* dilucidationes tomo VI, Theſauri critici, qvem J. Gruterus collegit, Francofurti ad Mœnum M. DC. XII, in 8:

ARTICULUS III.

Judicia de Trebellio Pollione.

I. Flavius Vopiſcus in Aureliano cap. II: *Sermo nobis de Trebellio Pollione, qvi à duobus Philippis usq; ad divum Claudium & ejus fratrem Qvintillum, imperatores tam claros, qvàm obſcuros, memoriæ prodidit, in eodem vehiculo fuit, aſſerente Tiberiano* (Urbis Præfecto) *qvod Pollio multa incurioſè, multa breviter prodidiſſet: me contra dicente, neminem ſcriptorum, qvantum ad hiſtoriam pertinet, non aliqvid eſſe mentitum.* Idem in Firmo cap. I: *Trebellius Pollio eâ fuit diligentia, eaq; cura in edendis bonis malisq; Principibus, ut etiam XXX tyrannos uno breviter libro concluderet, qvi Valeriani & Gallieni, nec multò ſuperiorum, aut inferiorum fuere Principum temporibus.*

II. Mi-

II. Michael Piccartus decade I, Obſervationum Hiſtorico-politicarum, cap. V: *Cum inciderem in non ignobilem hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptorem, in vita Gallieni alterius, locus mihi occurrit, meo judicio, non inſuper habendus.*

III. Gerardus Joannes Voſſius lib. II, de Hiſtoricis Latinis, cap. VI: *Nec ſi ætatem cogitemus, qvâ vixit, laude caret dictio ejus. De qvâ non admodum refrager Geſnero, qvi tomo primo Bibliothecæ, eam terſam eſſe ait, pauloq́; altius aſſurgere, qvalis Hiſtorico convenit. Sin comparemus eum cum Auguſtæo ævo, longisſimè abeſt.*

IV. Videatur de vitarum Auguſtarum Scriptoribus judicium Caſparis Barthii, qvod præcedentis capitis art. III, §. III, adducitur.

CAPUT XXV.
ÆLIUS SPARTIANUS.
ARTICULUS I.
Ælii Spartiani Vita

I.

ÆLius Spartianus ætate Imperatoris Diocletiani claruit. Hunc in præfatione, qvam Ælii Veri Cæſaris vitæ præmiſit, his alloqvitur verbis: *In animo mihi eſt, Diocletiane Auguſte, tot Principum maximè, non ſolum eos, qvi Principum locum in hac ſtatione, qvam temperas, retentarunt, ut usq; ad divum Hadrianum feci; ſed illos etiam, qvi vel Cæſarum nomine appellati ſunt, nec Principes aut Auguſti fuerunt, vel qvolibet alio genere, aut in famam, aut in ſpem principatus venerunt, cognitioni numinis tui ſternere.* Suſcepit imperium Diocletianus anno Urbis 1036, Chriſti 284, qvod per annos xx geſtum, anno Urbis 1055, Chriſti 303, depoſuit.

II. Longius vitam Spartianus produxit, ad Conſtantini Magni tempora, qvi anno Urbis 1058, Chriſti 306, ſuſcepit imperium. Eum in Geta cap. I, ſic compellat: *Scio, Conſtantine Auguſte, & multos, & clementiam tuam qvæſtionem movere poſſe, cur etiam Geta Antoninus à me tradatur.*

ARTICULUS II.

Ælii Spartiani Scripta.

I. ÆLius qvoqve Spartianus qvorundam Principum Romanorum vitas deſcripſit. Imperatoris Ælii Hadriani vitam, præmiſſis qvibusdam ab ejus nativitate, qvam in Veſpaſiani ſeptimum, Titi qvintum conſulatum (annum Urbis 828, Chriſti 76,) incidere commemorat, incipit à rebus imperii, qvod Hadrianus anno Urbis 869, Chriſti 117, ſuſcepit, progreſſus: deſinit in Hadriani morte, id eſt, in anno Urbis 890, Chriſti 138.

II. Eidem debemus Ælii Veri vitam, qvi ab Hadriano imperatore, in ſpem ſucceſſionis, anno Urbis 887, Chriſti 135, adoptatus: ante ſuſceptum imperium, anno Urbis 888, Chriſti 136, mortuus eſt.

III. In Imperatoris Didii Juliani vitâ, præmiſſis qvibusdam ad tempora præcedentia pertinentibus rebus, exponit in imperio geſta, qvod duobus menſibus, qvinqve diebus, anno Urbis 945, Chriſti 193, tenuit.

IV. Imperatoris Septimii Severi vitam, qvibusdam præmiſſis ab ejusdem nativitate, qvæ in Erucii Clari ſecundum, & Claudii Severi conſulatum, annum Urbis 898, Antonini Pii 9, Chriſti 146, incidit: orditur à rebus imperii, qvod Severus anno Urbis 945, Chriſti 193, ſuſcepit: finit in Severi morte, id eſt, in Rufi Gentiani & Pomponii Baſſi Conſulatu, anno Urbis 963, Chriſti 211.

V. Præterea Peſcennii Nigri vitam compoſuit, qvem Septimius Severus, à militibus imperatorem dictum, poſt occiſum Didium Julianum, anno Urbis 945, Chriſti 193, in imperio adverſarium habuit: anno altero trucidatum.

VI. Imperatoris Antonini Caracallæ, qvi patri Septimio Severo ſucceſſit, vitam, paucis de Caracallæ pueritia præmiſſis, à rebus imperii, qvod anno Urbis 963, Chriſti 211, ſuſcepit, orditur: & in ejusdem morte, qvam anno Urbis 969, Chriſti 217, obiit, terminat.

VII. Imperatoris Antonini Getæ vitam, præmiſſis à nativitate qvi-

qvibusdam geſtis, incipit à rebus imperii, qvod anno Urbis 963, Chriſti 211, accepit: finit in morte, qvam ſævitiâ Caracallæ fratris, duobus Aſpris COSS. anno Urbis 964, Chriſti 212, in gremio matris ſubiit.

VIII. Has à Spartiano relictas nobis vitas explicatas dederunt Joannes Baptiſta EGNATIUS, Fulvius URSINUS, Marcellus DONATUS, Janus GRUTERUS, Iſaacus CASAUBONUS, Claudius SALMASIUS, Marcus Zuerius BOXHORNIUS.

IX. Qvibus in locis, & ipſæ vitæ, & in eas jam laudatorum Virorum labores prodierint, præcedentis capitis articulus ſecundus periodus nona & decima indicat.

ARTICULUS III.

Judicia de Ælio Spartiano.

I. Joannes Baptiſta Pius annotationum poſteriorum cap. LVII: *Ælius Spartianus profundiſſima ſcatet eruditione, non ſine ſui temporis eloqventiâ.*

II. Videantur de Spartiano judicia, qvæ in hac libri parte adduximus, Juſti Lipſii, cap. XXIII, art. III, §. II: Caſparis Barthii, ibidem §. III: Gerardi Joannis Voſſii, cap. XXVIII, art. III. §. II.

CAPUT XXVI.

ÆLIUS LAMPRIDIUS.

ARTICULUS I.

Ælii Lampridii Vita.

I.

ÆLius Lampridius Imperatorum Diocletiani & Conſtantini Magni temporibus vixit. Nam ad illum qvidem Antonini Commodi, ad hunc verò Antonini Heliogabali & Alexandri Severi vitas ſcripſit.

II. Conſtantinum Magnum his in Heliogabalo cap. II, compellat verbis: *Antoninorum nomen tu, Conſtantine ſacratiſſime, ita veneraris,* ut

ut Marcum & Pium inter Conſtantios & Claudios, velut majores tuos, aureos formaveris. Et in Alexandro cap. LXV: *Soles qværere, Conſtantine Maxime, qvid ſit, qvod hominem Syrum & alienigenam talem Principem fecerit, cum tot Romani generis, tot aliarum provinciarum reperiantur improbi.* Diocletianus anno Urbis 1036, Chriſti 284: Conſtantinus autem Magnus anno Urbis 1058, Chriſti 306, imperium ſuſceperunt.

ARTICULUS II.
Ælii Lampridii Scripta.

I. Ælio Lampridio qvorundã Imperatorum vitas debemus. Imperatoris Antonini Commodi vitam, qvibusdam præmiſſis ab ipſius nativitate, qvam ad patris & patrui, hoc eſt, M. Antonini Philoſophi, & L. Antonini Veri conſulatum (ſive annum Urbis 913, Chriſti 161) refert: incipit à rebus imperii, qvod Commodus anno Urbis 932, Chriſti 180, ſuſcepit: terminat in ejusdem morte, ſive anno Urbis 944, Chriſti 192.

II. Huic, Imperatoris Antonini Diadumeni, qvi cum patre Opilio Macrino imperium anno Urbis 969, Chriſti 217, ab exercitu accepit: cum patre occiſus eſt anno ſeqvente, vitam ſubjungit.

III. Inde Imperatoris Antonini Heliogabali, qvi anno Urbis 970, Chriſti 218, imperium accepit: cum matre, anno Urbis 974, Chriſti 222, occiſus eſt, vitam tradit.

IV. Imperatoris Alexandri Severi vitam incipit ab imperii rebus, qvod anno Urbis 974, Chriſti 222, ſuſcepit: terminat in ejusdem morte, qvæ in annum Urbis 986, Chriſti 234, incidit.

V. Has à Lampridio compoſitas vitas explicuerunt Joannes Baptiſta EGNATIUS, Fulvius URSINUS, Marcellus DONATUS, Janus GRUTERUS, Iſaacus CASAUBONUS, Claudius SALMASIUS, Marcus Zuerius BOXHORNIUS.

VI. Qvibus in locis, & ipſæ vitæ, & in eas jam recenſitorum Virorum labores prodierint, præcedentis capitis XXIV, articulus II, periodus IX, & X, indicat.

ARTICULUS III.
Judicia de Ælio Lampridio.

I. Fla-

I. Flavius Vopiſcus in Probo cap II: *Mihi qvidem id animi fuit, ut imitarer Svetonium Tranqvillum, Fabium Marcellinum, Gargillium Martialem, Julium Capitolinum, Ælium Lampridium, cæterosq́ꝫ, qvi hæc & talia, non tam diſertè, qvam verè memoriæ prodiderunt.*

II. Joannes Baptiſta Pius annotationum poſteriorum cap. LX: *Gabalus imperator deſcribitur à Lampridio litteratiſſimo Viro.*

III. Videantur de Lampridio ſuperius adducta judicia, Juſti Lipſii, cap. XXIII, art. III, §. II: Caſparis Barthii, ibidem, §. III.

CAPUT XXVII.

JULIUS CAPITOLINUS.

ARTICULUS I.

Julii Capitolini Vita.

I.

Julius Capitolinus qvô tempore vixerit, ex vitis, qvas poſteritati reliqvit, cognoſcimus. Opilii Macrini, Antoninorum Pii & Veri, ad Diocletianum: Clodii Albini, duorum Maximinorum, trium Gordianorum, ad Conſtantinum, Auguſtos, ſcripſit.

II. Conſtantinum Magnum in Maximinis cap. I, alloqvitur his verbis: *Ne faſtidioſum eſſet clementiæ tuæ, Conſtantine Maxime, ſingulos qvosq́ꝫ Principes, vel Principum liberos, per libros ſingulos legere, adhibui moderationem, qvâ in unum volumen duos Maximinos, patrem filiumq́ꝫ congererem.* Diocletianus qvidem anno Urbis 1036, Chriſti 284, imperium ſuſcepit: Conſtantinus autem Magnus, patris Conſtantii Chlori ſucceſſor, ab exercitu Britannico Imperator, anno Urbis 1058, Chriſti 306, creatus eſt.

ARTICULUS II.

Julii Capitolini Scripta.

I. Julius Capitolinus multorum Principum Romanorum vitas ſcripſit.

ſcripſit. Imperatoris Titi Antonini Pii vitam, qvibusdam præmiſsis ab ejusdem nativitate, qvam ad Flavii Domitiani duodecimum, & Cornelii Dolabellæ conſulatum, id eſt, ad annum Urbis 838, Chriſti 86, refert: incipit à rebus imperii, qvod Antoninus anno Urbis 890, Chriſti 138, ſuſcepit: terminat in ejusdem morte, qvæ in annum Urbis 913, Chriſti 161, incidit.

II. Imperatoris Marci Antonini Philoſophi vitam qvibusdam præmiſsis ab ejusdem nativitate, qvam ad avi Annii Veri ſecundum, & Auguris conſulatū, id eſt, ad annum Urbis 873, Chriſti 121, refert: incipit à rebus imperii qvod Marcus anno Urbis 913, Chriſti 161, ſuſcepit: terminat in ejusdem morte, qvæ in annum Urbis 932, Chriſti 180, incidit.

III. Imperatoris Lucii Antonini Veri vitam, qvibusdam præmiſsis ab ejus nativitate, qvæ in L. Nonii Aſprenatis ſecundum, & M. Annii Libonis conſulatum, annum Urbis 880, Chriſti 128, incidit: incipit à rebus imperii, qvod Verus anno Urbis 913, Chriſti 161, ſuſcepit: terminat in ejus morte, id eſt, in anno Urbis 921, Chriſti 169.

IV. Imperatoris Pertinacis vitam, qvibusdam præmiſsis ab ejus nativitate, qvam ad Veri & Bibuli conſulatum, id eſt, ad annum Urbis 878, Chriſti 126, refert: orditur à rebus imperii, qvod Pertinax anno Urbis 945, Chriſti 193, extremo, ſuſcepit: terminat in ejus morte, qvam anno ſeqvente obiit.

V. Præterea Imperatoris Clodii Albini vitam exaravit, qvi, poſt interemtum imperatorem Pertinacem, ab exercitu in Gallia imperator anno Urbis 945, Chriſti 193, dictus: in prælio contra Septimium Severum imperatorem, interiit, Appio Claudio Laterano, & M. Mario Rufino conſulibus, anno Urbis 949, Chriſti 197.

VI. Imperatoris etiam Opilii Macrini vitam in litteras redegit, qvi, occiſo Imperatore Caracalla, imperium anno Urbis 969, Chriſti 217, arripuit: ipſe, ab Heliogabalo imperatore victus, cum fugeret, interfectus eſt anno Urbis 970, Chriſti 218.

VII. Imperatoris Maximini vitam, qvibusdam præmiſsis ad antecedentia tempora ſpectantibus, incipit à rebus imperii, qvod Maximinus anno Urbis 987, Chriſti 235, ſuſcepit: finit in ejusdem morte, qvam anno Urbis 989, Chriſti 237, violentam obiit.

VIII. Huic vitam Cæſaris Maximini ſubjungit, qvem pater Ma-

ximinus, anno Urbis 987, Chriſti 235, qvô Auguſtus evaſerat, Cæſarem dixit: &, qvemadmodum imperii, ſic etiam mortis ſocium habuit anno Urbis 989, Chriſti 237.

IX. Imperatorum qvoqve, trium Gordianorum, patris, filii, & nepotis vitas nobis reliqvit. Ex qvibus pater cum filio, paucis diebus ultra menſem, Publio Titio Perpetuo, L. Ovinio Ruſtico COSS. anno Urbis 989, Chriſti 237, imperium habuerunt: Nepos autem, eodem qvidem anno Cæſar creatus, at Auguſtus cæſis Balbino & Maximo Imperatoribus, anno Urbis 990, Chriſti 238, imperium accepit: qvod cum vita perdidit anno Urbis 996, Chriſti 244.

X. Præter has, Maximi & Balbini vitas compoſuit. Qvorum uterqve, poſt duos Gordianos interemtos, contra Maximinum à Senatu Imperator, anno Urbis 989, Chriſti 237, creatus eſt: uterqve fatum ultimum anno ſeqvente obiit.

XI. Has à Capitolino relictas poſteritati vitas explicandas, ſusceperunt Joannes Baptiſta EGNATIUS, Fulvius URSINUS, Marcellus DONATUS, Janus GRUTERUS, Iſaacus CASAUBONUS, Claudius SALMASIUS, Marcus Zuerius BOXHORNIUS.

XII. Qvibus in locis, & ipſæ vitæ, & in eas modò laudatorum Virorum labores prodierint, præcedentis capitis XXIV, articulus II, periodus IX, & X, indicat.

ARTICULUS III.

Judicia de Julio Capitolino.

I. Joannes Baptiſta Pius annotationum poſteriorum cap. LVIII: *Julii Capitolini diligentiſſimi ſcriptoris ad hunc modum leguntur verba.*

II. Videantur de Capitolino judicia, qvæ in hac libri parte adduximus, Flavii Vopiſci, cap. XXVI, art. III, §. I: Juſti Lipſii, cap. XXIII, art. III, §. II: Cæſaris Barthii, ibidem §. III. Gerardi Joannes Voſſii, capite ſeqvente, art. III, §. II.

CAPUT XXVIII.

FLAVIUS VOPISCUS.

ARTICULUS I.
Flavii Vopiſci Vita.

I.

FLavius Vopiſcus patriâ Siracuſius fuit. Diocletiano & Maximiano imperantibus, vixit. Nam in Aureliano cap. I: *Hilaribus*, ait, *qvibus omnia feſta & fieri debere ſcimus & dici, impletis ſolennibus, vehiculo ſuo me & judiciali carpento præfectus urbis vir illuſtris, ac præfata reverentia nominandus, Junius Tiberianus accepit.* Qvando Junius Tiberianus, Urbis Præfectum egerit, antiqvus autor de Præfectis, cujus fragmenta Joannes Cuſpinianus commentario ſuo ad Caſſiodori conſules paſſim inſeruit, his verbis docet: *Tiberiano II, & Dione Conſulibus, duodecimo Calendas Martias Junius Tiberianus Præfectus Urbis fuit.* Qvorum conſulatus in annum Diocletiani octavum, Maximiani ſextum, Urbis 1043, Chriſti 291, incidit.

II. Illam Aureliani vitam, unde non nulla citavimus, Vopiſcus ejusdem Tiberiani juſſu ſcripſit. Cum enim illius hæc ad ſe verba in medium protuliſſet: *Tu velim Aurelianum, ita ut eſt, qvatenus potes, in litteras mittas*: ſubjungit: *Parui ipſe qvidem præceptis: accepi libros Græcos, & omnia mihi neceſſaria in manum ſumſi: ex qvibus &, qvæ digna erant memoratu, in unum libellum contuli.* Sed eſt, cur multo poſt Tiberiani præfecturam, Vopiſcus hanc vitam litteris conſignaſſe videatur. Nam cap. XLIV, inqvit: *Mirabile fortaſſe videtur, qvod compertum Diocletiano, Aſclepiodotus Celſino conſiliario ſuo dixiſſe perhibet: ſed de hoc poſteri judicabunt. Dicebat enim, qvodam tempore Aurelianum Gallicanas conſuluiſſe Druidas, ſciſcitantem, utrum apud ejus poſteros imperium permaneret? tum illas reſpondiſſe dixit; Nullius clarius in Rep. nomen, qvam Claudii poſterorum futurum. Et eſt qvidem jam Conſtantius Imperator ejusdem vir ſangvinis, cujus puto poſteros ad eam gloriam, qvæ à Druidibus prænunciata ſit, pervenire.* Qvo in loco, niſi forte pro *Conſtantius*, ſcribendum eſt, *Conſtantinus*; utrum Conſtantius, Conſtantini Magni pater, an filius, intelligendus ſit, dubitari poteſt. Vero ſimillimum, innui patrem Conſtantini. Non enim, opinor, ſi tres imperatores ex Claudii gente ortos, nominare

potuiſſet,

potuiſſet, itaqve veritati reſponſionis illius, qvam Druidæ tulerunt, majus addere pondus valuiſſet, duobus, iisqve Claudio propinqvioribus, Conſtantio ejusqve filio Conſtantino Magno, præteritis, unum Conſtantium, primi hoc nomine Imperatoris nepotem, protuliſſet. Qvin & tempora ſententiæ noſtræ favent. Nam Conſtantius, Conſtantini Magni pater, cum Galerio, qvem collegam habuit, Cæſar qvidem anno Urbis 1043, Chriſti 291: Auguſtus autem anno Urbis 1055, Chriſti 303, renunciatus eſt. Jam ſi Vopiſcus hunc Conſtantium, &, qvod ſuſpicari posſis, cum Imperatorem dicit, non Auguſtum, ſed Cæſarem intelligit: qvò minus eodem anno, qvô Tiberianus Præfectus Urbis fuit, Aureliani compoſuerit vitam, nihil repugnat.

III. In Carino, cum Imperatores Diocletianum, Maximianum, Conſtantium & Galerium commendaſſet, ſubjungit cap. XVIII: *Qvorum vitam ſingulis libris Claudius Euſthemius, qvi Diocletiano ab epiſtolis fuit, ſcripſit. Qvod idcirco dixi, ne qvis à me tantam rem qværeret, maximè cum vel vivorum Principum vita non ſine reprehenſione dicatur.* Hæc, enumeratis Imperatoribus jam vitâ defunctis, Carini vitam à Vopiſco exaratam, indicant. At verò Conſtantius ille Galerii collega, cognomine Chlorus appellatus, Conſtantini Magni pater, diem ſuum obiit anno Urbis 1058, Chriſti 306. M. Aurelius Maximianus, Diocletiani Collega, imperium, qvod octavo ſuo, Diocletiani nono conſulatu, anno Urbis 1055, Chriſti 303, depoſuerat; ſecundo poſt C. Galerii Maximiani ſeptimum, & Diocletiani decimum conſulatum, anno Urbis 1061, Chriſti 309, recuperare neqvicqvam conatus, laqveo periit. Anno ſeqvente C. Galerius Maximianus, Conſtantii Chlori collega, mortuus eſt. At Diocletianus diutisſimè omnium, &, ſi Aurelio Victori credimus in epitome cap. XXXIX, ab imperii abdicatione annos prope novem ſuperſtes, circiter annum Urbis 1065, Chriſti 313, excesſit. Qvod ſi autem Idatio in faſtis conſularibus num. CCCLIV, ſubſcribere placet, Sabino & Rufino COSS. id eſt, anno Urbis 1068, Chriſti 316, die III, Nonas Decembris, ad plures abiit.

ARTICULUS II.
Flavii Vopiſci Scripta.

I. Flavius Vopiſcus Imperatoris Aureliani vitam, præmiſſis ejus à nativitate qvibusdam rebus, incipit à rebus imperii, qvod Aurelian9 anno Urbis 1021, Chriſti 269, ſuſcepit; finit in ejusdem morte, qvam ad annum imperii ſextum, id eſt, Urbis 1027, Chriſti 275, refert.

II. Præterea Imperatoris Taciti vitam concinnavit, qvem ſexto imperii menſe trucidatum ſcribit. Ejus imperium & mors in annum Urbis 1027, Chriſti 275, incidunt.

III. Qvin & Imperatoris Floriani vitam in litteras redegit, qvi fratre Tacito interemto imperium arripuit. Qvod paulo minus ternis menſibus retentum, cum vita perdidit anno Urbis 1028, Chriſti 276.

IV. Imperatoris Probi vitam, præmiſſis ejus à nativitate qvibusdam rebus, incipit à rebus imperii, qvod poſt Tacitum cæſum, Probus à militibus, anno Urbis 1028, Chriſti 276, accepit: finit in Probi morte, qvæ Vopiſco ad qvintum, aliis ad ſextum imperii annum, qvi eſt Urbis 1034, Chriſti 282, refertur.

V. Tyrannorum qvoqve, Firmi, Saturnini, Proculi, & Bonoſi vitas compoſuit: Ex iis Firmus, contra Imperatorem Aurelianum, anno Urbis 1025, Chriſti 273, imperium arripuit: Bonoſus ab Imperatore Probo victus, laqveo ſibi ſpiritum intercepit anno Urbis 1034, Chriſti 282.

VI. His Imperatorum, Cari, & filiorum, Numeriani atqve Carini, ſubjunxit vitas. Carus anno Urbis 1035, Chriſti 283, accepit imperium: Carinus, in prælio contra Diocletianum, interiit, anno Urbis 1037, Chriſti 285.

VII. Has à Vopiſco litteris traditas vitas explicatas nobis reddiderunt Joannes Baptiſta EGNATIUS, Fulvius URSINUS, Marcellus DONATUS, Janus GRUTERUS, Iſaacus CASAUBONUS, Claudius SALMASIUS, Marcus Zuerius BOXHORNIUS.

IIX. Qvibus in locis & ipſæ vitæ, & in eas jam nominatorum Virorum labores prodierint, præcedentis capitis XXIV, articulus II, periodus IX, & X, indicat.

Articulus III.
Judicia de Flavio Vopiſco.

I. Iſaacus

I. Iſaacus Caſaubonus in notis ad Vopiſci Aurelianum cap. I: *Tandem è ſalebroſis & præruptis locis emerſimus: ſic jure appellaverim pleroſq; præcedentium autorum libros, ſi cum ſeqventibus Vopiſci comparentur. In illorum pleriſq; omnia perturbata, indigeſta, confuſa, mera deniq; mapalia: hîc temporum rerumq; ſeries diligentius & conſtantius ſervata. Nihil admodum alieno loco poſitum, omnia ferè εὔτακτα καὶ εὐοικονόμητα: ſive ea fuit autoris major diligentia, ſive ſcriptorum ejus felicitas, qvæ correctorum manus minus iniqvas ſint experta.*

II. Gerardus Joannes Voſſius lib. II, de Hiſtoricis Latinis, cap. VII: *In Vopiſco, præter eruditionem, illud etiam laudamus, qvod omnia ordine narrat meliori, qvam factum fuit à Spartiano, Capitolino, atqve aliis hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus, in qvibus pleraq; valde turbata.*

CAPUT XXIX.
SEXTUS AURELIUS VICTOR.
Articulus I.
Sexti Aurelii Victoris Vita.

I.

SExtus Aurelius Victor, ille, qvi Cæſarum vitas ſcripſit, hæc cap. XX, de ſe tradit: *Qvò bonis omnibus ac mihi fidendum magis, qvi rure ortus tenuiq; indocto* (Caſaubonus, tenui, atq; indocto: Gruterus, tenui, qvanqvam docto) *patre, in hæc tempora vitam præſtiti, ſtudiis tantis honeſtiorem. Qvod eqvidem gentis noſtræ reor, qvo* (Schottus, qvæ) *fato qvodam bonorum parte* (idem, partu) *fœcunda: qvos eduxit, tamen, qvemq; ad celſa ſuos habet* (Sylburgius, ſubvehit.)

II. Conſtantio, Conſtantini Magni filio, imperante, claruit. Nam cap. XXVIII, cum à Julio Philippo Imperatore annum Urbis milleſimum ludis omnium generum celebratum commemoraſſet, ſubjungit: *Noſtra qvoq; ætate poſt mille centeſimus, Conſule Philippo, exceſſit, nullis, uti ſolet, ſolennibus freqventatus.* At Urbis annus 1100, eſt Conſtantii duodecimus, Chriſti 348. Et cap. XVI, ait: *Aſia Epheſus ac Bithyniæ Nicomedia, conſtrata terræ motu æqvè ac noſtra ætate Nicome-*

dia, Cereali conſule. Neratius autem Cerealis, poſt nonum Imperatoris Conſtantii, conſulatum geſſit, anno Urbis MCX, Chriſti 358. Cap. ultimô: *At Julius Conſtantius annos tres atq; viginti Auguſtum imperium regens, cum externis motibus, modò civilibus exercetur, ægrè ab armis abeſt.* Qvæ cum præcedentibus bene conveniunt. Nam XXIII annus Conſtantii, eſt Urbis MCXI, Chriſti 359.

III. Inde colligas, eundem Victorem eſſe, de qvô Ammianus Marcellinus lib. XXI, cap. XVIII, loqvitur. Nam rebus, qvæ Flavio Florentio, & Flavio Tauro Coſs. anno Urbis MCXIII, qvi eſt Conſtantii ultimus, Chriſti 361, contigerunt, adjicit: *Imperator* (Julianus) *revertitur Naſſum, copioſum oppidum, qvò inde expeditè cuncta diſponeret ſuis utilitatibus profutura. Ubi Victorem apud Sirmium viſum, ſcriptorem hiſtoricum, exinde venire præceptum, Pannoniæ ſecundæ conſularem præfecit, & honoravit ænea ſtatua virum ſobrietatis gratia multilaudum, multo poſt Urbi præfectum.*

ARTICULUS II.
Sexti Aurelii Victoris Scripta.

I. Sexti Aurelii Victoris de Romanæ gentis origine libellus exſtat. Qvi tamen, an ejusdem Victoris ſit, de qvô egimus, ideo, qvantum obſervare licuit, dubitari ſolet, qvod in præſcripto titulo dicatur, inter alios, ex Victore Afro deſumtus: iſte autem Victor Afer non alius videatur, qvam qvi Cæſarum vitas ſcripſit, qvippe qvi in Africæ laudibus copioſior, ſe Afrum eſſe ſubinnuat.

II. De eo qvicqvid ſit; in codicibus ad antiqva MSta expreſſis, & huic, & duobus, de qvibus mox dicemus, libellis, generalis præmittitur epigraphe: *Origo gentis Romanæ à Jano & Saturnò conditoribus, per ſuccedentes ſibimet Reges, usq; ad conſulatum decimum Conſtantii.* Qvod uni, de Romanorum origine, libello neqvaqvam convenit. Nam hic à Jani, Aboriginum Regis, in Italiam adventu, ſive ab anno Mundi 2621, ante Romam conditam 577, C. N. 1327, incipit: definit autem in anno Urbis primo, qvi eſt Mundi 3198, ante C. N. 750.

III. Prodiit, Dionyſii Halicarnaſſenſis operibus inſertus, Francofurti

coſurti ad Mœnum, M. D. LXXXVI, in f: Onuphrii Panvinii de Rep. Romana commentariis ſubjunctus, Pariſiis M. D. LXXXVIII, in 8: inter antiqvæ hiſtoriæ autores, qvos Dionyſius Gothofredus conjunxit, Lugduni M. D. XCI, in 16: cum Friderici *Sylburgii* diverſis locorum ſcripturis tomo I, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, Francofurti ad Mœnum, M. D. LXXXVIII, in f: cum Jani *Gruteri* notis, tomo II, hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum, Hanoviæ M. DC. X, in f.

IV. Deinde Sexti Aurelii Victoris de Urbis Romæ viris illuſtribus liber reperitur. Cujus autorem, aut Cornelium Nepotem, aut Plinium Novocomenſem, aut Svetonium Tranqvillum, multi conſtituunt: meris conjecturis, nullo alicujus momenti argumento, qvô fidem prudentioribus qvidem lectoribus faciant, inſtructi.

V. Certè omnes illos, qvibus adſcribitur, de viris illuſtribus aliqvid reliqviſſe contendunt. Id Nepotem A. Gellius lib. XI, cap. VIII: Svetonium feciſſe, Hieronymus de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. I, tradit. De Plinio, ne iſtud qvidem, unde poſſint oſtendere, video. Neqve enim, cum lib. VI, epiſt. XX: ad Cornelium Tacitum ſcribit: *Poſco librum Titi Livii, & qvaſi per otium lego, atq; etiam, ut cœperam, excerpo*: inde qvisqvam paulò ſolertior collegerit, illuſtrium virorum vitas illum excerpſiſſe.

VI. Sed demus, à Plinio perinde, ut à Nepote Svetonioq; compoſitas clarorum virorum vitas; an propterea de ſimili materia liber, cujus autor non ſatis certus ſit, illorum uni tribuendus erit? Ut nihil de ſtyli differentia, qvæ inter noſtrum, & laudatos autores intercedit, dicam; Nepotis cur hoc opuſculum habendum non ſit, ſubjiciam. De M. Manlio A. Gellius lib. XVII, cap. XXI: *Qvi Gallos*, inqvit, *in obſidione Capitolii obrepentes per ardua depulerat, convictus eſt, conſilium de regno occupando iniiſſe: damnatusq; capitis, è ſaxo Tarpejo, ut M. Varro ait, præceps datus eſt: ut Cornelius autem Nepos ſcriptum reliqvit, verberando necatus eſt.* At Victor ait cap. XXIV: *Damnatus & de Saxo Tarpejo præcipitatus.* Hæc inter ſe pugnantia Nepotem, nobilem Hiſtoricum, asſeruiſſe, non eſt vero ſimile.

VII. Qvæ cum ita ſint; præſtiterit, meliorum Codicum, præſertim ex ipſis MStis publicatorum, in qvibus liber hic Aurelii Victoris nomen præfixum habet, autoritatem ſeqvi. Solicitos verò cujus Aurelii

relii Victoris hoc de viris illuſtribus opuſculum ſit, certiores facit, qvi de Cæſaribus ſeqventi libro præmittitur titulus: *Aurelii Victoris hiſtoriæ abbreviatæ pars altera.* Nam inde probabiliter colligere licet, cujus poſterior eſt, ejusdem Victoris priorem eſſe partem.

VIII. Cæterum, primus inter illos illuſtres Viros eſt Proca, Rex Albanorum, qvi regnum ſuum filiis Amulio & Numitori, annuis vicibus habendum reliqvit, anno Mundi 3155, ante Romam conditam 43, ante C. N. 793. Ultimus eſt Cn. Pompejus, cujus mors in annum Urbis 705, Mundi 3902, ante C.N. 46, incidit.

IX. Ad hos illuſtres viros additamentum, in qvibusdam antiqvis libris MStis repertum (qvod ejusdem videtur autoris eſſe) incipit à Julio Cæſare, qvi Prætor in Luſitaniam anno Urbis 693, Mundi 3890, ante C. N. 58, abiit: deſinit in Cleopatra, Ægypti Regina, qvæ victo M. Antonio marito, ipſa mortem ſibi acceleravit anno Urbis 723, Mundi 3920, ante C. N. 28.

X. Hunc de viris illuſtribus librum explicuerunt Dominicus MACHANEUS, Conradus LYCOSTHENES, Fridericus SYLBURGIUS, Janus GRUTERUS.

XI. Prodiit, cum *Machanei* commentariis Lipſiæ, M. D. XVI, in 4: cum *Lycoſthenis* commentariis Baſileæ M. D. LXIII, in f: cum *Sylburgii* diverſis locorum ſcripturis, tomo I, hiſtoriæ Romanæ ſcriptorũ, Francofurti ad Mœnum, M. D. LXXXVIII, in f: cum *Gruteri* notis, tomo II, hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptorum, Hanoviæ M. DC. X, in f.

XII. Præterea Sexti Aurelii Victoris de Cæſaribus librum habemus. Horum primus eſt Octavianus Auguſtus, à cujus principatu, qvem ad annum Urbis 722, id eſt, ante C. N. 29, refert, incipit. Ultimus eſt Conſtantius, Conſtantini Magni filius, in cujus anno XXIII, qvi eſt Urbis IIII, Chriſti 359, deſinit.

XIII. Prodiit cum Friderici *Sylburgii* diverſis locorum ſcripturis, tomo I, hiſtoriæ Romanæ ſcriptorum, Francofurti ad Mœnum, M. D. LXXXVIII, in f: cum Jani *Gruteri* notis, tomo II, hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum, Hanoviæ M. DC. X, in f.

CAPUT

CAPUT XXX.

FLAVIUS CLAUDIUS JULIANUS.

ARTICULUS I.

Flavii Claudii Juliani Vita.

I.

FLavius Claudius Julianus, patre Flavio Julio Conſtantio, Conſtantini Magni fratre, Byzantii natus, cum ſeptimum ætatis annum egreſſus eſſet, pædagogum accepit Mardonium Eunuchum. Auditoria Conſtantinopolitana ingreſſus, in Grammaticis Nicoclem Lacedæmonium, in Rhetoricis Ecebolum Sophiſtam audivit.

II. Eò in ſtudiis jam progreſſus erat, ut dignus imperio prædicaretur. Qvod de ipſo paſſim divulgatum judicium imperatori Flavio Julio Conſtantio, Conſtantini Magni filio, minus gratum fuit. Qvi Julianum ex urbe Conſtantinopolitana remoturus, Nicomediam miſit, qvæ tum eloqventiæ fama celebrem habebat Libanium Rhetorem, paganæ ſuperſtitioni addictum. Cujus qvidem ſcholâ Julianus, ad monita Conſtantii, ſed non item, qvos ediderat, libris abſtinebat. His majorem in modum delectatus, cum ipſo autore conſvetudinem familiaritatemq; iniit. Sic magis magisq; corruptus, & in ſcholam ejus acceſſit, & in Chriſtianos, qvaſi Græcorum more, unius ingenii exercendi causâ declamavit. Eodem in loco Philoſophiam eloqventiæ conjunxit, præcipuo in illâ Doctore Maximo Epheſio, pariter homine pagano, qvem ob magicas artes & impoſturas Valentinianus Imperator capitis damnavit, uſus.

III. Conſtantio, cui magnam idololatriæ ſuſpicionem dederat, ſe Chriſtianorum religioni adhærere profesſus, verba dedit. Qvibus fidem ut faceret, cum domi Chriſtianos in ſpeciem tractavit codices, tum ſacros populo libros, publico in Eccleſiâ Nicomedienſium Anagnoſtæ officio defunctus, prælegit.

IV. Nicomediâ digreſſus, Athenas, & in alia Græciæ oppida ſe contulit, titulo Philoſophiam ulterius excolendi; animô, ex gentilium

oraculis cognoſcendi, qvam ad imperiũ, qvod affectabat, ſpem facerent.

V. A Conſtantio tandem revocatus, ut contra bellicoſam Gallorum gentem mitteretur, Cæſar qvidem, Arbetione & Lolliano Coss. anno Urbis 1107, Chriſti 355, ætatis 24, creatus eſt: Auguſtus autem, Conſtantio mortuo, Tauro & Florentino Coss. imperium, anno Urbis 1113, Chriſti 361, accepit.

VI. Qvam ab ingenio, litterariæ pariter atq; militaris rei peritia, rebus in imperio geſtis, reportavit laudem, pluribus ſceleratis factis obſcuravit, Chriſtianorum Religionis & deſertor, & perſecutor.

VII. In prælio contra Perſas, qvarto ſuo & Salluſtii conſulatu, ex vulnere interiit, anno ætatis 32, imperii 2, Urbis 1115, Chriſti 363.

VIII. Hæc & plura de Juliano tradunt, ipſe Julianus in Miſopogone: Aurelius Victor de imperatorum vitis cap. XLIII: Eutropius lib. X, cap. VIII: Sextus Rufus Breviario cap. XXVIII: Eunapius Sardianus libro de vitis Philoſophorum, cap. de Libanio: Ammianus Marcellinus lib. XV, & ſeqventibus: Gregorius Nazianzenus duabus in Julianum orationibus: Auguſtinus lib. IV, de Civitate Dei, cap. XXIX: & lib. V, cap. XXI: Paulus Oroſius lib. VII, hiſtoriarum, cap. XXX: Socrates lib. III, hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. I, & ſeqq. Sozomenus lib. V, hiſt. eccl. cap. I, & ſeqq: Theodoretus lib. III, hiſt. eccl. cap. I, & ſeqq: Zoſimus lib. III: Autor Anonymus in Chronico Alexandrino, qvod faſtos Siculos qvidam nominant: Theophanes in Chronographia ad A. C. CCCXXX, & ſeqq: Paulus Diaconus lib. XI, hiſtoriæ miſcellæ, cap. XXIV, & ſeqq: Photius in Bibliotheca, codice CCLVIII: Georgius Cedrenus in hiſtoriarum compendio: Joannes Zonaras annalium tomo III: Conſtantinus Manaſſes in annalibus: Michael Glycas annalium parte IV: Nicephorus Calliſti lib. X, hiſt. eccleſ. cap. I, & ſeqq: ut alios his recentiores ſcriptores ſilentio prætermittam.

ARTICULUS II.
Flavii Claudii Juliani Scripta.

I. Flavius Claudius Julianus de Cæſaribus librum ſcripſit: qvô plerorumq; Cæſarum, à Julio exorſus, non nullas res, ficto inter ipſos, & deos colloqvio, paucis attingit, Satyricus, non Hiſtoricus.

II. Ex

II. Ex Græco in Latinum verterunt Carolus Cantoclarus, & Petrus Cunæus: notis illuſtraverunt idem CANTOCLARUS, Fridericus SYLBURGIUS, Dionyſius PETAVIUS.

III. Prodiit Græcè, cum Cantoclari interpretatione Latinâ, ejusdem & *Sylburgii* notationibus, tomo III, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, Francofurti ad Mœnum M. D. XC, in f: in operibus Juliani Græco-Latinis, cum *Petavii* notis, Pariſiis M. DC. XXX, in 4: Græcè, cum duplici Latina verſione, Cantoclari & Cunæi, tomo I, Satyrarum, Lugduni Batavorum M. DC. LV, in 12.

Articulus III.

Judicium de Flavii Claudii Juliani Cæſaribus.

Socrates lib. III, hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. I, extremo, Joanne Chriſtophorſono interprete: *Cum ſupra modum inanis gloriæ cupiditate flagraret, omnes imperatores, qvi eſſent illum antegresſi, libro qvodam, qvem inſcripſit Cæſares, graviter & contumelioſè perſtrinxit.*

CAPUT XXXI.

EUTROPIUS.

Articulus I.

Eutropii Vita.

I.

Eutropius Sophiſta, Chriſtianus, an paganus fuerit, in incerto eſt. Sunt, qvi Chriſtianum ex his judicent verbis, qvæ lib. X, cap. VIII, de Juliano facit: *Nimius religionis Chriſtianæ inſectator, perinde tamen, ut cruore abſtineret.* Ex qvibus ut Chriſtianum: ſic ex ſeqventibus, qvæ de Joviani cum Perſis inita pace profert, paganum fuiſſe, ſuſpicari posſis. Nam, *Ea pacis conditio*, inqvit, *non penitus reprehendenda foret, ſi fœderis necesſitatem, tum, cum integrum fuit, mutare voluiſſet: ſicut à Romanis omnibus his bellis factũ eſt. Nam & Samnitibus, & Numantinis, & Numidis confeſtim bella illata ſunt: neq; pax rata fuit.*

II. Conſtantini Magni anno XII, qvi eſt Urbis 1069, Chriſti 317, vixit: & expeditioni, qvam Julianus extremo imperii ſui anno, qvi eſt Urbis 1115, Chriſti 363, in Perſas ſuſcepit, interfuit. Utrumq; Ge-

orgius Codinus in Selectis de originibus Conſtantinopolitanis, ubi de ſtructura jam abſoluta Conſtantinopoleos agit, refert. *Hæc acciderunt*, inqvit, Georgio Douſa interprete, *anno imperii Conſtantini Magni duodecimo, adjuvantibus in ſtructura civitatis divino præſidio munitæ, Euphrato accubitore, Urbicio & Liberio præpoſitis: Iſidoro & Euſtorgio, & Michaele primo veſtiario, utroq; Patritio, & Onoriſio Eparcho: qvemadmodum memorant, Eutychianus à ſecretis primus, Grammaticus; & Eutropius Sophiſta, qvi Juliano Apoſtatæ in Perſide ſimul aderat: Conſtantinus Epiſtolographus: Eleuſius Diaconus, Philoſophus: Troilus Orator, qvi in magiſtratu cum magno honore verſatus eſt, & Heſychius tachygraphus. Hi omnes, qvæ ſuis oculis tum viderunt, accuratè ſcriptis mandarunt.* Ad qvem locum Petrus Lambecius in animadverſionibus num. XVII: *In codice Vaticano legitur:* Καὶ ἐπιςολόγραφος Κωνςαντίνου. *Videtur ergo Eutropius Conſtantino Imperatori ab epiſtolis fuiſſe.* Eutropius ipſe lib. X, cap. VIII: *Hinc Julianus*, inqvit, *rerum potitus eſt; ingentiq; apparatu Parthis intulit bellum; cui expeditioni ego qvoq; interfui.*

III. Breviarium ſuum ad Valentem ſcripſit, qvi cum fratre Valentiniano imperium anno Urbis 1116, Chriſti 364, qvô Jovianus, cui Valentinianus ſucceſſit, & Varronianus Coſs fuerunt, ſuſcepit. Huic Valenti poſt aliqvot in imperio transactos annos dedicatum eſſe Breviarium, ex his notes in præfatione poſitis: *Res Romanas brevi narratione collegi ſtrictim; additis etiam iis, qvæ in Principum vitis egregia exſtiterunt; ut tranqvillitatis tuæ poſſit mens divina lætari, prius ſe illuſtrium Virorum facta in adminiſtrando imperio ſecutam, qvam cognoſceret lectione.*

IV. Eundem Valentem, &, vel Valentinianum, vel Gratianum Valentiniani filium, (qvem pater anno Urbis 1119, Chriſti 367, in imperio collegam aſſumſit, & defunctus anno Urbis 1127, Chriſti 375, ſucceſſorem habuit) fortaſſis omnes tres Imperatores, intelligit, cum poſt commemoratam Joviani mortem, his Breviarium claudit verbis: *Qvia autem ad inclutos Principes venerandosq; perventum eſt, interim operi modum dabimus. Nam reliqva ſtylo majore dicenda ſunt: qvæ nunc non tam prætermittimus, qvam ad majorem ſcribendi diligentiam reſervamus.*

ARTI-

ARTICULUS II.

Eutropii Scripta.

I. Eutropius hiſtoriæ Romanæ Breviarium libris X compoſuit. Id ab Urbe condita ſive anno Mundi 3198, ante C. N. 750, incipit, & in Imperatoris Joviniani obitu, ſive in ipſius & Varroniani conſulatu, anno Urbis 1116, Chriſti 364, finit.

II. Ex Latino Pæanius Sophiſta Græcum fecit: emendatius utiliusq; reddiderunt Henricus GLAREANUS, Elias VINETUS, Fridericus SYLBURGIUS.

III. Prodiit, Svetonio ſubjunctum, Venetiis M. D. XVI, in 8: cum *Glareani* annotationibus, *Vineti* commentario, Baſileæ M. D. LIX, in 8: cum *Vineti* commentario, Pariſiis M. D. LX, in 16: cum *Sylburgii* diverſis locorum ſcripturis, tomo I, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, Francofurti ad Mœnum M. D. LXXXVIII, in f: cum Pæanii Græca interpretatione, *Sylburgii* notationibus, tomo III, ibidem edito M. D. XC, in f.

ARTICULUS III.

Judicia de Eutropio.

I. Joannes Sareſberienſis lib. VIII, de nugis Curialium, cap. XXI, de Juliano: *Eutropius qvoq;, qvi Romanam eleganti compendio deſcribit hiſtoriam, peremtum fatetur in caſtris.*

II. Antonius Poſſevinus in Apparatu ad omnium gentium hiſtoriam Sect. III, cap. XXXV: *Minus qvidem elegans, ſed cum ex Livio & Salluſtio res nobis nunc ignotas decerpſerit, & omnem hiſtoriam Romanam breviter ab Urbe condita usq; ad Juliani principis mortem libris decem perſeqvatur, magni à nobis fieri debet.*

III. Michael Piccartus decade XVI, Obſervationum hiſtorico-politicarum cap. I. *Legens nuper in Eutropio, qvi breviarium hiſtoriæ Romanæ nobis reliqvit, annorum qvidem MCXV, ſuccinctâ ſanè concinnaq; brevitate, ſic tamen, ut nihil per ea tempora inciderit pene in imperio Romano, qvod non diligenti illi autori vel tribus ſaltem verbis notatum, incidi in hiſtoriam Numæ.*

IV. Gerardus Joannes Voſſius lib. II, de Hiſtoricis Latinis, cap. VIII: *Stylum ſi ſpectes, parum eſt concinnus: ſed hoc ætati, qvâ vixit, tribuamus. Res verò ipſas compendio ſatis commodo conſtrinxit.*

CAPUT XXXII.
SEXTUS RUFUS.
ARTICULUS I.
Sexti Rufi Vita.

I.

SExtus Rufus, Vir conſularis, Dictator, Magiſter militum, claruit imperante Valentiniano, Joviani ſucceſſore, qvi poteſtatem auguſtam anno Urbis 1116, Chriſti 364, accepit. Eum initio Breviarii ſui compellat hunc in modum: *Brevem fieri clementia tua libellum præcepit. Parebo libens. Qvippe cui deſit facultas latius eloqvendi: ac morem ſecutus calculatorum, qvi ingentes ſummas ære breviori exprimunt; res geſtas ſignabo, non eloqvar.*

II. Eundem Imperatorem cap. ultimo Breviarii, poſteaqvam de Joviani pace cum Perſis anno Urbis 1115, Chriſti 363, inita commemoraſſet, his alloqvitur verbis: *Qvam magno deinceps ore poſſum, tua, Princeps invicte, facta, incluta cum ſint, perſonabo: qvibus me, licet imparem, dicendi niſu & ævo gravior parabo. Maneat modo conceſſa, Dei nutu, & amico, cui te crediſſe creditus es, numine indulta felicitas, ut de hac gente, ſicut de Gothis, etiam de Babyloniis, tibi palma pacis accedat, glorioſisſime Princeps Valentiniane Auguſte.* Hæc Romanorum pax cum Gothis, qvemadmodum ex Ammiani Marcellini lib. XXVII, cap. XI, liqvet, à Valente, Valentiniani fratre, & Athanarico Gothorum Rege compoſita eſt, Julio Felice Valentiniano, & Sexto Aurelio Victore Coss. anno Urbis 1121, qvi eſt Imperatoris Valentiniani ſextus, Chriſti 369.

ARTICULUS II.
Sexti Rufi Scripta.

I. Sextus Rufus à populo Romano geſtarum rerum Epitomen, ſeu, ut alii vocant, Breviarium ſcripſit: in qvô de tribus imperii Romani generibus, regio, conſulari & imperatorio agit; præcipua qvæqve momenta, præſertim imperii Romani acceſſiones, paucis exponēs. Orditur illud ab Urbe condita, ſive anno Mundi 3198, ante C.N. 750: & termi-

terminat in pace per Jovianum imperatorem inita cum Perſis, anno Urbis 1115, Chriſti 363.

II. Hoc breviarium Joannes CUSPINIANUS & Fridericus SYLBURGIUS illuſtraverunt.

III. Prodiit, Lutetiæ M. D. LXXXVIII, in 8: tomo II, hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum, qvos Janus Gruterus conjunxit, Hanoviæ M. DC. X, in f: Floro ſubjunctum, Coloniæ Agrippinæ M. D. XL, in 8: & Moguntiæ M. D. LI, in 8: Livio præmiſſum, Pariſiis M. D. LII, in f: Francofurti ad Mœnum M. D. LXVIII, in f: ibidem M. D. LXXVIII, in f: cum *Sylburgii* diverſis locorum ſcripturis, tomo I, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, ibidem M. D. LXXXVIII, in f: cum *Cuſpiniani* ſcholiis, ibidem M. DC. I, in f.

IV. Sexti qvoq; Rufi nomen, de Urbis regionibus liber, præfixum gerit. Prodiit, Onuphrii Panvinii de Rep. Romana commentariis inſertus, Francofurti ad Mœnum M. D. XCVII, in f.

ARTICULUS III.

Judicia de Sexti Rufi libello deſcriptionem Urbis continente.

I. Onuphrius Panvinius præfatione in Rufi deſcriptionem Urbis: *Scripſit & aliud opuſculum de regionibus Urbis Romæ, eadem propemodum ratione, qvâ P. Victor. In qvô, cum ſingulas Urbis regiones enumeraſſet, omnia, qvæ in ſingulis erant memoratu digna, tam publica, qvam privata ædificia breviſſimè & accuratiſſimè digeſſit.*

II. Gerardus Joannes Voſſius lib. II, de Hiſtoricis Latinis cap. VIII: *Utriusq;* (libello) *& Rufi & Victoris, ob inſignem in deſcribenda Urbe diligentiam, non parum eſt gratiæ habendum.*

CAPUT XXXIII.

DECIUS MAGNUS AUSONIUS.

ARTICULUS I.

Decii Magni Auſonii Vita.

I. Decius

I.

DEcius Magnus Auſonius in Aqvitania, Galliæ provincia, Burdigalam urbem, patriam nactus eſt. De claris urbibus carmine XIII, v. 6, & ſeq:

- - Nec enim mihi barbara Rheni
Ora, nec Arctoo domus eſt glacialis in Hæmo:
Burdigala eſt natale ſolum: clementia cæli
Mitis: ubi & rigua larga indulgentia terræ.

Pater ei fuit Julius Auſonius, Medicus & Illyrici Præfectus. Qvi Idyllio II. v. 1, & 2, de ſeipſo:

Nomine ego Auſonius, non ultimus arte medendi,
Et mea ſi noſſes tempora, primus eram.

Ibidem v. 51, & 52:

Ipſe nec affectans, nec detrectator honorum,
Præfectus magni nuncuper Illyrici.

Ibidem v. 61, & 62:

Nonaginta annos baculo ſine, corpore toto
Exegi, cunctis integer officiis.

Laudes ejus raras, Parentalium carmine II, filius expoſuit. Matrem habuit Æmiliam Æoniam, Cæcilii Argicii Arborii, Ædui, filiam. Ad illam tertium, ad hunc qvartum Parentalium carmen ſcripſit.

II. In addiſcendis ingenuis artibus Æmilio Magno Arborio, avunculo ſuo, Rhetore, nec non cauſarum Patrono, præceptore gaviſus eſt. Ad eum, Parentalium carmine IV, inter alia:

Tu frater genetricis, & unanimis genitoris:
Et mihi qvi fueris, qvod pater & genitrix.
Qvi me lactentem puerum, juvenemq́; virumq́;,
Artibus ornaſti, qvas didiciſſe juvat.

Ad Syagrium elegiâ v. 15, & 16:

Nos ad Grammaticen ſtudium convertimus: & mox
Rhetorices etiam, qvod ſatis, attigimus.

III. Uxorem Sabinam, Attuſii Lucani Taliſii, Civis Burdigalenſis filiam, in matrimonium accepit: ex qvâ filium filiamq́; ſuſcepit. Videantur Parentalium carmen IX, & X: qvorum hoc ad Uxorem, illud ad Socerum ſcripſit, qvod his claudit verſibus:

Et

Et nunc perpetui ſentis ſub honore ſepulcri,
Qvam reverens natæ, qvamq; tui maneam.
Cælebs namq; gener nunc hæc pia munera ſolvo:
Nam & cælebs nunqvam deſinet eſſe gener.

IV. Annos xxx egreſſus, inter Burdigalenſes ProfeſſoresGrammaticæ, poſtea Rhetoricæ tradendæ provinciam ſuſcepit. Ad Syagrium elegia v.17, & ſeq:

Nec fora non celebrata mihi, ſed cura docendi
Cultior: & nomen Grammatici merui,
Non tam grande qvidem, qvo gloria noſtra ſubiret
Æmilium, aut Scaurum, Berytiumq; Probum:
Sed qvo noſtrates, Aqvitanaq; nomina, multos
Collatus, non & ſubditus, aſpicerem,
Exactisq; dehinc per trina decennia faſtis
Aſſerui doctor municipalem operam.

De Profeſſoribus Burdigalenſibus carmine XXV, ad Atilium Glabrionem Grammaticum:

Tu qvondam puero compar mihi diſcipulo: mox
Me dehinc facto Rhetore Grammaticus.

Idyllio V, v. 70, & ſeq:

Mox pueros molli monitu & formidine leni
Pellexi, ut mites peterent per acerba profectus,
Capturi dulcem fructum radicis amaræ.
Idem veſticipes motu jam puberis ævi,
Ad mores artesq; bonas, fandiq; vigorem
Produxi.

V. Ex ſchola in palatium Cæſareum, à Valentiniano imperatore (qvi anno Urbis 1116, Chriſti 364 imperium ſuſcepit) ad docendos filios Gratianum & Valentinianũ, vocatus tranſiit. Idyllio V, v.78, & ſeq:

Ardua temperies, dura experientia, rarus
Eventus longo rerum ſpectatus ab uſu,
Ut regat indocilem mitis cenſura juventam.
Qvæ tolerata mihi, donec jam ærumna juvaret,
Leniretq; uſum bona conſvetudo laborum:
Donec ad Auguſtæ pia munera diſciplinæ

Accirer, varioq; accingerer auctus honore,
Aurea cum parere mihi palatia juſſum.

Ad Svagrium elegia, v. 25, & ſeq:

Aurea & Auguſti palatia juſſus adire,
Auguſtam ſobolem Grammaticus docui:
Mox etiam Rhetor. - -

VI. Honores varios, Qvæſturam, qvam à ſeniore Valentiniano, ejusq; filio Gratiano accepit, Galliarum, Italiæq; (Latii, Libyæq;) Præfecturam, Conſulatum, & hunc qvidem cum Q. Olybrio, anno Urbis 1131, Chriſti 379, geſſit. Idyllio V, v. 89, & ſeq:

Majoresq; putat noſtros Auguſtus honores,
Qvos mox ſublimi maturus protulit auctu:
Qvæſtor ut Auguſtis patri natoq; crearer:
Ut præfecturam duplicem, ſellamq; curulem,
Ut trabeam, pictamq; togam, mea præmia, Conſul
Induerer, faſtisq; meis prælatus haberer.

Ad Syagrium elegia, v. 35, & ſeq: de Gratiano locutus:

Cujus ego comes & Qvæſtor, & culmen honorum,
Præfectus Gallis, & Libyæ, & Latio:
Et prior indeptus faſces, Latiamq; curulem
Conſul, collega poſteriore, fui.

Videantur, Idyllium VIII, & pro conſulatu Gratiarum actio, qvam ad Gratianum Imperatorem diſcipulum ſcripſit.

VII. Maximo tyranno, qvi anno Urbis 1135, Chriſti 383, ab exercitu imperator in Britannia creatus, imperatorem Gratianum in Galliis, eodem anno trucidaverat ipſe autem, poſt qvinqvennium, à Theodoſio imperatore victus, cum ſe Aqvilejam recepiſſet, à militibus ſuis deſertus, & Theodoſio traditus, ibidem, anno Urbis 1140, Chriſti 388, pœnam capitis ſubiit, ſuperſtes fuit. Nam de claris urbibus carmine VI, qvod eſt de Aqvileja:

- - - ſed magis illud
Eminet, extremo qvod te ſub tempore legit,
Solveret exacto cui juſta piacula luſtro,
Maximus, armigeri qvondam ſub nomine lixæ.
Felix, qvæ tanti ſpectatrix læta triumphi,
Puniſti Auſonio Rutupinum marte latronem.

ARTI-

ARTICULUS II.
Decii Magni Auſonii Scripta.

I. Decius Magnus Auſonius de duodecim Cæſaribus, qvorum vitas Svetonius Tranqvillus deſcripſit, Monoſticha, eaq; triplicia compoſuit; qvibus eorundem Cæſarum, cum ordinem, tum imperii tempus, tum mortem commemorat. Primus eorum Julius eſt, qvi anno Urbis 705, Mundi 3902, ante C. N. 46, imperium ſuſcepit: Ultimus autem Domitianus, qvi anno Urbis 847, Chriſti 95, trucidatus eſt.

II. De iisdem aliisq; Cæſaribus tetraſticha conſignavit, qvorum ultima deſiderantur. Primus horum Cæſarum, idem Julius: poſtremus autem Antonius Heliogabalus, qvi anno Urbis 974, Chriſti 222, ſupremum obiit fatum.

III. Prodierunt, inter Auſonii opera, cum Joſephi Scaligeri lectionibus Auſonianis, Eliæ Vineti & aliorum excerptis notis Lugduni M. D. LXXXVIII, in 16.

ARTICULUS III.
Judicia de Decio Magno Auſonio.

I. Joannes Ludovicus Vives de tradendis diſciplinis libro III: *Longè eſt his* (Horatio, Ovidio, Catullo, Tibullo, Propertio, Manilio, Silio Italico, Valerio Flacco, Statio, Martiali) *poſterior Auſonius Gallus, ubiq; argutus & excitans, nec lectorem ſinit dormitare.*

II. Julius Cæſar Scaliger de re Poëtica lib. VI, cap. V: *Auſonii ingenium magnum, acutum: ſtylus duriuſculus.*

III. Joannes Brodæus lib. I, miſcellaneorum, cap. VI: *Auſonius non tam inelegans, meo judicio, Poëta, qvam volunt hi, qvi eum ferreum contumelioſè nominant.*

IV. Caſpar Barthius lib. III, Adverſariorum, cap. VII, de Auſonio locutus: *Cui Poëtæ infra hoc teſtimonium dabo, qvicqvid apud eum legitur, pro verè Latino habendum eſſe. Nihil enim qvicqvam ſine antiqvitatis exemplo poſuit, ut fuit eruditior, qvam pro eo ævo, & ſcriptorum eorum amator, qvi nobis ademti ſunt, nec ſperantur unqvam è tenebris*

 emer-

emerſuri oblivionis. Et cap. XVIII: *Illud carmen divinum Poëta ingenium indicat vel ſolum, eâ ætate tam ſvaviter, tam piè, tam ex re ipsâ, tam deniq; doctè ſcriptum, ut longè abesſe omnes illius ævi vates à tam abſoluta divinitatis numeris exiſtimem, ſint licet & illi, qvæ temporis nævos redoleant, qvos ſanè nemo per omnia evaſit.*

CAPUT XXXIV.

AMMIANUS MARCELLINUS.

ARTICULUS I.

Ammiani Marcellini Vita.

I.

AMmianus Marcellinus ingenuum ſe natum, lib. XIX, cap. XVII, indicat: *In qvâ ſtatione lenius recreati, cum ire protinus pergeremus, & incedendi nimietate jam ſuperarer, ut inſvetus ingenuus, offendi dirum aſpectũ, ſed fatigato mihi lasſitudine gravi levamen impendio tempeſtivũ.*

II. Græcus natione fuit. Nam lib. XXII, cap. XVII: *Napæi*, inqvit, *indidere mari nomen inhoſpitali: & à contrario per cavillationem Pontus Euxinus appellatur, ut εὐήθην Græci dicimus ſtultum; & noctem εὐφρόνην: & furias Eumenidas.* Et lib. XXIII, cap. XX: *Juxta hunc circuitum Adiabena eſt, Asſyria priſcis temporibus vocitata, longaq; asſvetudine ad hoc translata vocabulum, eâ re, qvod inter Oenam & Tigridem ſita, navigeros fluvios, adire vado nunqvam potuit: tranſire enim διαβαίνειν dicimus Græci.* Qvin ſemet Græcum apertè fatetur, cum hiſtoriarum ſuarum fini ſubjicit; *Hæc ut miles qvondam & Græcus.*

III. Patriâ fuit Antiochenus. Libanius Antiochenus ad ipſum epiſtolâ, Henrico Valeſio interprete: *Et hæc qvidem non ſolum hiſtoriæ ſcriptorem, ſed nos etiam, à qvibus profectus eſt, ornant. Perge igitur talia componere, ac deinde in Corona recitare, & admirationem ac plauſum referre. Nec deſine laudes tuas ac ſimul noſtris amplificare. Ejusmodi enim civis gloria, patriæ qvoq; ornamento eſt.*

IV. Conſtantio imperatore, Conſtantini Magni filio, ſeptimum, & Conſtantio Gallo tertium conſulatum gerentibus, anno Urbis 1106, Chriſti

Chriſti 354, Marcellinus Urſicino, Imperatoris Conſtantii eqvitum magiſtro (ſub qvo diu militavit) lites Orientis cognoſcenti adfuit. Ipſe lib. XIV, cap. XXVII: *Inter has ruinarum varietates Urſicinus à Niſibi, qvam tuebatur, accitus, cui nos obſecuturos junxerat imperiale præceptum, diſpicere litis exitialis ſemina cogebatur.* Ibidem paulo poſt: *Die funeſtis interrogationibus præſtituto, imaginarius judex eqvitum reſedit magiſter, adhibitis aliis, jam qvæ eſſent agenda, prædoctis: & adſiſtebant hinc inde notarii, qvid qvæſitum eſſet, qvidve reſponſum, curſim ad Cæſarem perferentes.*

V. Proximo anno, cum eodem Urſicino, ad Sylvanum, qvi per Galliam ſe imperatorem geſſerat, trucidandum miſſus eſt. Lib. xv, cap. XII: *Habita deliberatione multiplici potiſſimum tractabatur, qvo commento Sylvanus geſta etiam tum imperatorem ignorare exiſtimaret. Et probabili argumento ad firmandam fidem reperto, monetur honorificis ſcriptis, ut accepto Urſicino ſucceſſore, cum poteſtate rediret intacta. Poſt hæc ita digeſta, protinus jubetur exire, tribunis & protectoribus domeſticis decem, ut poſtularat, ad juvandas neceſſitates publicas ei conjunctis. Inter qvos ego qvoq; eram cum Veriniano collega, reſidui omnes propinqvi & familiares.*

VI. Anno Urbis IIII, Chriſti 359, qvo inter Conſtantium imperatorem, & Saporem Perſarum regem, bellum eſt ortum, Marcellinus ad Jovinianum, Gorduenæ Satrapam, clam cum Romanis ſentientē, ad explorandas Perſarum res, cum centurione miſſus eſt. Lib. XVIII, cap. XV: *Erat eo tempore ſatrapa Gorduenæ, qvæ obtemperabat poteſtati Perſarum, Jovinianus nomine appellatus, in ſolo Romano adoleſcens, nobiscum occultè ſentiens: ea gratia, qvod obſidatus ſorte in Syriis detentus, & dulcedine liberalium ſtudiorum illectus, remeare ad noſtra ardenti deſiderio geſtiebat. Ad hunc miſſus ego cum centurione qvodam fidiſſimo, exploratius noſcendi gratia, qvæ gerebantur, per avios montes anguſtiasq; præcipites veni: viſusq; & agnitus, comiterq; ſuſceptus, cauſam præſentiæ meæ uni illi confeſſus, adjuncto taciturno aliqvo locorum perito, mittor ad præcelſas rupes exinde longe diſtantes: unde, niſi oculorum deficeret acies, ad qvinqvageſimum usq; lapidem, qvodvis etiam minutiſſimum apparebat.*

VII. In eodem inter Romanos & Perſas bello, ſub Urſicino mi-

les, qvemadmodum in prœlio ad Amidam Meſopotamiæ urbem, vim hoſtium effugerit, lib. XVIII, cap. XX, & XXI, narrat: *Mihi, dum avius ab itinere comitum, qvid agerem, circumſpicio, Verennianus, domeſticus protector, occurrit, femur ſagitta confixus: qvam dum avellere obteſtante collega conarer, cinctus undiq; antecedentibus Perſis, civitatem petebam, anhelo curſu rependo, ex eo latere, qvô inceſſebamur, in arduo ſitam, unoq; aſcenſu perangusto meabilem, qvem ſciſis callibus molinæ ad calles arctandas ædificatæ, denſius conſtringebant. Hic mixti cum Perſis, eodem ictu procurrentibus ad ſuperiora nobiscum, ad usq; ortum alterius ſolis immobiles ſtetimus, ita conferti, ut cæſorum cadavera multitudine fulta reperire ruendi ſpatium nusqvam poſſent: Utq; miles ante me qvidam diſcriminato capite, qvod in æqvas partes ictus gladii ſiderat validisſimus, in ſtipitis modum undiq; coarctatus hæreret. Et licet multiplicia tela, per tormentorum omnia genera volarent è propugnaculis, hoc tamen periculo murorum nos propinqvitas eximebat: tandemq; per poſticam ingreſſus, refertam inveni, confluente ex finitimis virili & muliebri ſexu.* Qvo tandem modo ex eadem urbe, cum à Perſis expugnaretur, evaſerit, lib. XIX, cap. XVII, exponit: *Actis igitur regis imperio prædatoribus univerſis, ſtrictoq; cominus ferro, cum ſangvis utrobiq; immenſis cædibus funderetur, oppletæ ſunt corporibus foſſæ, latiorq; via ideo pandebatur: & concurſu copiarum ardenti jam civitate oppleta, cum omnis defendendi vel fugiendi ſpes eſſet abſciſſa, pecorum ritu, armati & imbelles, ſine ſexus diſcrimine, truncabantur. Itaq; veſpera tenebrante, cum adhuc, licet iniqvâ reluctante fortuna, multitudo noſtrorum manu conſerta diſtringeretur, in abſtruſa qvadam parte oppidi cum duobus aliis latens, obſcuræ noctis præſidio, poſtica, per qvam nihil ſervabatur, evado: & ſqvalentum peritia locorum, comitumq; adjutus celeritate, ad decimum lapidem tandem perveni.*

VIII. Imperatoris Theodoſii primi, qvi Auſonio & Olybrio Coſs. anno Urbis 1131, Chriſti 379, principatum accepit, lib. XXIX, cap. XXXVIII, his meminit verbis: *Inter hæc fortunæ diſpendia triſtioris, dux Mœſiæ Theodoſius junior, prima tum etiam lanugine juvenis, Princeps poſtea perſpectisſimus, Sarmatas liberos aliqvoties expulit & afflixit.*

IX. Poſt Gratiani mortem, qvæ in annum Urbis 1135, Chriſti 383, incidit, à ſe ſcriptum eſſe librum XXVII, capite XIV indicat. Nam ibi,

ibi, cum retuliſſet, qvemadmodum Valentinianus imperator filium Gratianũ imperii conſortem, declaraviſſet ſubjungit: *Conſurrectum eſt poſt hæc in laudes majoris Principis & novelli: maximeq; pueri, qvem oculorũ flagrantior lux commendabat, vultusq; & reliqvi corporis jucundisſimus nitor, & egregia pectoris indoles: qva imperatorem impleſſet, cum veterum lectisſimis comparandum, ſi per fata proximosq; licuisſet, qvi virtutem ejus etiam tum inſtabilem adnubilarunt actibus pravis.*

X. Et eſt, unde multò diutius Marcellinum ſuperſtitem fuiſſe colligas. Nam lib. xxvi, cap. xii, de Valentiniano I, Imperatore locutus, ait: *Et ad usq; Remos progreſſus, ſolicitusq; ſuper Africa, ne repente perrumperetur, Neotherium, poſtea Conſulem, tunc Notarium, ad eandem tuendam ire diſpoſuit.* Hic autem Neotherius, cum Valentinianus II, Imperator, qvartum gereret, conſulatum geſſit, anno Urbis 1142, Chriſti 390.

Articulus II.
Ammiani Marcellini Scripta.

I. Ammianus Marcellinus rerum à Romanis geſtarum libros xxxi: ſicut ex Libanii Antiocheni ad ipſum epiſtolâ conſtat, Romæ Compoſuit. Eos, qvemadmodũ ipſe tradit in fine Operis ſui, à Cæſaris Nervæ principatu, id eſt, ab anno Urbis 848, Chriſti 96, exorſus eſt.

II. Ex iis priores tredecim, injuriâ temporum, amiſimus. Ex reſiduis primus, ſeu xiv, incipit à rebus Galli (qvem, patruelem ſuum, Conſtantius Imperator, Conſtantini Magni filius, Cæſarem dixerat) poſt varias cædes, ex arrogantia principatum affectantis, anno Urbis 1105, Chriſti 353. Ultimus, qvi eſt xxxi, in Imperatoris Valentis exceſſu, rebusq; paulo poſt mortem geſtis, anno Urbis 1130, Chriſti 378, definit.

III. Hos Ammiani libros illuſtraverunt Fridericus LINDENBROGIUS, Janus GRUTERUS, Marcellus DONATUS, Henricus VALESIUS.

IV. Prodierunt, Auguſtæ Vindelicorum M. D. XXXIII, in f: Pariſiis M. D. XLIV, in 8: Lugduni M. D. XCI, in 8: tomo II, hiſtoriæ Romanæ

næ Scriptorum, qvos Fridericus Sylburgius edidit, Francofurti ad Mœnum, M. D. LXXXVIII, in f: cum *Lindenbrogii* obſervationibus, Hamburgi M. DC. IX, in 4: cum *Gruteri* notis, tomo II, hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum, Hanoviæ M. DC. X, in f: cum *Valeſii* annotationibus, Pariſiis M. DC. XXXVIII, in 4.

V. In eosdem libros, ſed non additos, prodierunt *Donati* dilucidationes, tomo VI, Theſauri critici, qvem J. Gruterus collegit, Francofurti ad Mœnum M. DC. XII, in 8.

Articulus III.
Judicia de Ammiano Marcellino.

I. Blondus Flavius Romæ triumphantis lib. VII: *Conſtantii Comitis & Conſtantini filii, ac Galerii & Conſtantis, & Conſtantii, Juliani ac Joviani geſta, Ammianus Marcellinus, ſcriptor egregius, XXXI libris eſt complexus.*

II. Jacobus Billius ſcholiis ad Gregorii Nazianzeni orationem II, in Julianum, num. XXXIX: *Hinc perſpicuum eſt, Marcellinum Græcæ ſuperſtitionis cultorem plus gratiæ, qvam veritati tribuiſſe, cum ſcribit: Nulla Juliani definitio litis à vero diſſonans reperitur.*

III. Joannes Bodinus Methodo hiſtoriarum cap. IV: *Ammiani Marcellini candorem ac ſtudium inqvirendæ veritatis imitari debuiſſent. Is enim principum virtutes ac vitia, ut optimus qvisq; ſcriptor, ſumma fide notavit.* Ibidem poſt qvædam: *Unum* (Tacitum) *ex omnibus ad intuendum & ad imitandum ſibi propoſuiſſe videtur. Hoc tamen ab eo differt, qvod Tacitus Romani ſermonis dignitatem, ut tempora ferebant, aſſecutus eſt; Ammianus verò Latinis verbis, ac ſæpius ne Latinis qvidem, Græcè ſcripſit; & à re propoſita longius ac ſæpius digreditur.*

IV. Antonius Posſevinus in Apparatu ad omnium gentium hiſtoriam, ſect. III, cap. XV: *Ubi ad temporum ſuorum hiſtoriam, qvæ libris, qvi exſtant, continentur, devenit, diligenter ſcripſit; ſed ea, qvæ pertinent ad Chriſtianos, traducens ac detorqvens: adeò autem duro ac aſpero, inepto & planè turbato ſermone, ut vix, qvod dicat, conſeqvi alioqvin posſis; librariorum qvoq; errore mutilus eſt & depravatus; utilis tamen eſt, ubi intellexeris. Nam ea ſcribit, qvæ meliores autores non habent.*

V. Gode-

V. Godeſchalcus Stevvechius commentario ad Vegetii lib. III, cap. VI: *Pari forma Cornelius Tacitus, qvin & Ammianus Marcellinus, etſi in puritate Latini ſermonis alias ferè inferior.*

VI. Juſtus Lipſius in notis ad politicorum lib. I, cap. IX: *Ammianus Marcellinus fidei & judicii ſatis clarus eſt, modò ſtyli.*

VII. Caſpar Barthius lib. XLV, Adverſariorum, cap. II: *Homo militaris, litteris imbutus, non aliter, qvam ut eis contemtis pro mercenario caſtra ſeqvi poſſet, tanta prudentia, tanta ſinceritate judicii, & notatione tam perſpicaci eventuum, res geſtas impeditisſimorum temporũ mandare chartis potuit, ut vix ullus ſapientiæ myſta illi in hoc genere par eſſe potuerit.* Ibidem poſt qvædam: *Solertisſimum meritò hunc Marcellinum dixi; vix enim credibile eſt, qvàm cogitatè ſcribat, ut nec phraſin ullam ex minus vulgatis putem poſuiſſe, qvin alio loco dedita opera illam repetendo confirmarit.* Eodem capite extremo: *De hoc ſcriptore hoc dicam; nullum neq; apud Latinos, neq; apud Græcos hiſtoricum exſtare, qvi paucis plura dicat, ubi res publicas & vitæ munia tangit, nec ullum me unqvam prudentiorem legisſe. Ut ſatis arbitrer, per totam vitam ſuam etiam longævum qvempiam hominem habiturum, qvod agat, qvi politica tantum hujus autoris enarrare, ut ita intelligatur, qvomodo ab illo mente concepta ſunt, velit. Adeoq; cum cogito, qvem ſe faciat, non militem, ſed ſummorum magiſtratuum capacem, & fortasſe etiam potitum; hominem legere ſcribentem mihi videor.* Idem lib. XLVII, cap. I: *Utilitate monitorum & veritate hiſtoricâ neſcio an qvisqvam autor ullibi ſit ſupra Ammianum Marcellinum. Veritas qvidem tanti ſcriptoris omnibus teſtata eſt. At monitorum pleraq; altius ſunt indaganda, cum indicet pleraq; potius, qvam demonſtret. Itaq; ad eum capiendum & exponendum eruditione ſimul & prudentia non mediocri opus, dudum ſciverunt homines cordati ſagacesq;.* Et cap. VIII: *Ambigui ſenſus eſt, optare, verbum; qvod votum alioqvin in ſe continere ſolet apud Ammianum Marcellinum, ſcriptorem prudentisſimum, & rei ipſius traditorem, non fuco, non fallaciis, more verè Romano & ingenuo, qvalem ſe natum fatetur ipſemet, & confitetur cura rerum egregiè tradendarum; qvi niſi nimium interdum philoſopharetur in doctrinam philologicam etiam, qvippe in milite raram, disſimulare etiam minus poſſet, aſperitatem ſtyli facile etiam deſcriptionibus redimeret.*

 VIII. Hen-

VIII. Henricus Valeſius ad Lectorem epiſtola, qvam Marcellino præmiſit: *Mihi qvidem Marcellinus ſummis qvibusq; hiſtoriæ ſcriptoribus comparandus videtur. Nam cum duo maximè in Hiſtorico ſpectanda ſint, res & verba; elocutio qvidem haudqvaqvam rerum geſtarum ſcriptori negligenda eſt, rerum tamen prima ac potiſſima cura eſſe debet. Et Marcellinus qvidem tum argumento operis, tum delectu ac diſpoſitione, tùm judicio ac fide nemini cedit: in præliorum verò obſidionumq; narrationibus multos longo intervallo ſuperat. Verba autem ipſa ſunt ea qvidem Latina ferè omnia: ſed conſtructio & collocatio verborum eſt, ut ita dicam, ferè militaris. Nolim tamen omninò negare, in hiſtoriis Marcellini qvædã occurrere reprehendenda. Nam & interdum verboſior eſt, qvam ut par ſit, & doctrinæ famam nimis affectat: qvod vitium eſt plerumq; eorum, qvi provecta jam ætate ad ſtudia ſe contulerunt. Hinc exceſſus illi intempeſtivi atq; pueriles de terræ motuum cauſis, de cometis, de iride. Præterea numerum & tonum hiſtoricum raro ſervat: ſed ferè cothurnatus incedit, cum hiſtorico conveniat tracta & leniter fluens oratio, qvã* εἰρομένην λέξιν *Ariſtoteles appellat. Sed hæc fortaſſe excuſari poterunt, ſi meminerimus, qvod teſtatur Libanius, hiſtorias à Marcellino noſtro* πρὸς ἐπίδειξιν, *id eſt, ad oſtentationem eſſe compoſitas. Proinde mirum videri non debet, ſcenæ aliqvid ac plauſui ab eo datum fuiſſe. Adde, qvod hæc vitia reliqvis operis virtutibus ac dotibus facile obſcurantur. Deniq; ut paucis abſolvam; cum ad rerum civilium, tum ad eccleſiaſticæ hiſtoriæ cognitionem hic ſcriptor non modò utilis eſt, ſed etiam neceſſarius. Etſi enim deorum cultui mancipatus fuit, qvod certè negari non poteſt, eâ tamen fide, ſinceritate, modeſtia de Chriſtianorum rebus loqvitur, ut, niſi ex plurimis locis toto opere ſparſis conſtaret, eum cultorem numinum fuiſſe, Chriſtianus non immeritò poſſet videri. Mitto, qvod antiqvitates & origines tum majorum noſtrorum, putà Francorum, tum Alamannorum & Burgundiorum aliarumq; gentium, non aliunde, qvam ex Marcellini hiſtoriis peti poſſunt.*

IX. Gerardus Joannes Voſſius lib. III, de Hiſtoricis Latinis, cap. IX: *Eſt hic ſcriptor veritatis ſtudioſiſſimus, & prudens, gravis plane ac ſerius, & dignus, qvi ab omnibus, ac Germanis præcipuè ametur. Mirificè enim illuſtrat veteris Germaniæ ſitum. Eoq; majorem hac in parte fidem meretur, qvia in hac ſtipendia ipſe meruerit adverſus Germanos. Dictio*

horridior eſt. Sed virtutes hujus ſcriptoris ſunt tantæ, ut hoc in rationem venire non debeat. Et qvid mirum, ſi duri militis phraſis qvoq; durinſcula ſit, homoq; Græcus Græcanicas ſapiat loqvendi formas?

CAPUT XXXV.
CLAUDIUS CLAUDIANUS.
ARTICULUS I.
Claudii Claudiani Vita.

I.

Claudius Claudianus cui genti ortum ſuum debuerit, non inter omnes eruditos convenit. Hiſpanus Blondo Flavio creditur, qvi Romæ triumphantis lib. VII, cum de imperatore Theodoſio qvædam commemoraviſſet, addit: *Qvod ejus hiſtoriæ celebrator Claudianus poëta, & ipſe Hiſpanus genere, apud Florentiam Italiæ habitator, his verſibus indicat.* Aliis Florentinus Italus habetur. Idem Blondus in Italia illuſtrata, regione II: *Fama eſt, nullo nobis confirmata autore, Claudianum poëtam fuiſſe Florentia oriundum.* Raphael Volaterranus commentariorum urbanorum lib. XIV: *Claudianum Poëtam Petrarcha dicit fuiſſe Florentinum.*

II. Errant, cum Hiſpanum, tum Italum ſtatuentes, qvi Ægyptius fuit. Sidonius Apollinaris carmine ad Magnum Felicem conſulem v. 260, & ſeq:

Non Lucilius hic Lucretiusq; eſt:
Non Peluſiaco ſatus Canopo,
Qvi ferruginei toros Mariti,
Et Muſâ canit inferos ſupernâ.

Qvibus ultimis tribus verſibus, ne dubites, Claudianum intelligi, qvi Plutoni, cujus nuptias, in libris de Proſerpinæ raptu, deſcribit, ferrugineum amictum lib. II, v. 285, tribuit. Qvid Canopus ſit, Pomponius Mela explicat lib. II, cap. VII: *Parva & Canopos* (inſula) *Nili oſtio, qvod Canopicum vocant, obvia eſt. Menelai gubernator Canopus ibi forte mo-*

te moriens, nomen Inſulæ, illa oſtio dedit. Ipſe Claudianus epiſtola VI, ad GennadiumProconſulem:

Italiæ commune decus, Rubiconis amœni
Incola, Romani fama ſecunda fori;
Grajorum populis & noſtro cognite Nilo.
Utraq; gens faſces horret amatq; tuos.

Item epigrammate X, qvod eſt de Nilo, v. VIII, & ſeq:

Qvi rapido tractu mediis elapſus ab Auſtris
Flammiferæ patiens Zonæ, Cancriq; calentis
Fluxibus ignotis noſtrum procurrit in orbem:

III. Chriſtianus an paganus fuerit, dubitatur. Chriſtianum ſtatuentes, habent, qvô ſententiam ſuam tueantur. Nam in qvibusdam carminibus ea de Chriſto affert, qvæ non vulgarem religionis Chriſtianæ cognitionem præ ſe ferant: epigrammate XLV, qvod incipit:

Chriſte potens rerum, redeuntis conditor ævi,
Vox ſummi ſenſusq; Dei: qvem fudit ab altâ,
Mente Pater, tantiq; dedit conſortia regni,
Impia tu noſtræ domuiſti crimina vitæ.

Epigrammate XLVI, cujus initium:

Proles vera Dei, cunctis antiqvior annis,
Nunc genitus, qvi ſemper eras. - - -

Epigrammate XLVII, qvod his orditur verſibus:

Angelus alloqvitur Mariam, qvô præſcia verbo
Concipiat, ſalvâ Virginitate, Deum.
Dant tibi Chaldæi prænuntia munera Reges;
Myrrham homo, Rex aurum, ſuſcipe tura Deus.

IV. Contra verò, paganum fuiſſe docent Auguſtinus lib. V, de Civitate Dei, cap. XXVI: Paulus Oroſius lib. VII, hiſtoriarum cap XXXV: Paulus Diaconus lib. XIII, hiſtoriæ miſcellæ, cap. XV: Sigebertus Gemblacenſis in Chronico ad annumChriſti CCCXCI: Otto Friſingenſis lib. IV, hiſtoriarum, cap. XVIII: Marinus Sanutus lib. III, Secretorum fidelium crucis, cap. XX: ut alios, his recentiores autores, ſilentio transmittam. In his cum priorum duorum Claudiano æqvalium Scriptorum teſtimonia non temerè in dubium vocari debeant; aut illa non noſtri, ſed alterius Claudiani, carmina ſunt: aut fortè, primum paganus, poſtea

ea Chriſtianus factus eſt: aut, qvamvis paganus, tamen de Chriſto veriſſima, in Chriſtianorum Imperatorum gratiam, ſcripſit.

V. Theodoſii Magni temporibus, qvi anno Urbis 1131, Chriſti 369, imperium ſuſcepit, jam clarus fuit Claudianus: ut Evagrius lib. I, cap. XIX, & Nicephorus Calliſti lib. XIV, cap. LVII, referunt.

VI. Majoris tamen exiſtimationis ſub Imperatoribus Arcadio & Honorio, Fratribus, erat; qvorum ille qvidem in Oriente, hic in Occidente imperium, ab obitu Patris Theodoſii Magni, ſuſceperunt, anno Urbis 1147, Chriſti 395. Nam ab his eidem Statua poſita eſt, cujus inſcriptionem Raphael Volaterranus commentariorum lib. XIV: Joannes Bartholomæus Marlianus lib. V, Topographiæ Urbis Romæ, cap. I: Lilius Gregorius Gyraldus de antiqvis Poëtis dialogo IV: Tobias Fendtius in monumentis ſepulcralibus num. IX, repræſentant:

CL. CLAUDIANI. V. C.

CL. CLAUDIANO. V. C. TRIBUNO. ET. NOTARIO. INTER. CÆTERAS. INGENTES. ARTES. PRÆGLORIOSISSIMO. POETARUM. LICET. AD. MEMORIAM. SEMPITERNAM. CARMINA. AB. EODEM. SCRIPTA. SUFFICIANT. ADTAMEN. TESTIMONII. SUI. GRATIA. ET. OB. JUDICII. SUI. FIDEM. DD. NN. ARCADIUS. ET. HONORIUS. FELICISSIMI. ET. DOCTISSIMI. IMPERATORES. SENATU. PETENTE. STATUAM. IN. FORO. DIVI. TRAJANI. ERIGI. COLLOCARIQVE. JUSSERUNT.

VII. Hæc, non mortuo, ſicut Volaterranus tradit, ſed viventi erecta eſt Statua, cujus ipſe qvidem meminit in præfatione, qvam bello Getico præmiſit, his verbis:

Conſulis hic faſces cecini, Libyamq; receptam,
Hic mihi proſtratis bella canenda Getis.
Sed prior effigiem tribuit ſucceſſus ahenam,
Oraq; patricius noſtra dicavit honos.
Annuit hic Princeps, titulum poſcente Senatu.
Perſpice, judicium qvam grave, Muſa, ſubis.
Ingenio minuit merces properata favorem,
Carminibus veniam præmia tanta negant:
Et magis intento ſtudium cenſore laborat,
Qvod legimur medio conſpicimurq; foro.

Carmen ipſum, qvod de bello Getico ſcripſit, agit de Victoria, qvam Stilico Dux, ſuperato Gothorum Rege Alarico, reportavit, anno Urbis 1154, Chriſti 402, Arcadii qvinto, & Honorii qvinto conſulatu. Qvin & Claudiani, de ſexto conſulatu, qvem idem Honorius Imperator, anno Urbis 1156, Chriſti 404, geſſit, Panegyricum habemus.

VIII. Stiliconis ſecundo conſulatu, qvin Claudianus adhuc ſuperſtes fuerit, non eſt dubitandum. Tertium enim, qvem de laudibus Stiliconis compoſuit, librum, de Stilicone conſule ſcripſit: qvemadmodum paſſim occurrit, unde colligas, & verſus XXVI. indicat:

Sed non immodicus proprii jactator honoris,
Conſul, Roma, tuus. - -

Tum verò Stiliconem, non primo conſulatui, qvem anno Urbis 1152, Chriſti 400, cum Aureliano geſſit, cujus lib. I, de laudibus Stiliconis, v. IX, fit mentio:

- - *rurſusq; Oriente ſubacto,*
Conſule defenſæ ſurgunt Stilicone ſecures:

ſed alteri, qvem poſt qvinqvennium, anno Urbis 1157, Chriſti 405, cum Anthemio geſſit, præfuiſſe, oſtendit præfatio libro tertio præmiſſa, qvæ his verbis clauditur:

Noſter Scipiades Stilico, qvô concidit alter
Hannibal, antiqvo ſævior Hannibale.
Te mihi poſt qvinos annorum Roma recurſus
Reddidit, & votis juſſit adeſſe ſuis.

ARTICULUS II.
Claudii Claudiani Scripta.

I. Claudius Claudianus, epico genere carminis, ſcripſit qvinq; Panegyricos: primum, de Olybrii & Probini fratrum conſulatu, qvem anno Urbis 1147, Chriſti 395, geſſerunt: alterum, de tertio Imperatoris Honorii conſulatu, qvem cum Arcadio geſſit, anno Urbis 1148, Chriſti 396: tertium, de qvarto ejusdem Honorii conſulatu, qvem cum Eutychiano geſſit, anno Urbis 1150, Chriſti 398: qvartũ, de Manlii Theodori conſulatu, qvem cum Eutropio geſſit, anno Urbis 1151, Chriſti 399: qvin-

tum, de ſexto Imperatoris Honorii conſulatu, qvem cum Ariſtoneto geſſit, anno Urbis 1156, Chriſti 404.

II. De bello Getico librum unum litteris conſignavit, qvem de laudibus Stiliconis qvartum nonnulli vocant. Agit in eodem de geſtis Stiliconis adverſus Alaricum Gothorum Regem, qvem victum redire in Illyricum coëgit anno Urbis 1154, Chriſti 402.

III. Præterea libros tres de laudibus Stiliconis compoſuit, qvem Honorius, Imperatoris Theodoſii primi frater, generum; & imperator Honorius, ejusdem Theodoſii filius, Arcadii frater, ſocerum habuit: idem Theodoſius filio ſuo Honorio, qvem Occidentis imperio præfecerat, tutorem addidit, anno Urbis 1146, Chriſti 393: exercitus verò, cùm in Oriente Imperatoris Arcadii relictum filium Theodoſium II, vita imperioq; paterno, ad qvod filium ſuum Eucherium promovere laborabat, privare moliretur, anno Urbis 1160, Chriſti 408, trucidavit. Incipit liber primus (v. 51.) à Legatione, qvam Stilico, Imperatoris Theodoſii primi nomine, ad Perſas de pace ſuſcepit, Clearcho & Richimere Coſs. anno Urbis 1136, Chriſti 384: tertius deſinit in Stiliconis conſulatu ſecundo, ſive anno Urbis 1157, Chriſti 405.

IV. Hæc Claudiani ſcripta explicata nobis dederunt Theodorus PULMANNUS, Martinus Antonius DELRIO, Caſpar BARTHIUS.

V. Prodierunt, inter cætera Claudiani opera, cum *Pulmanni* variis lectionibus, *Delrionis* notis, Antverpiæ M. D. LXXI, in 16: cum *Barthii* animadverſionibus, Hanoviæ M. DC. XII, in 8: cum *Barthii* commentario, Francofurti ad Mœnum M. DC. L, in 4.

ARTICULUS III.

Judicia de Claudio Claudiano.

I. Paulus Oroſius lib. VII, hiſtoriarum, cap. XXXV: *Unus ex ipſis Poëta qvidem eximius, ſed paganus pervicaciſſimus.*

II. Paulus Diaconus lib. XIII, hiſtoriæ miſcellæ, cap. XV: *Poëta qvidam, nomine Claudianus, eximius, ſed paganus.*

III. Marcus Antonius Sabellicus enneade VII, hiſtoriarum, lib. IX: *Claudianus Poëta Ægyptius genere, cujus hodiè poëmata exſtant, multa & varia, nitidus & ferox in ſententiis, majorq; inventione, qvam figurâ carminis; ſic qvoq; talis, ut ſi in recentiorum numero ponas, ſit haud dubiè primus, ut veterum ultimus.*

IV. Pe-

IV. Petrus Crinitus lib. V, de Poëtis Latinis, cap. LXXXV: *Ingenio excellenti fuit, maximeq́; apto ad carmen componendum. Nam & aſſurgit feliciter, variisq́; figuris ac ſententiis mirificè delectat, ut videatur à natura ipſa inſtructus ad poëticam facultatem.*

V. Joannes Ludovicus Vives commentario in Auguſtini lib. V, de Civitate Dei, cap. XXV: *Ad carmen natus fuit, qvod elegantiſſimè ſcripſit, poëtico vir ingenio, & ad ſuperſtitionē propenſior: tametſi de Chriſto exſtat carmen ejus nomine inſcriptum, qvod credo ab eo in Honorii gratiā compoſitum, ut fuit aſſentator maximus.* Idem de tradendis diſciplinis lib. III: *Auſonius Gallus ubiq́; argutus & excitans: nec lectorem ſinit dormire. Claudianus melior, & ingenii ac ſpiritus planè poëtici.*

VI. Julius Cæſar Scaliger de re Poëtica lib. VI, cap. V: *Maximus Poëta Claudianus, ſolo argumento ignobiliore oppreſſus, addidit de ingenio, qvantum deeſt materiæ. Felix in eo calor, cultus non inviſus, temperatum judicium, dictio candida, numeri non affectati, acutè dicta multa ſine ambitione.*

VII. Lilius Gregorius Gyraldus de Poëtis antiqvis dialogo IV: *Nec eqvidem puer ego unqvā Claudiani verſus contemſi: ſed, cum minimè numeros & lineamenta variet, idemq́; ſit ubiq́;, ab aliqvibus eo nomine in ordinem redigitur. At ſi cui forte illius numeri ſatis placent, placeant: ejus certè flacceſcit inventio. Nam cum primo animi impetu, ut videmus, pulcrè materiam apparet, & animoſius feratur, mox tanqvam ventus hominem deficit, nec principiis ſatis poſtrema reſpondent. Omnino tamen, ut Piſo dicebat, eſt Poëta canorus, volubilis & valdè dulcis: ſed certè parum idoneus dignusq́;, ut tantopere illum imitari ſtudeatis. Sunt qvidem in eo, ſi cum delectu decerpantur, flores, qvi mirum dictu eſt, qvam vobis prodeſſe poſſint.*

VIII. Georgius Buchananus dialogo de jure regni apud Scotos, adductis aliqvot Claudiani verſibus: *Noli exiſtimare, Poëtam ſummo ingenio & doctrina præditum fruſtra credere, tantam in hac re vim eſſe poſitam.*

IX. Martinus Antonius Delrio in præfatione, qvam ad Parentem ſuum, notis in Claudianum præmiſit: *Qvo me meaq́; omnia ſoles complecti, Poëtam graviſſimum cui nihil ad ſummam gloriam, præter materiā ipſam, defuit, qvæ ad utiliſſimā illam poſteriorum temporum & cadentis*

tis imperii hiſtoriam pertinet; & qvô nullus Poëtarum plura continet ad jus Romanum pertinentia, ſuſcipere digneris.

X. Hector Boëthius libro VII, hiſtoriæ Scotorum: *Fuere hoc tempore, aut certè non multum ab eo diverſo, viri ingenio clari: Claudianus Poëta, Ægyptius genere, multa ſcitu dignisſima, & inter ea nonnulla noſtræ gentis egregiè geſta, ſuis poëmatibus complexus.*

XI. Gaudentius Merula lib. I, de antiqvitatibus Gallorum Cisalpinorum, cap. IV: *Claudianus Poëta non incelebris à ſue lanata Mediolanum nomenclaturam his verſibus duxiſſe declarat.* Qvos cum protuliſſet, addit: *Facile autem qvisq; mediocriter eruditus perſvaſerit ſibi, tantum Poëtam, vel gravem aliqvem autorem ſecutum, aut famæ perſeverantis, qvæ plerumq; vim teſtimonii habet, opinionem.* Et lib. II, cap. XIII: *Qvanta ſit harum Alpium altitudo, mira ingenii ubertate Claudianus his verſibus expresſit.*

XII. Juſtus Lipſius lib. I, de admirandis, cap. II: *Pulcrè item & ubertim Claudianus.* Cujus aliqvot verſibus adductis ſubjungit: *Habes pleraq; verſibus iis ab alto & animoſo Poëta (talis fuit) inſerta.*

XIII. Joſephus Caſtalio variarum Lectionum cap. XL: *Claudianus merito Virgilii mentem habuiſſe dictus eſt, qvi Virgilianæ majeſtatis non ſententias ſolùm admiratus atq; imitatus eſt, ſed verba etiam, & dicendi genera eleganter reddidit.*

XIV. Janus Gebhardus Animadverſionibus ad Propertii lib. II, eleg. XXII, v. 42: *Intellexit hoc Claudianus, naturæ, legum, militiæ ſcientisſimus vates.*

XV. Vincentius Contarenus variarum Lectionum cap. XXX: *Claudianus Poëta ſanè bonus & grandis.*

De Panegyrico in Conſulatum Olybrii & Probini.

XVI. Joannes Cuſpinianus commentario in Casſiodori Coss. ad annum Urbis MCXLIX: *Hi ſunt illi germani fratres, Olybrius atq; Probinus Coss. filii Probi Cos. qvos pulcerrimo & elegantisſimo Panegyrico Claudianus Poëta celebrat.*

De Panegyrico in Conſulatum Honorii tertium.

XVII. Idem Cuſpinianus in eodem commentario, ad annum Ur-

 bis

bis MCL: *Celebravit hunc conſulatum Honorii Claudianus Poëta terſiſſimo carmine.*

XVIII. Joannes Langus in notis ad Nicephorum Calliſti, lib. XII, hiſtor. eccleſ. cap: XXXIX: *Hoc prælium Claudianus Poëta in Panegyrico ad Honorium recens Imperatorem renunciatum pulcerrimis carminibus eſt complexus.*

XIX. Leonardus Coqvæus commentario in Auguſtini de Civitate Dei lib. V, cap. XXVI: *Prælium Theodoſii contra Eugenium & inſignem victoriam de eo reportatam pulcerrimis verſibus ad Honorium recens imperatorem renunciatum complexus eſt.*

De Panegyrico in Conſulatum Honorii qvartum.

XX. J. Cuſpinianus laudato commentario, ad annum Urbis MCLII: *Elegantiſſimum Panegyricum Claudianus in hunc qvartum conſulatum Honorii ſcripſit. Qvem, ſtudioſe lector, accuratè legas, ut multas ejus temporis hiſtorias. Plenus enim eſt rerum & hiſtoriarum, & omnimodâ ſcatet eruditione.*

XXI. M. A. Delrio commentario ad Senecæ Herculem Oetæum, v. DLXXIV: *Claudianus in Panegyri de qvarto conſulatu Honorii elegantiſſimis verſibus humanam deſcribens animam, cupiditates omnes in jecore collocavit.*

De Panegyrico in Conſulatum Manlii Theodori.

XXII. J. Cuſpinianus dicto commentario, ad annum Urbis MCLIII: *Hic eſt ille Manlius Theodorus Conſul, cui elegantiſſimum Panegyricum ſcripſit Claudianus.*

XXIII. Caſperius Gevartius lib. II, Electorum, cap. VII: *Claudianus in elegantiſſimo illo ac eruditiſſimo de Fl. Manlii Theodori conſulatu Panegyrico.*

De Panegyrico in Conſulatum Honorii ſextum.

XXIV. J. Cuſpinianus dicto commentario, ad annum Urbis MCLVIII: *Hic eſt ille ſextus Honorii conſulatus, qvem Claudianus celebravit Panegyrico. Qvem, ſtudioſe lector, hoc loco diligenter perlegas, ut res geſtas ejus temporis teneas, qvæ de Alarico & Honorio Claudianus ſcribens, elegantiſſimè enarrat.*

XXV.

XXV. Joſephus Caſtalio variarum Lectionum cap. XXXVII: *Claudianus in ſexto Honorii conſulatu oſtendit, ſe non ingenii ſolùm viribus excitatum, ſed optimorum qvoq; Poëtarum lectione aſſidua, ad Poëticum decus & gloriam perveniſſe.*

De bello Getico.

XXVI. J. Cuſpinianus dicto commentario, ad annum Urbis MCLVI: *Claudianus Poëta victoriam Stiliconis contra Alaricum elegantisſimè celebravit.*

CAPUT XXXVI.
ZOSIMUS.
ARTICULUS I.
Zoſimi Vita.

I.

ZOſimus, Comes & Exadvocatus Fiſci fuit, paganorum religioni addictus: qvod ipſe pluribus in locis indicat: Evagrius lib. III, cap. XL: Photius in Bibliotheca, codice XCVIII: Nicephorus Calliſti lib. XVI, cap. XLI, teſtantur.

II. Qva tempeſtate vixerit, Evagrius lib. III, cap. XLI, his verbis oſtendit, interprete Joanne Chriſtophorſono: *Tu verò* (Zoſime) *ea, qvæ ne audiviſti qvidem, nedum, qvæ vera ſunt, ſcribis: qvi qvidem longo tempore poſt, Arcadio videlicet & Honorio regnantibus ſcripſiſti, vel poſt illorum ætatem.* Honorius, poſt patris Theodoſii I, exceſſum, cum Arcadio fratre imperium, anno Urbis 1147, Chriſti 395, ſuſceperunt. Obiit Arcadius qvidem, cui filius Theodoſius II, in Oriente ſucceſſit, anno Urbis 1160, Chriſti 405: Honorius autem anno Urbis 1175, Chriſti 423. Qvare Zoſimus, ſi non univerſam hiſtoriam, tamen ultimam ejus partem, poſt Arcadiū ſcripſerit, neceſſum eſt. Nam ſub finem de Roma per Alaricum Gothorum Regem expugnata, & rebus paulo poſt inſecutis, qvæ in annum Urbis 1162, Honorii 16, Theodoſii II. tertium, Chriſti 410, incidunt, agit.

ARTICULUS II.
Zoſimi Scripta.

I. Zoſimus Romanarum hiſtoriarum libros VI poſteritati reliqvit, In qvibus, ut lib. I, teſtatur, eum ſibi ſcopum præfixit, ut, qvemadmodum Polybius expoſuerit, qvô pacto intra breve tempus Romani ex parvo ampliſſimum fecerint imperium ſuum, ita oſtenderet contra, qvo pacto iidem, non adeo multis annis turpiter imminutum, tandem prorſus everterint.

II. Primo libro, qvem à Cæſare Auguſto, qvi Julii Cæſaris ſucceſſor, anno Urbis 709, Mundi 3906, ante C.N. 42, imperium ſuſcepit, incipit; Imperatorum, usq; ad Diocletiani, geſta breviter deſcribit. In cæteris qvinq; libris copioſius qvæq; tradit. Ultimum, in cujus fine, ſicut ex Evagrii lib. V, cap. ultimo, & Photii Bibliotheca codice XCVIII, apparet, pauca deſiderantur, in Sari, Gothorum ducis, poſt captam ab Alarico eorundem rege Urbem, ad Imperatoris Honorii partes tranſitu, id eſt, in anno Urbis 1162, Chriſti 410, terminat.

III. Prodierunt Græcè, cum Joannis Leunclavii Latina interpretatione, Friderici Sylburgii notationibus, tomo III, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, qvos idem Sylburgius edidit, Francofurti ad Mœnum, M. D. XC, in f.

ARTICULUS III.
Judicia de Zoſimo.

I. Evagrius lib. III, hiſt. eccleſ. cap. XL, Joanne Chriſtophorſono interprete: *Zoſimus unus eorum, qvi nefariæ & execrabili gentilium religioni dediti ſunt, ira propterea, contra Conſtantinũ inflammatus, qvod primus ex Imperatoribus, deteſtabili gentilium ſuperſtitione relicta, religionem Chriſtianam amplexatus eſt, narrat, tributum, qvod Chryſargyrũ dicitur, ab eo primum excogitatum, ſancitumq;, ut ad qvartum qvemq; annum illud idem penſitaretur. Aliis item infinitis maledictis pium & magnificum Conſtantinum lacerat. Nam ait eum, cum alia nonnulla mala contra homines cujusq; fortunæ & conditionis inveniſſe, tum Criſpum filium miſerandum in modum occidiſſe, tum Fauſtam conjugem in balneum extra modum exardeſcens concluſam, è medio ſuſtuliſſe. Et cum de tam nefandis cædibus à ſuis Sacerdotibus expiari laboraret, minimeq;, qvod volebat, conſeqveretur (illos enim planè reſpondiſſe, eas non poſſe expiari) forte in Ægyptium, qvi ex Iberia venerat, incidiſſe, & perſvaſum ab eo,*

ab eo, fidem Chriſtiani hominis vim habere peccati cujusq; tollendi, ea ex animo amplexatum, qvæ Ægyptius ipſi tradiderat. Deinde patrio de religione inſtituto relicto, impietatem, ut iſte prædicat, ſectari aggreſſum eſſe. Qvod autem iſta omnino falſa ſint, mox oſtendam. Videatur, qvod de his agit, caput XLI: &, qvi eadem repetit, Nicephorus Calliſti, lib. XVI, cap. XLI, XLII, & XLIII.

II. Photius in Bibliotheca, Codice XCVIII, interprete Andrea Schotto: *Impiam hic paganorum ſecutus religionem, in pluribus adverſus pios ſæpius latrat. Alioqvi brevis eſt, dictione perſpicuus ac purus, nec ſvavitatis expers.*

III. Joannes Leunclavius Apologiâ, qvam pro Zoſimo contra Evagrium, Nicephorum aliosq; ſcripſit, extremâ: *Poſſem, ſi luberet, vel ſi opus eſſe ducerem, verisſimas hoc loco Zoſimææ commentationis laudes explicare. Sed qvando vendibili, qvod ajunt, vino, ſuſpenſa non opus eſt hedera; mittamus iſta ſanè, nec diutius ab elegantisſimorum librorum lectione jam cupidos cognoſcendi noſtri ſcriptoris animos inhibeamus. Hoc qvidem futurum, prope certo mihi polliceri videor, ut, ſolis eccleſiaſticarum rerum narrationibus exceptis, cætera Zoſimum qvibusvis noſtrorum hiſtoriis Euſebianis, Socraticis, Sozomenicis, Theodoreteis eruditi lectores non invitè præferant: aut, ſi hos, qvaſi majorum gentium ſcriptores eccleſiaſticos, animi qvadam religione præpediti, pagano poſtponere non audebunt; qvin extra controverſiam in ſuo genere parem his facturi ſint, cæterosq; noſtros ſive Zonaras, ſive Cedrenos, ne qvidem in comparationem cum hoc admisſuri, nullus eqvidem dubitabo.*

IV. Cæſar Baronius Annalium eccleſiaſticorum tomo IV, ad annum CCCXCV, num. XXIX: *At, qvod incomparabiles mores tanti Principis ſpectat: unus infelix atq; perditus Zoſimus reperitur inter ſcriptores, qvi more ſuo, odio Chriſtianæ religionis, Theodoſium magnoperè carpſerit. Sed qvod ſciret facta ejus celeberrima cunctis eſſe perſpicua, ut à nemine poſſent penitus obſcurari, illud vafri ingenii conſilium iniit, ut pacis tempore ejus facta condemnet, laudet verò labores in bello, cum eundem Principem, hisce verbis in ſua hiſtoria, mendaciorum textrina, ſugillatum reliqvit.*

V. Lœlius Biſciola tomo I, Horarum ſubſecivarum lib. VII, cap. X, qvô Conſtantinum Magnum contra Zoſimum defendit: *Zoſimus*

 Comes,

Comes, vir idolomaniæ addictisſimus, imperio Romano ad veram Chriſti religionem ſuſcipiendam feliciter inclinato, provinciam hanc ſuſcepit deſcribendæ Romanæ hiſtoriæ, hoc tantum conſilio, ut oſtenderet, mutatam deorum ſuperſtitionem in Chriſti fidem, cauſam fuisſe declinationis imperii. Ibidem poſt qvædam: *Planè ut capitalisſimus hoſtis Chriſtianorum, in luce clarisſima hallucinatur, qvia hallucinari voluit.*

VI. Caſpar Barthius commentario ad Claudiani lib. I, de laudibus Stiliconis, v. 1: *Zoſimus malignus ſcriptor ob perditum paganiſmi amorem, cujus raptu ambigua, ubi dictis dicta conferas, ſæpe loqvitur, ut ſolent veritatem vel ignotam oppugnantes, nec ſibi ſatisfacit, qvod ex inconſtantiâ clarum.*

CAPUT XXXVII.
OLYMPIODORUS.
ARTICULUS I.
Olympiodori Vita.
I.

OLympiodorus qvis & unde ortus fuerit, Photius in Bibliotheca, codice LXXX, tradit, Andrea Schotto interprete: *Scriptor hic ortum ducit Ægyptiacis Thebis, profesſione Poëta, ut de ſe ipſe fatetur, religione verò gentium imbutus.* Ad Hunnos aliqvando Legatum egit. Photius ibidem, poſt qvædam: *Refert item de Donato & Hunnis, deq; regum eorum ſagittandi peritia. Seipſum ad illos & Donatum, Oratorem misſum ſcriptor ait; multisq; maris erroribus periculisq; jactatum, tragicè narrat.* De itineribus ejus, ibidem poſt qvædam; *De ſua ſcriptor hic navigatione refert, multa ſe adverſa pertulisſe. Athenas qvoq; appulisſe tradit, ſuoq; ſtudio & cura ad ſophiſticam etiam ſedem evectum Leontium, tametſi id ille neqvaqvã vellet.* Iterum poſt qvædam: *Refert itẽ Hiſtoricus, cum apud Thebas & Soënem, luſtrandorum, cognoſcendiq; ſtudio verſaretur, fama excitatos Præfectos ac Vates eorum barbarorum, qvi ad Talmin incolunt, qvos Blemmyas vocant, ipſius optasſe congresſum atq; colloqvium.*

II. Theodoſii II, qvi patris Arcadii ſucceſſor, anno Urbis 1160, Chriſti 408, imperium ſuſcepit, ætate vixit. Huic enim Theodoſio hiſtoriam ſuam dedicavit. Photius loco ſuprà commemorato: *Hiſtoriam inſcri-*

inſcribit Theodoſio Imperatori, qui Arcadii filius, Honorii ac Placidiæ patruelis fuit. Eam hiſtoriam, qvod mox oſtenſuri ſumus, in anno ejusdem Theodoſii 18, Urbis 1177, Chriſti 425, terminavit.

ARTICULUS II.

Olympiodori Scripta.

I. Olympiodorus, qvemadmodum Photius in Bibliotheca, codice LXXX, narrat, hiſtoriarum (ab Honorii ſeptimo, & Theodoſii ſecundo conſulatu, id eſt, ab anno Urbis 1159, Chriſti 407: ad illud tempus, qvô Valentinianus III, Conſtantii ex Placidia Honorii ſorore filius, imperium ſuſcepit, id eſt, ad annum Urbis 1177, Chriſti 425, qvi eſt Theodoſii II, imperatoris, 18,) libros XXII, compoſuit. Ex iis per Photium excerpta ſuperſunt. Hæc incipiunt ab initiis potentiæ Stiliconis, qvem Theodoſius Magnus Imperator filiis ſuis Arcadio & Honorio tutorem, anno Urbis 1146, Chriſti 394, præfecit: deſinunt in initiis imperii à Valentiniano III, qvem Honorius ſucceſſorem habuit, ſuſcepti, ſive in anno Urbis 1177, Chriſti 425.

II. Hæc Photii ex Olympiodoro excerpta Græca in Latinũ tranſtulerunt Fridericus SYLBURGIUS, & Andreas SCHOTTUS: explicuerunt iidem, Davides HOESCHELIUS, & Philippus LABBÆUS.

III. Prodierunt eadẽ qvalia Sylburgius ex Franciſci Pithæi Bibliotheca impetraverat, Græcè, cum *Sylburgii* & interpretatione, & notis, tomo III, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, Francofurti ad Mœnum M. D. XC, in f: multò auctiora in Excerptis de Legationibus, Græcè, cum *Schotti* interpretatione, *Labbæi* notis, Pariſiis M. DC. XLVIII, in f: & in ipsâ Photii Bibliotheca, Græcè, cum Schotti & interpretatione & ſcholiis, *Hœſchelii* notis, Rothomagi M. DC. LIII, in f.

ARTICULUS III.

Judicium de Olympiodoro.

Photius in Bibliotheca, codice LXXX, Andrea Schotto interprete: *Dictio illi clara; remiſſa tamen ac diſſoluta; & in protritam devoluta verborum affluentiã. Oratio itaq; indigna, ut hiſtoriæ adnumeretur. Cujus ipſe fortaſſe conſcius, non hiſtoriam hanc à ſe adornari, ſed materiam duntaxat, ſeu commentarium hiſtoriæ ſuppeditari contendit.*

CAPUT

CAPUT XXXVIII.
Autor Notitiæ dignitatum utriusq; Imperii Romani.
ARTICULUS I.
Qvando Autor ille vixerit.

I. Autor Operis, qvod Dignitatum utriusq; Imperii Romani vocatur Notitia, qvis ſit, non exploratum habeo. Tempus, qvô compoſita fuerit hæc Notitia, eſt, unde colligi poſſit.

II. In Notitia imperii Orientalis, ubi de Comite rei militaris per Ægyptum agitur, mentio fit *Alæ Theodoſianæ nuper conſtituta*. Hæc ala, qvæ à Theodoſio Imperatore ſuum nomen acceperit, non alium, qvam Theodoſiũ II, indicat; qvi poſt Arcadium Imperatorẽ in Oriente imperiũ anno Urbis 1160, Chriſti 408, ſuſcepit. Nam inſcriptio eſt: *Notitia dignitatũ, cum Orientis, tum Occidentis, ultra Arcadii & Honorii tempora.*

III. Honorius, occidentis Imperator, anno Urbis 1175, Chriſti 423, vitâ deceſſit. Qvamobrem, cum Notitia poſt hunc annum conſcripta ſit; Ala Theodoſiana, qvantumvis, ut *Theodoſiana* diceretur, ſufficere poterat, ſub Imperatore Theodoſio, ſeu vivente adhuc Honorio, ſeu jam mortuo, conſtitutam eſſe: tamen, ut *nuper conſtituta* vocari poſſit, ſi Honorio ſuperſtite, non multò ante mortem ipſius conſtituta ſit, neceſſum eſt.

IV. Cæterùm ipſa Notitia, utrum vivente, an mortuo Theodoſio litteris conſignata ſit, nondũ ex iis, qvæ diximus, liqvet. Nam & paulo poſt Imperatoris mortẽ, *Ala Theodoſiana nuper conſtituta*, nominari poterat. Occurrit, unde prior ſententia fulciri qveat. Nam, opinor, ſi Notitia poſt mortem Theodoſii compoſita fuiſſet, autor potius, *Notitiam dignitatũ ultra Theodoſii tempora*, vocaſſet. Præterea nullus Illyrici Vicarius in hac Notitia reperitur. Unde poſt Illyricũ ab Hunnis devaſtatum, conditã ſuſpiceris. Ea verò Illyrici devaſtatio, ut Proſper Aqvitanicus & Marcellinus Comes in Chronicis tradunt, Dioſcoro & Eudoxio Coſs. contigit, anno Urbis 1194, Chriſti 442: à qvô pauci anni ad mortem Theodoſii ſuperſunt, qvæ in annum Urbis 1202, Chriſti 450, incidit. Hoc intervallo, qvod inter annum Urbis 1194, & 1202, eſt, concinnatam eſſe Notitiam, vero ſimillimum eſt.

V. Qvod

V. Qvod ſi tamen poſt Theodoſium, certè paulò poſt ejus exceſſum ſcripta fuerit; non modò, qvod *Ala Theodoſiana nuper conſtituta* commemoretur, ſed etiam, qvod in Notitia Occidentalis Imperii, & *Præpoſitus theſaurorum Aqvilejæ, & Aqvilejenſis monetæ Procurator* exſtet. Nam, ut Aurelius Caſſiodorus, & Marcellinus Comes in Chronicis; Jornandes de rebus Geticis, cap. XLII; & Paulus Diaconus lib. XV, hiſtoriæ miſcellæ, cap. IV, tradunt: Herculano & Aſporacio Coſſ. id eſt, anno Urbis 1204, Chriſti 452, Aqvileja per Attilam, Hunnorum regem, funditus eſt exciſa.

VI. Qvæ cum ita ſe habeant; qvid de illorum ſententia, qvi hanc imperii Romani Notitiam autori Mariano Scoto [à qvô deſcripta, in ultimis Britanniis inventa fuit] attribuunt, judicandum ſit, ſatis patet. Inter hos & Jacobus Cujacius, & Martinus Antonius Delrio in notis ad Claudiani de bello Gildonico verſum ultimum, nomina ſua profitentur. Fuit Marianus ille Monachus Fuldenſis; qvi in Roma per Henricum Imperatorem anno Chriſti 1083, occupatâ Chronicon ſuum finit: vitam ipſam finit anno 1086, ſicut Mariani Chronici continuator Dodechinus docet.

Articulus II.
Qvale Scriptum, Notitia dignitatum utriusq; Imperii Romani.

I. Eſt hæc ſæpius laudata Notitia qvidam catalogus, ſive index omnium dignitatum, id eſt, magiſtratuum officiorumq;, tam civilium, qvam militarium, per univerſum Imperium Romanum, cum in Oriente, tum in Occidente.

II. Prodiit, Sigismundi Gelenii curâ, Baſileæ M. D. LII, in f: cum Guidonis *Pancirolli* commentario, Venetiis M.D.XCIII, in f: cum ejusdem commentario, & Franciſci *Rhuardeſii* annotationibus, Lugduni M. DC. VIII, in f:

Articulus III.
Judicium de Notitia dignitatum utriusq; Imperii Romani.

Guido Pancirollus præfatione in hanc Notitiam: *Omnium, qvot multis abhinc ſæculis in lucem prodierunt operum, ſpecioſiſſima & pretio-*

tioſiſſima eſt Dignitatum utriusq; Romani Imperii Notitia, in quâ illius opes, præſidia, magiſtratus, ornamenta, vires, ac deniq; tota ejus temporis Principum magnitudo continentur. Ibidem poſt qvædem: *Opus ſanè aureum, qvod dilucidatum, magnum juri noſtro lumen & perſpicuam rerum Imperii Romani cognitionem afferet. Neq; enim antea Præfectorum, aut Vicariorum, non Magiſtrorum militum, aut Comitis Orientis; non Proconſulum, vel conſularium aliorumq; jurisdictio aut officia plenè ſciri poterant. Laterculi ac Magiſtri officiorum, Comitis largitionum, aut rerum privatarum, Magiſtrorum ſcriniorum, aliorumq; plurium ignorabatur autoritas. Militum etiam copiæ, claſſes, præſidia, fabricarum loca hinc noſcuntur. Deniq; non pauca oppida, in qvibus Principum Romanorum jura condita leguntur, prius incognita, & forte nunqvam audita, hic in ſuis provinciis collocata reperiuntur, ita, ut huic Notitiæ multarum rerum acceptam ferre cogamur notitiam.*

CAPUT XXXIX.
IDATIUS LEMICENSIS.
ARTICULUS I.
Idatii Lemicenſis Vita.

I.

IDatius, qvi aliis Idacius, aliis Itacius, qvibusdam Hydatius dicitur, patriam habuit Lemicam in Gallæcia urbem, ubi munus Epiſcopi ſuſtinuit: qvemadmodum ipſe tradit in præfatione, qvam Chronico ſuo præmiſit.

II. Qvando vixerit, ipſe indicat in Chronico, ad Olympiadis 296, annum 3, qvi eſt Chriſti 406. Cum enim ad præcedentem annum hæc poſuiſſet verba: *Hieroſolymis Joannes, Cæſarea Eulogius, Cypro Epiphanius, Alexandria Theophilus, qvi ſupra, Epiſcopi habentur inſignes*: ſubjungit: *Poſt ſupra ſcriptos ſane Arrianos, qvi Hieroſolymis ante Joannem Epiſcopi fuerint, Idatius, qvi hæc ſcribit, ſcire non potuit. Hunc verò ſanctum cum ſanctis Eulogio, Theophilo & Hieronymo vidit; & infantulus & pupillus.* Ibidem ad Olympiadis 302, annum 3, qvi eſt Chriſti 431: *Svevi*, ait, *initam cum Gallæcis pacem, libata ſibi occaſione, conturbant. Ob qvorum deprædationem Idatius Epiſcopus ad Aetium utriusq; militiæ ducem,*

cem, qvi expeditionem agebat in Galliis, ſuſcipit Legationem. Mox, ad ſeqventem annum: *Superatis per Aetium in certamine Francis, & in pace ſuſceptis, Cenſorius comes legatus mittitur ad Svevos, ſupra dicto ſecum Idatio redeunte.* Ad Olympiadis 306, annum I, qvi eſt Chriſti 445: *In Aſturicenſi urbe Gallaeciæ qvidam ante aliqvot annos latentes Manichæi geſtis Epiſcopalibus deteguntur, qvæ ab Idatio & Turibio epiſcopis, qvi eos audierant, ad Antonium Emeritenſem Epiſcopum directa ſunt.* Deniq; ad Olympiadis 310, annum 2, qvi eſt Chriſti 462: *Frumarius cum manu Svevorum, qvam habebat, impulſus, capto Idatio epiſcopo, VII. Kalendas Auguſti, in Aqvæflavienſi Eccleſia, eundem conventum grandi evertit excidio.* Ibidem poſt pauca: *Idatius, qvi ſupra, tribus menſibus captivitatis impletis, menſe Novembri redit ad Flavias.*

III. Qvô tempore ſuum obierit fatum, ex autore libelli de viris illuſtribus, qvi plerumq; Iſidori & Ildefonſi de materia ſimili opuſculis ſubjectus reperitur, cap. VIII, cognoſcimus. Ibi, *Deceſſit*, inqvit, *ſub Leone Principe, ultima pœne ſenectute, ſicut etiam præfationis ſuæ demonſtratur indicio.* Chronicon, qvod laudavimus, ſicut à Jacobo Sirmondo Pariſiis M.DC.XIX, editum eſt, deſinit in tertio Imperatoris Anthemii anno, qvi, ſecundum accuratiores Chronologos, eſt Leonis Imperatoris XIII, Urbis 1221, Chriſti 469. Qvare non multò poſt Idatius vitâ deceſſerit, cum Leo qvidem anno imperii 18, filio Leone ſolo conſule, ſit mortuus, anno Urbis 1226, Chriſti 474.

ARTICULUS II.
Idatii Lemicenſis Scripta.

I. Idatius Lemicenſis faſtos Romanorum conſulares compoſuit. Certè, ſub ejus nomine, circumſpectis etiam hiſtoricarumq; rerum intelligentiſſimis Viris in teſtimonium adduci ſolent. De iis Jacobus Sirmondus in Idatianum Chronicon præfatione: *Nec verò minor, ut ſpero, erit gratia faſtorum conſularium, qvos Chronico adjecimus, Idatianosq; jam alibi nominavimus: non tam, qvod in eodem codice Idatii Chronico ſubjiciebantur, qvam qvod rerum & verborum in utroq; opere affinitas, & cognatio, epocharumq; & temporum par obſervatio, totius deniq; ſcriptionis color idem ac genius eundem utriusq; autorem fuiſſe ſatis oſtendant, tametſi autoris nomen nullum præferat inſcriptio*

II. In hoc, qvod Sirmondus habuit, MSto, initium faſti ſumſerunt à primis Conſulibus, L. Junio Bruto, & L. Tarqvinio Collatino, id eſt, ab anno Urbis 245, Mundi 3442, ante C. N. 506: & ſubſtiterunt in ſecundo Anthemii conſulatu, ſive anno Urbis 1220, Chriſti 468.

III Sed minimè integros Sirmondus publicandos ſtatuit. Qvales cum Marcellino Comite Pariſiis M.DC.XIX, edidit, illorum principium eſt Antiochiani & Orfiti conſulatus, qvô Aurelianus imperium ſuſcepit, annus Urbis 1021, Chriſti 269: finis autem Mariani & Aſclepiodoti conſulatus, qvô Honorius imperator deceſſit, annus Urbis 1175, Chriſti 423.

IV. Tales exſtant in Theſauro temporum, qvem Joſephus Scaliger collegit, non eô tamen, qvem ipſe Lugduni Batavorum M. DC. VI, edidit; ſed qvi auctior prodiit Amſtelodami M.DC LVIII, in f.

V. Integros, à Regifugio, ſive primis, qvos nominavimus, Conſulibus, ad alterum Anthemii Auguſti conſulatum, Philippus Labbæus prodire juſſit tomo I, novæ Bibliothecæ MStorum, Pariſiis M. DC. LIII, in f.

Articulus III.

Judicia de Idatii Lemicenſis Faſtis conſularibus.

I. Caſpar Barthius lib. LI, Adverſariorum, cap. IV, extremo, cum multa in faſtis Hydatii illuſtraviſſet: *Hæc ad Hydatii faſtorum faſciculum, utiliſſimum, & in eo prope ſingularem, qvod dies ipſos multarum præclararum hiſtoriarum deſignat, notavimus.*

II. Chriſtophorus Adamus Rupertus Obſervationum ad hiſtoriæ univerſalis Synopſin Beſoldianam cap. XIV, de Diocletiano: *Ex tam curioſâ dierum annotatione ſcriptor ille diligentiæ non vulgaris manifeſtus.*

CAPUT XL.

PETRUS PATRITIUS.

Articulus I.

Petri Patritii Vita.

I. Petrus

I.

PEtrus Patritius, patriâ Theſſalonicenſis, Patronus cauſarum Byzantinus, imperatoris Juſtiniani I, temporibus vixit. Cujus nomine, anno Chriſti 534, ad Amalaſuntham, Gothorum reginam [qvæ, cum Italicum regnum, qvod loco filii Atalarici adminiſtraverat, eoq; vivis erepto, in Juſtiniani poteſtatem transferre decreverat, Theodoto, id affectanti, metu adacta, contuliſſet, ab eo in carcerem erat dejecta] Legationem ſuſcepit, cumq; mortuam, ſimul fines Italicos attigit, intellexiſſet, Theodoto & reliqvis Gothis bellum indixit: poſteaq; cum eodem Theodoto de aliis rebus egit. Procopius lib. I, de bello Gothico, cap III, extremo, interprete Claudio Maltreto: *His lætus admodum Imperator, extemplo in Italiam Petrum deſtinat. Erat is natione Illyrius, patriâ Theſſalonicenſis, Advocatus Byzantii, prudentia vir ſingulari, commodis moribus, & perſvadendi vi præditus.* Videantur capita qvatuor ſeqventia. Theodotus ad Juſtinianum epiſtolâ, qvæ in Caſſiodori lib. X, variarum, eſt XIX: *Piis ſenſibus indicamus, beatiſſimum Papam Urbis Romæ, vel ampliſſimum Senatum, noſtra præceptione commonitos, ut vir eloqventiſſimus, Petrus, Legatus Serenitatis veſtræ & doctrina ſummus, & conſcientiæ claritate præcipuus, ſine aliqvâ dilatione, competentia reſponſa reciperet, nec contra voluntatem veſtram moras incongruas ſuſtineret.*

II. Hac aliisq; Legationibus feliciter defunctum Juſtinianus, cum belli Gothici qvartus annus, [qvi eſt â Chriſto nato 539] ad finem inclinaret, dignitate Magiſtri donavit: ſicut idem Procopius lib. II, de bello Gothico, cap. XX, extremo, refert. Erat autem Magiſter, qvalis hoc loco intelligitur, is in aula Conſtantinopolitana, qvi officiis, id eſt, miniſteriis ſeu miniſtris Imperatoris, præerat. Unde Magiſter officiorum ſolebat audire. Procopio lib. I, de bello Perſico, cap. VIII, τῶν ἐν παλατίῳ ταγμάτων ἀρχηγὸς, *Ordinum Palatinorum Princeps*, dicitur. Zoſimus hiſtoriarum lib. III: ἔπεσεν Ἀντώνιος, ὁ τῶν περὶ τὴν αὐλὴν ἡγούμενος τάξεων. ὃν καλοῦσι Ρομαῖοι Μάγιστρον: *Cecidit Antonius, ordinum aulicorum dux, qvem Romani Magiſtrum vocant.* Et lib. II: Ἡγεμόνα τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων, Μάγιστρον τῶν ὀφφικίων καλοῦσι Ρομαῖοι: *Ducem ordinum aulicorum, Magiſtrum officiorum vocant Romani.* Videantur, Philoſtorgius lib. XII, hiſtoriæ eccleſiaſticæ,

 cap.

cap.I: Notitia Imperii Orientalis,& in eam Guidi Pancirolli commentarius cap.LXII: Petrus Faber lib.I,Semeſtrium,cap.V: Jacobus Gutherius lib.II,de officiis Domus Auguſtæ,cap.XX.

III. Præterea Petrus ab eodem imperatore Juſtiniano,ad Choſröem, Perſarum Regem, anno qvinto, poſt inducias inter utrumq; initas,id eſt,anno Chriſti 550,miſſus eſt. Procopius lib. IV, de bello Gothico, cap. XI, Claudio Maltreto interprete: *Exiit annus induciarum qvintus. Tunc Petrum Patritium, eundemq; Magiſtrum officiorum ad Choſroem Juſtinianus Auguſtus legavit,ut de pace Orientis totius ageret,*

ARTICULUS II.

Petri Patritii Scripta.

I. Ex Petri Patritii transmiſſis ad poſteritatem hiſtoriis exſtant hodie nonnulla de Legationibus excerpta, in magnum Hiſtoricopolitici Florilegii corpus,qvod Conſtantinus Porphyrogennetus Imperator adornari juſſit,olim relata, eaq; duplicia.

II. Priora incipiunt à Legatione Parthorum ad Tiberium Imperatorem de mittendo Rege: qvibus anno Urbis 787,Chriſti 35,Tiridatem miſit: deſinunt in Legatione Barbarorum ad Julianum Apoſtatam,qvi anno Urbis 1107, Chriſti 355, Cæſar: Imperator autem anno Urbis 1113,Chriſti 361,creatus eſt.

III. Poſteriora incipiunt â Legatione, qvam ad Saporem Perſarum regem Imperator Valerianus, largitionibus pacem impetrare conatus,anno Urbis 1010,Chriſti 258, miſit: deſinunt in Legatione, qvam Diocletianus & Galerius Imperatores ad Narſæum, Perſarum regem,paulo ante victum,de pace miſerunt,anno Urbis 1049,Chriſti 297.

IV. Prodierunt gemina hæc inter alia ex Græcis Scriptoribus de Legationibus excerpta,Latinè tantum, interprete Carolo Cantoclaro,cum ejuſdem notis,Lutetiæ Pariſiorum,M. DC. IX, in 8: Græcè, cum ejuſdem Cantoclari,& verſione Latina,& notis,qvibus ſuas Henricus Valeſius addidit,ibidem, ex Typographia regia,M.DC.XLVIII, in f.

ARTI-

ARTICULUS III.
Judicia de Petro Patritio.

Videantur de Petro judicia ſuperius hoc ipſo in capite adducta, Procopii, & Theodoti, art. I, §. I.

CAPUT XLI.
RODERICUS XIMENES.
ARTICULUS I.
Roderici Ximenis Vita.

I.

RODericus Ximenes Navarræus fuit. Pariſiis coluit litteras. Martino, Archiepiſcopo Toletano, qvi anno Chriſti M. CC. VIII, die XXVI menſis Auguſti deceſſerat, ſucceſſit. Inde Rodericus Toletanus multis audit.

II. Gravior annis, in itinere, qvô ex Galliis in Hiſpaniam reditum parabat, vita defunctus eſt, anno Chriſti M.CC.XLV, die IX menſis Auguſti: ut qvidam referunt. Nam ex aliorum ſententia, diem X Junii, annum M. CC. XLVII, emortualem habuit.

III. Videantur, Joannes Vaſæus Hiſpaniæ Chronico cap. IV: Joannes Mariana lib. XI, de rebus Hiſpanicis, cap. XXI: & lib. XIII, cap. V.

ARTICULUS II.
Roderici Ximenis Scripta.

I. Rodericus Ximenes Romanam hiſtoriam compoſuit. Eam incipit â Jano Aboriginum Rege, qvi anno Mundi 2621, ante Romam conditam 577, ante Chriſtum natum 1327, in Italiam venit: terminat in Julii Cæſaris, confectis bellis civilibus, & compoſita Hiſpania, in Urbem reditu, qvi in annum Urbis 708, Mundi 3905, ante C.N. 43, incidit.

II. Prodiit, Hiſpaniæ illuſtratæ tomo II, qvem Andreas Schottus procuravit, Francofurti ad Mœnum, M.DC.III, in f.

ARTICULUS III.
Judicium de Roderico Ximene.

Joannes Mariana lib. XI, de rebus Hiſpaniæ, cap. XXI: *Martinus Præſul Toletanus obiit. Succeſſit Rodericus Semenus domo Vaſco. Hominem externum, ſpectatæ vitæ probitas eruditioq́; , ut ea erant tempora, ſingularis ad eum honoris gradum provexit.*

CAPUT XLII.
FRANCISCUS PETRARCHA.
ARTICULUS I.
Franciſci Petrarchæ Vita.

I.

FRanciſcus Petrarcha, parentibus origine Florentinis, Aretii, oppido Italiæ, anno recuperatæ Salutis M.CCC. IV, die XX Julii, natus eſt. In Galliæ urbibus, Avenione, ubi tum Clemens V, Pontifex, ſedem fixerat, & Carpentorati, pueritiam ſuam liberalibus diſciplinis, Dante Aligerio præceptore gaviſus, erudivit. Juris ſtudia per qvinqvennium Monte Peſſulano, per triennium Bononiæ, ſed remiſſiore induſtriâ, coluit: Oratoribus, Poëtis, Hiſtoricis, majore cum curâ perlegendis intentus. A qvibus ſeveriore patris imperio manum abſtinere compulſus, ut mentem averteret, nemo efficere poterat. Qvare, ſublato è vivis genitore, ſui juris, anno M. CCC. XXVII, Avenionem Bononiâ rediit, humanioribus ſe litteris totum redditurus.

II. Cum Ludovicus Bavarus, Romanorum Imperator, Gibellinæ factionis patronus, in Italiam veniſſet; Petrarcha ex Galliis Mediolanum, concepta in patriam redeundi ſpe, concedebat. At difficultatibus variis, qvò minus Florentiam adiret, prohibitus, Avenionem revertebatur. Ibi cum Stephano Columna, ejusq; fratribus Joanne Cardinale, & Jacobo Lumborienſi Epiſcopo, amicitiam contraxit. A Jacobo in Vaſconiam ductus, ſub collibus Pyrenæis æſtatem tranſegit. Hinc regreſſus, inter Joannis domeſticos vixit.

III. Ex eo, partam eruditionis ſupellectilem adaucturus, in Gallia qvidem maximè Pariſiis, in Italia verò inprimis Romæ, curioſum antiqvitatis cultorem egit.

IV. Poſt

IV. Poſt hæc amœnam Galliæ vallem, qvam incolæ Clauſam, vocant, qvindecim paſſuum millibus Avenione diſtantem, ſtudiis ſuis delegit ſedem. Qvo in loco fugientem fama ſubſecuta eſt. Memorabile, ab ingenio, diligentia & doctrinâ remotioribus etiam terris cognitum, cum à Senatu Romano, tum ab Academiæ Pariſienſis Cancellario, ad recipiendam Poëticam Lauream per litteras unâ die redditas, invitatum fuiſſe. Qvò iret, dubius; ad extremum, Pariſiis Romam præferebat. Huc contendens, Roberto, Regi Neapolitano, qvem profectuum ſuorum exploratorem, &, an honoribus oblatis dignus eſſet, judicem conſtituerat, clementer, & modò non familiariter habebatur. Ab eo, cum epiſtolâ, qvâ Senatui Romano de meliore nota commendabatur, dimiſſus, anno M.CCC XLI, die VIII, Aprilis, Romano in Capitolio Lauream ſolenni pompa ſuſcepit.

V. Memor ex ſolitaria vita perceptæ dulcedinis. Galliam repetiturus erat, cum Parmenſis eccleſiæ cathedralis Archidiaconatum accepit. Hoc per aliqvot annos defunctus, Clauſam repetiit, priſtinisqve, nulli adſtrictis legi, ſe laboribus reſtituit. Ex eo per loca plura circumvagatus, jam ſenex Patavinum Canonicum egit.

VI. Inter Gothorum arma, diu per Italiam jacentes humaniores litteras primus erexit, ſuumq; cultiori orationi honorem revocavit. Qvantô, cum ob id, tum ob alia, in pretio fuerit, prolixum erat, ſubjicere. Vel inde colligas, qvod aliqvando Patriam ſuam reviſuro Aretini cum ipſis Sanctorum reliqviis obviam iverint, & in perpetuum civitatis ornamentum, ædes, qvas nativitate ſua nobilitaverat, ſemper, & ex publico ærario conſervandas, & Petrarchæ nominandas decreverint.

VII. Ipſos LXX ætatis annos, uno excepto die, compleverat, cum vitam, apoplexia correptus, in villa ſuâ ditionis Patavinæ, clauſit, die XIX Julii, anno M. CCC.LXXIV.

VIII. Hæc & plura de Petrarcha commemorant, ipſe in epiſtolâ, qvam de origine vitaq; ſuâ poſteritati conſecravit: Matthæus Palmerius Florentinus in Chronico, ad annum Chriſti M.CCC. LXXIV: Blondus Flavius decade II, hiſtoriarum, lib. X: Raphael Volaterranus commentariorum lib. XXI: Jacobus Philippus Bergomenſis in Chronicorum ſupplemento, ad annum Chriſti M.CCC.XLI: Joannes Tri-

themius de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. DCXXI: Hieronymus Sqvarzafichus in vita Petrarchæ: Paulus Jovius in doctorum Virorum elogiis, cap. V: Michael Pocciantius in catalogo Scriptorum Florentinorum: Janus Jacobus Boiſſardus parte I, virorum illuſtrium, icone VI.

ARTICULUS II.
Franciſci Petrarchæ Scripta.

I. Franciſcus Petrarcha, Franciſci Carrarienſis Principis Patavini conſilio adductus, de illuſtrium virorum Romanorum vitis epitomen elaborandam ſuſcepit: qvam, fatō exſtinctus, imperfectam reliqvit. Orditur illam à Romulo, cujus cum Roma imperium cœpit, anno Mundi 3198, ante C. N. 750: finit in Fabricio, qvi Cenſor Cornelium Rufinum, ſemel dictatura, bis conſulatu defunctum, Senatu movit, anno Urbis 478, Mundi 3675, ante C. N. 273.

II. Prodiit, in opere, qvod aliorum qvoq; illuſtrium virorum vitas continet, Baſileæ M.D.LXIII, in f: in Petrarchæ operibus, ibidem M.D.LXXXI, in f: inter ejuſdem opuſcula hiſtorica, Bernæ M.DC.IV, in 16.

ARTICULUS III.
Judicia de Franciſco Petrarcha.

I. Joannes Trithemius de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. DCXXI: *Franciſcus Petrarcha natione Etruſcus; vir in divinis ſcripturis eruditus, & in ſecularibus litteris omnium ſui temporis longè doctiſſimus, Philoſophus, Rhetor, & Poëta celeberrimus, qvi litteras humanitatis poſt longa ſilentia mortuas, ut ita dixerim, ab inferis revocavit ad ſuperos, non minus ſanctâ converſatione, qvam ſcientia clarus emicuit.*

II. Eraſmus Roterodamus in Ciceroniano: *Refloreſcentis eloqventiæ princeps apud Italos videtur fuiſſe Franciſcus Petrarcha, ſuâ ætate celebris ac magnus, nunc vix eſt in manibus: ingenium ardens, magna rerum cognitio, nec mediocris eloqvendi vis. Atqvi eſt, ubi deſideres in eo linguæ Latinæ peritiam, & tota dictio reſipit ſæculi prioris horrorem.*

III. Caſpar Barthius lib. LVII. Adverſariorum, cap. XI: *Pene optimi & doctiſſimi Viri jam inde ab ætate Franciſci Petrarchæ, cum qvô erigere*

gere caput & ad priſcorum autorum exempla oculos attollere cœpit doctrina verè liberalium ſtudiorum, aliam viam inſtiterunt.

IV. Felix Oſius in notis ad Albertini Muſſati de Italicorum geſtis lib. I, rubricam VI: *Petrarcha litteratorum ſui ævi Phœnix.*

V. Nicolaus Henelius Otio Vratislavienſi cap. LIV: *Vir cumprimis doctus & elegans Franciſcus Petrarcha Florentinus.*

VI. Philippus Labbæus tomo I, diſſertationis de Roberti Bellarmini Scriptoribus eccleſiaſticis: *Ingenio, eloqventia, Latinæ patriæq; lingvæ cultu, ac poëtica etiam utraq; facultate ſui ſæculi princeps, litteras à multo ævo ſepultas, primus à Gothicis tenebris excitavit.*

CAPUT XLIII.

JOANNES BOCCATIUS.

ARTICULUS I.

Joannis Boccatii Vita.

I.

JOannes Boccatius patriam nactus eſt Certaldum, Florentinæ ditionis oppidum: præceptorem, Franciſcum Petrarcham. Epiſtolarum Pontificiarum Magiſter, Philoſophus, Poëta, Orator, ſuo tempore clariſſimus fuit. Inter eos numeratur, qvorum ſtudiô barbaries litterarum in humaniorem tranſire habitum cœpit. Exceſſit anno ætatis LXII, Chriſti M.CCC.LXXV.

II. Hæc & plura de Boccatio tradunt, ipſe lib. XV, de genealogia deorum, cap. XVI: Matthæus Palmerius Florentinus in Chronico, ad annum Chriſti M.CCC.LXXV: Raphael Volaterranus commentariorum lib. XXI: Jacobus Philippus Bergomenſis in Chronicorum ſupplemento ad annum Chriſti M.CCC.LXXV: Joannes Trithemius de Scriptoribus eccleſiaſticis, cap. DCXLVI: Paulus Jovius in doctorum virorum elogiis cap. VI: Leander Albertus in Italia: Michael Pocciantius in catalogo Scriptorum Florentinorum: Janus Jacobus Boiſſardus parte I, virorum illuſtrium, Icone IX.

ARTICULUS II.

Joannis Boccatii Scripta.

Joannes Boccatius hiſtoriæ Romanæ compendium ſcripſit. Qvod à Romulo, Urbis conditore, id eſt, ab anno Mundi 3198, ante C. N. 750, orſus: ad Auguſti ætatem, qvâ bellis finem impoſuit, hoc eſt, ad annum Urbis 724, Mundi 3921, ante C.N. 27, extendit: inde primorum ſeptem Regum, totidemq; primorum Imperatorum comparatione ſubjunctâ, in Nerone terminat, cujus mors in annum Urbis 820, Chriſti 68, incidit. Prodiit Coloniæ Agrippinæ, M.D.XXXIV, in 8.

ARTICULUS III.
Judicia de Joanne Boccatio.

I. Joannes Trithemius de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. DC. XLVI: *Joannes Boccatius de Certaldo, natione Italus, patriâ Florentinus, vir in ſæcularibus litteris omnium ſui temporis facilè doctiſſimus, & divinarum ſcripturarum non ignarus, Poëta, Philoſophus, & Aſtronomus celeberrimus, ingenio ſubtilis, eloqvio diſertus.*

II. Janus Jacobus Boiſſardus parte I, virorum illuſtrium, icone IX: *Boccatius multa reliqvit ſcripta, qvæ autoris doctrinam & laborioſas lucubrationes ſatis teſtantur.*

CAPUT XLIV.
ANDREAS DOMINICUS FLOCCUS.
ARTICULUS I.
Andreæ Dominici Flocci Vita.

I.

ANdreas Dominicus Floccus patriâ Florentinus, præceptore gaviſus eſt Emanuele Chryſolora, Byzantino, qvi tempore Bonifacii IX, [ad Pontificium culmen anno M. CCC. LXXXIX evecti] in Italiam venit, & primum Venetiis, poſtea Florentiæ docuit; inde Conſtantiam ad Concilium, qvod anno M.CCCC.XIV, celebrari cœpit, profectus, ibidem mortuus eſt. Narrat hæc Raphael Volaterranus commentariorum lib. XXI.

II. Pontificis Romani Secretarium, & Canonicum Florentinum egit; ſicut Blondus Flavius Italiæ illuſtratæ regione II, qvæ eſt Hetruria, commemorat.

III. Duos

III. Duos libellos ad Brandam Cardinalem Epiſcopum ſcripſit: qvi à Pontifice Joanne XXIII, anno M. CCCC. XI, Presbyter Cardinalis titulo S. Clementis: ab Eugenio IV, [qvi Pontificiam Cathedram anno M. CCCC. XXXI, occupavit] Epiſcopus Cardinalis Portuenſis creatus: anno M. CCCC. XLIII, mortuus eſt: qvemadmodum Onuphrius Panvinius, & Alfonſus Ciaconius, de geſtis Pontificum, in Joanne XXII, & Eugenio IV, tradunt.

ARTICULUS II.

Andreæ Dominici Flocci Scripta.

I. Sub nomine Lucii Feneſtellæ duplex de Romanorum poteſtatibus liber, prior de Sacerdotiis, poſterior de magiſtratibus, reperitur. Sunt, qvibus autor horum librorum antiqviſſimus ille Hiſtoricus Feneſtella creditur, qvem Plinius lib. VIII, cap. VII: lib. IX, cap. XVII: lib XV, cap. I: Seneca epiſt. CVIII: Lactantius lib. I, inſtitutionum, cap. VI: A. Gellius lib. XV, cap. XXVIII: Macrobius lib. I, Saturnaliorum, cap. X, laudant. Sed nec habent, qvô ſententiam ſuam probent: &, qvô ſatisfacere poſſint aliter ſentientibus, deſtituuntur.

II. De antiqvo Feneſtella Plinius lib. XXXIII, cap. XI: *Repoſitoriis argentum addi ſuâ memoria cœptum, Feneſtella dicit, qvi obiit noviſſimo Tiberii Cæſaris principatu.* Hieronymus in Euſebiano Chronico ad annum MMXXXV, qvi eſt Tiberii Cæſaris ſextus, Chriſti, ſecundum vulgarem computationem, decimus nonus: *Feneſtella hiſtoriarum ſcriptor & carminum, ſeptuagenarius moritur, ſepeliturq́, Cumis.*

III. At hodiernus Feneſtella, præterqvam, qvod ſtylum illâ ætate, qvâ vixit antiqvus, indignum, nec veræ Latinitatis obſervantem habet: de Sacerdotiis cap. V, VI, XIV, & de Magiſtratibus cap. I, in teſtimonium adducit A. Gellium, noctium Atticarum ſcriptorem, qvi toto ſæculo junior eſt illo Plinii Feneſtella. Præterea de Sacerdotiis cap. V: *Qvin ut noſtrorum inter Sacerdotum gradus non nihil intereſt,* ait, *ut Epiſcopum, Archiepiſcopum, Patriarcham & Metropolitanum: ita apud illos Flaminum, Protoflaminum, & Archiflaminum differentiam fuiſſe, idonei teſtes ſunt.* Qvæ verba ſcriptorem multò recentiorum temporum indicant, qvam qvi ſub Tiberio imperatore ſit mortuus.

IV. Hæc cum ita ſint; potius iis accedamus, qvi plurium MSto-rum fidem ſecuti, nominatorum libellorum, ad Brandem Cardinalem ſcriptorum, verum autorem Andream Dominicum Floccum deprehenderunt. Qva de re videantur, Blondus Flavius Italiæ illuſtratæ regione II, qvæ eſt Hetruria: Lilius Gregorius Gyraldus hiſtoriæ Poetarum veterum dialogo IV: Philippus Broidæus ad Franciſci Polleti lib. III, hiſtoriæ fori Romani, cap. XIV, corollario V: Ludovicus Carrio lib. I, emendationum, cap. XIX: Petrus Scriverius admonitione de PſeudoFeneſtella: Aubertus Miræus auctario de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. DXXVII: Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XIX: & lib. III, cap. XII.

V. Prodierunt, L. Feneſtellæ nomen præferentes, Baſileæ M. D. LVI, in 16: ibidem M. D. LXI, 16: Pariſiis M. D. LX, in 4: ibidem M. DC XXXI, in 16: A. D. Flocci nomen præfixum habentes, in Rep. Romana, qvam Petrus Scriverius edidit, Lugduni Batavorum M. DC. XXVI, in 16.

ARTICULUS III.
Judicia de Andreæ Dominici Flocci duobus libellis de poteſtatibus Romanorum.

I. Franciſcus Polletus lib. III, hiſtoriæ fori Romani, cap. XIV: *Ambigitur de fide libelli, qvi Feneſtellæ veteri Hiſtorico tribuitur, cujus meminerunt Livius & Gellius. Nam breviarium eſt potius Feneſtellanæ hiſtoriæ, aut miſcellanea ex aliis autoribus in idem argumentum, etiam aliqvando parum fideliter relatis. Nam plerumq; ambigo de fide & veritate, cum pugnantia aliis ſcribat.*

II. Thomas Dempſterus paralipomenis ad Roſini antiqvitates Romanas, lib. III, cap. II: *Non ita pridem prodiit hoc opuſculum, æternis tenebris, meo judicio, damnandum; ſub nomine cujuſdam Dominici Flocci.*

III. Gerardus Joannes Voſſius lib. III, de Hiſtoricis Latinis, cap. VII: *Nimis ſeverum cenſorem agit Thomas Dempſterus, ubi ait opuſculum id eſſe æternis tenebris, ſuo judicio, damnandum. Nam pro ſæculo, qvô ſcriptor vixit, eſt libellus bonus.*

CAPUT

CAPUT XLV.
LEONARDUS ARETINUS.
ARTICULUS I.
Leonardi Aretini Vita.

I.

LEonardus Brunus ab Aretio, Tuſciæ oppido, ubi natus eſt, Aretinus cognominatus, hanc intueri lucem anno M. CCC LXX, cœpit. In Græcis Emanuelem Chryſoloram, Byzantinum, [qvi ſedente Bonifacio IX, in Italiam appulſus, tum Venetiis, tum Florentiæ docuit] præceptorem habuit. Qvô duce ita profecit, ut Græcos autores, rarâ ſæculo ſuo famâ, interpretari poſſet.

II. Innocentii VII, Gregorii XII, Alexandri V, Joannis XXIII, Pontificum, uſq; ad Conſtantienſe Concilium, Secretarius; poſtea Reip. Florentinæ Cancellarius, per reliqvum vitæ ſpatium, fuit. Ducere uxorem, avaritiâ prohibente, non ſuſtinuit. Itaq; nullos liberos, at plures à ſe compoſitos libros, opulentumq; prædium reliqvit, Florentiæ mortuus anno Salutis M.CCCC.XLIII, ætatis LXXIV.

III. Videantur, Æneas Sylvius de Europâ cap. LIV, qvaſi extremo: Matthæus Palmerius Florentinus in Chronico ad annum Chriſti M.CCC. LXX: Raphael Volaterranus commentariorum lib. XXI: Jacobus Philippus Bergomenſis in Chronicorum ſupplemento ad annum Chriſti M. CCCC. XVI: Joannes Trithemius de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. DCCXLVI: Paulus Jovius in doctorum Virorum elogiis, cap. IX: Leander Albertus in Italia: Janus Jacobus Boiſſardus parte I, Virorum illuſtrium, icone XVI. Monumentum, qvod in templo S. Crucis apud Florentinos Leonardo poſitum eſt, repræſentant, Laurentius Schraderus in Italiæ monumentis: & Tobias Fendtius in ſepulcrorum monumentis, num XXIII.

ARTICULUS II.
Leonardi Aretini Scripta.

I. Leonardus Aretinus ſecundæ librorum decadis in Livio defectum ſuppleturus, libros II compoſuit: qvorum prior de bello Punico primo, poſterior de Illyrico & Gallico agit.

II. Prio-

II. Priorem [paucis, unde bellum iſtud Punicum ſit ortum, ab urbis Meſſanæ in Sicilia per Agathoclem occupatione, qvæ anno Urbis 442, Mundi 3639, ante C.N. 309, contigit, præmiſſis] incipit ab Appii Claudii Coſ. adverſus Carthaginenſes in Siciliam ſuſcepta expeditione, id eſt, ab anno Urbis 489, Mundi 3686, ante C.N. 262: poſteriorem in Urbis Mediolani, poſt devictos Gallos, per Cn. Cornelium Scipionem Coſ. expugnatione, id eſt, in anno Urbis 531, Mundi 3728, ante C.N. 220, terminat. Prodierunt Auguſtæ Vindelicorum M.D. XXXVII, in 4.

ARTICULUS III.

Judicia de Leonardo Aretino.

I. Æneas Sylvius epiſtola LI: *Leonardum Aretinum ex te primum ſenſi obiiſſe: qvi Latium ornavit litteris, qvô nemo poſt Lactantium Ciceroni proximior fuit. Gaudeo Poggium ejus locum apud Florentinos tenere. Sed maluiſſem potius locum non vacaſſe, ne tanto ſplendore caruiſſet Hetruria. Multos adhuc Græcos nobis Latinos dare potuiſſet.*

II. Jacobus Philippus Bergomenſis in Chronicorum ſupplemento ad annum Chriſti M. CCCC. XVI: *Leonardus Aretinus Philoſophus, Hiſtoricus & Orator elegantiſſimus probatusq́;.* Ibidem paulò poſt: *Certè inter viros diſciplinis excellentes ob virtutem permaximam ac dicendi elegantiam omnibus præferendum eſſe putamus.*

III. Joannes Trithemius de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. DCCXLVI: *Leonardus Aretinus, Philoſopus, Orator & Hiſtoricus inſignis, ac vir undecunq́; doctiſſimus, Græci & Latini ſermonis peritus.*

IV. Eraſmus in Ciceroniano: *Facilitate dictionis ac perſpicuitate ſatis accedit ad Ciceronem: ſed nervis aliisq́; virtutibus aliqvot deſtituitur: alicubi vix tuetur Romani ſermonis caſtimoniam, alioqvi vir doctus ac probus.*

V. Paulus Jovius in doctorum Virorum elogiis cap. IX: *Hiſtoriæ ab eo eleganter conſcriptæ in manibus habentur.*

VI. Franciſcus Floridus Sabinus in Apologia Lingvæ Latinæ contra calumniatores: *Leonardus Aretinus multis nominibus commendandus, vir in Philoſophicis rebus non infeliciter verſatus, in hiſtoricis pr temporum ratione minimè aſpernandus, & facilis cujuſdam naturæ ſcr*

ptor. Pluribus tamen rebus interim deſtituitur, & qvandoq; eum parum Latinè locutum contendas: qvod ſanè non eſt mirandum. Namq; ut nihil ſimul & repertum & abſolutum; ita unius operâ Latinitas, & reſtitui & exactè excoli non potuit.

VII. Leander Albertus in Italia, interprete Guilielmo Kyriandro: *Edidit Aretinum præterea Leonardum Brunum, Græcè Latineq; doctiſſimum, ut opera, qvæ vel ipſe fecit, vel è Græco in Latinum vertit, abundè probant.*

VIII. Lucius Joannes Scoppa Collectaneorum lib. I, cap. V: *Legimus Leonardum Aretinum Plutarchi celeberrimum interpretem, & virum magnâ doctrinâ.*

IX. Fridericus Tilemannus parte I, diſcurſus Philologici de Hiſtoricorum delectu: *Paſſim innotuit Leonardi Aretini factum, qvi fuit homo multæ eloqventiæ atq; in bonarum litterarum opere freqvens.*

X. Janus Jacobus Boiſſardus parte I, Virorum illuſtrium, Icone XVI: *Leonardus Aretinus Hiſtoricus, Orator & Philoſophus doctiſſimus, Græcæ & Latinæ lingvæ peritiſſimus, qvarum nitorem retrò actis ſæculis obfuſcatum priſtino ſplendori reſtituit.* Ibidem poſt qvædam: *Scripſit plurima eruditione plena.*

De libris, qvos de bello Punico primo, Illyrico & Gallico ſcripſit.

XI. Gerardus Joannes Voſſius lib. III, de Hiſtoricis Latinis, cap. V: *Ferè, qvicqvid habet, Polybio debet. Unde eſt, qvod in editione Pariſienſi, qvam ante ſæculum Badius Aſcenſius dedit, Polybii nomen in titulo exprimatur: utcunq; in præfatione ipſe neget, merum ſe interpretem egiſſe.*

CAPUT XLVI.

BLONDUS FLAVIUS.

ARTICULUS I.

Blondi Flavii Vita.

I.

BLondus Flavius anno reſtauratæ Salutis M. CCC. LXXXVIII, in Italia, Forolivii natus eſt. Eugenii IV, Pontificis Romani Secretarius, qvin & ejus aliqvando cum Recanatenſi Epiſcopo Legatus ad Ve-

netos, fuit. Aliorum qvoq; Romanorum Pontificum, in iis Pii II, Secretarium egit. Pauper, qvinq; filios, homines doctos, cum vitam, reliqvit. Qvã Romæ finiit, die IV, Jun. A. Chriſti M.CCCC.LXIII, ætatis LXXV.

II. Videantur, ipſe in Italia illuſtrata, regione V, qvæ eſt Picenum: & regione VI, qvæ eſt Romandiola: Joannes Gobellinus de rebus Pii II, Pontificis, memorabilibus commentariorum lib. XI: Joannes Trithemius de Scriptoribus eccleſiaſticis, cap. DCCLXXXIII: Paulus Jovius in doctorum Virorum Elogiis cap. XV: Leander Albertus in Italia. Blondi epitaphium repræſentant, Nathan Chytræus in Itinerũ deliciis: & Tobias Fendtius in monumentis Sepulcrorum num. XXIV.

ARTICULUS II.
Blondi Flavii Scripta.

Blondus Flavius compoſuit triumphantis Romæ libros X, in qvibus de veterum Romanorum rebus: primô & ſecundô, ad Religionem; tertio, qvarto, qvinto, ad Reip. adminiſtrationem; ſexto & ſeptimo, ad militiam; octavo, nono, ultimo, ad mores, inſtituta, & ſpeciatim ad triumphos pertinentibus, agit. Prodierunt cum reliqvis ejus operibus Baſileæ M.D.LIX, in f.

ARTICULUS III.
Judicia de Blondo Flavio.

I. Joannes Gobellinus de rebus Pii II, Pontificis memorabilibus commentariorum lib. XI: *Blondus Flavius hiſtoriarum ſcriptor egregius.* Ibidem poſt pauca: *Procul Blondus ab eloqventia priſca fuit: neq; ſatis diligenter, qvæ ſcripſit, examinavit: non qvam vera, ſed qvam multa ſcriberet, curam habuit. Si qvis aliqvando vir doctus, ſcribendi peritus, opera ejus emendare atq; ornare decreverit, haud parum utilitatis poſteris afferet, & ſeipſum clarum efficiet, multarum ætatum geſtis, qvæ propemodum ſepulta ſunt, in lucem redditis.*

II. Joannes Trithemius de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. DCC LXXXIII: *Blondus Flavius Forlivienſis, vir in omni bonarum artium diſciplina peritus, Philoſophus & Rhetor celeberrimus, & Hiſtoriographus inſignis, ingenio excellens, eloqvio diſertus, & dicendi gratia nulli ſecundus.*

III. Franciſcus Floridus Sabinus Apologia in Latinæ lingvæ calumniatores: *Blondi Flavii Forolivienſis hoc in negotio ſummum ſtudium*

amplectimur; qvamvis in ſcribendo non admodum elegans habeatur: nec deſint, qvi ab eo veritatis fidem multis in locis reqvirant: alioqvi non paucis etiam lutulentus fluere viſus eſt.

IV. Leander Albertus in Italia, de Foro Livii, Guilielmo Kyriandro interprete: *Præ cæteris autem Flavius Blondus rari atq; ſoliciti ingenii homo, & cum diligentiſſimus antiqvitatis inveſtigator, tum Hiſtoricus Urbem hanc ortu illuſtravit ſuo.*

V. Gerardus Joannes Voſſius lib. III, de Hiſtoricis Latinis cap. VII: *Dictione eſt non admodum culta: ut etiam Volaterranus* [commentariorum lib. XXI,] *agnoſcit: ſed de antiqvitate tamen, utcunq; interdum aliqvid humani patiatur, ſanè, pro ætate, qvâ vixit, optimè meretur.*

De Libris Romæ triumphantis.

VI. Æneas Sylvius de Europa cap. LVIII: *Deinde triumphantem urbem ſcribere adorſus, omnem nobis vetuſtatem aperuit.*

CAPUT XLVII.

LOBARDUS SIRICHIUS.

ARTICULUS I.

Lobardi Sirichii Vita.

I.

LObardus Sirichius, Patavinus, Franciſcum Petrarcham præceptorem habuit, cui adeo charus, in amicis intimis, fuit, ut in hæredibus ſubſtitutis ſcriberetur. Conjugii moleſtias ut ſubterfugeret, perpetuo cælibatui addictus, pro liberis, literis operam liberius dedit. Deceſſit anno M.CCCC.XC, die XI, Auguſti.

II. Videantur, Franciſcus Petrarcha lib. XIV, rerum ſenilium, epiſtolâ IV: & Bernardinus Scardeonius lib. II, rerum Patavinarum, claſſ. X.

ARTICULUS II.

Lobardi Sirichii Scripta.

I. Lobardus Sirichius de viris Romanorum illuſtribus Franciſci Petrarchæ compendio, ex Franciſci Carrarienſis Principis Patavini ſententia, ſupplementum addidit. Romanis tres exteros viros præmittit, Alexandrum Macedonem, Pyrrhum Epirotam, & Hannibalem Pœnũ.

Incipit ſupplementum ab Alexandri Magni, poſt interfectum patrem Philippum, ſuſcepto in Macedonia imperio, cujus initium in annum Urbis 417, Mundi 3614, ante C.N. 334, incidit: finit in Trajano imperatore, qvi anno Urbis 869, Chriſti 117, ex humanis exceſſit.

II. Prodiit, in opere, qvod aliorum qvoq; virorum illuſtrium vitas continet, Baſileæ M.D.LXIII, in f: in Petrarchæ operibus, ibidem MDLXXXI, in f: in Petrarchæ opuſculis hiſtoricis, Bernæ MDCIV, in 16

ARTICULUS III.
Judicium de Lobardi Sirichii ſupplemento virorum illuſtrium.

Bernardinus Scardeonius lib. II, de rebus Patavinis, claſſe X: *Extat, & impreſſum ubiq; legitur hujus in epitomis illuſtrium virorum cultiſſimum ſupplementum, Franciſco Petrarchæ, obitu illius interceptis, ad Franciſcum Carrarienſem Principem Patavinum: ubi tam artificioſa brevitate, ampliſſima Romanorum ducum geſta complectitur, ut nec geſtæ rei ordinem brevitas interrumpat, nec brevitatis compendium reddat, qvod dicitur, obſcurum. Ex eo enim libro pernoſcere licet, qvam pari paſſu in dicendo cum Petrarcha is autor incedat.*

CAPUT XLVIII.
JULIUS POMPONIUS LÆTUS.
ARTICULUS I.
Julii Pomponii Læti Vita.

I.

JUlius Pomponius Lætus, Italus, extra legitimum torum procreatus, Amygdalariam, magnæ Græciæ Urbem, natalem habuit. Lingvæ Græcæ prorſus ignarus, Religionis paganæ admirator, Chriſtianæ contemtor fuit. Cœterum antiqvitatis, præſertim Romanæ, ſatis peritus, Pii II, Pontificis, ætate, qvi anno M.CCCC. LVIII, ſedere cœpit, inter ſæculi ſui præclariſſima ingenia numeratus eſt. Qvare, cum Laurentius Valla humanis rebus, anno M. CCCC. LXV, valedixiſſet, dignus judicatus, qvi defuncti præceptoris ſui locum ſuppleret, in Academia Romana, egregio ſucceſſu, liberales artes docuit.

II. Arriſerat doctis qvibusdam hominibus familiarior ſocietas,

cujus

cujus notam antiqva Romanorum nomina, qvibus ſua permutaverant, habebant. His Lætus etiam, ſed inauſpicatò, ſe conjunxit. Nam aliena tot ſagacium virorum nomina, Pontifex Paulus II, Pii II, & eruditi, & eruditorum æqvi æſtimatoris, diſſimilis ſucceſſor, pronus in ſuſpiciones, occultam, ad tentandum inſigne facinus, conjuratorum teſſeram ratus, Lætum Venetiis, qvò ſe contulerat, in Urbem revocatũ, cum Baptiſta Platina & Philippo Callimacho, tormentis ſubjecit. A qvibus ille, nihil, præter innocentiam ſuam profeſſus, ſe vindicavit.

III. Sixto IV, & Innocentio VIII, qvorum ille anno M.CCCC.LXXI, hic anno M.CCCC.LXXXIV, ad Pontificium culmen adſcendit, faventibus, eam auditorum freqventiam habuit, ut, cum ante auroram docere inciperet, â media nocte in auditorium, ad præoccupanda ſubſellia, concurrerent. In multis, qvos erudivit, diſcipulis, præ cæteris clariſſimus, Marcus Antonius Coccius Sabellicus exſtitit.

IV. Pluribus annis è Romana cathedra indefeſſus eloqventiæ Romanæ propagator, ad extremum adeo indigus fuit, ut morbo correptus, unde ſemet aleret curaretq;, non habuerit, ideoq; Xenodochiũ intraverit. Qvin, ſub Alexandro VI, Pontifice, qvi Ao. M.CCCC.XCII, ſedere cœpit, gelidiſſimo potu calorẽ ventriculi opprimente, ſeptuagenarius exſtinctus, ſepulturâ caruiſſet, niſi amicorũ impenſis elatus eſſet.

V. Videantur, Baptiſta Platina in Pauli II, vita: Marcus Antonius Sabellicus lib XI, epiſt. XIII: qvam Joannes Fichardus eruditione illuſtrium virorum vitis â ſe publicatis inſeruit: Raphael Volaterranus commentariorum lib. XXI: Paulus Jovius in doctorum virorum elogiis cap. XL: Leander Albertus in Italia: Joannes Pierius Valerianus de litteratorum infelicitate lib. II.

ARTICULUS II.
Julii Pomponii Læti Scripta.

I. Julius Pomponius Lætus de Urbis Romæ antiqvitatibus libellum concinnavit: in qvô de veteris Romæ templis, ſepulcris, viis, portis, thermis, ſtatuis, aliisq; rebus memorabilibus agit.

II. Prodiit, Tito Livio ſubjunctus, Francofurti ad Mœnum M.D.LXVIII, in f: ibidem M.D.LXXVIII, in f: eidem præmiſſus, ibidem M.DC.XXVIII, in f.

III. Præterea tres compoſuit libellos, primum de Magiſtratibus, ſecundum de Sacerdotiis, tertiũ de Legibus Romanorum. IV.

IV. Prodierunt, Lucii Feneſtellæ de ſimili materia libris ſubjecti, Baſileæ M.D.LV, in 16: ibid. M.D.LXI, in 16. Pariſiis M.D.LX, in 4: Coloniæ M.DC.VII, in 12: & in Rep. Romana, qvam Petrus Scriverius edidit, Lugduni Batavorum M.DC.XXVI, in 16. in Philippi Caroli Romanis antiqvitatibus, Francofurti ad Mœnum, M. DC. XLIII, in 12.

V. Qvin & hiſtoriæ Romanæ compendium, in qvo de Cæſaribus agit, condidit. Qvod à Balbino & Pupieno, qvibus imperium anno Urbis 989, Chriſti 237, ſenatus contulit, orditur: & in imperatore Conſtante, Heraclii nepote, qvi à miniſtris in Siciliâ, cum in balneo eſſet, anno Urbis 1420, Chriſti 668, necatus eſt, terminat.

VI. Prodiit, Venetiis M. CCCC. XCIX, in 4: tomo II, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, qvos Fridericus Sylburgius edidit, Francofurti ad Mœnum M. D.LXXXVIII, in f.

Articulus III.
Judicia de Julio Pomponio Læto.

I. Marcus Antonius Sabellicus Scholiis in Svetonii Vitellium cap. I: *Pomponius Lætus, præceptor noſter, omnium, qvi noſtra tempeſtate fuere, omnis vetuſtatis peritiſſimus.*

II. Alexander ab Alexandro lib. III, genialium dierum, cap. II, extremo: *Pomponius, vir, ut in ea ætate, veterum litterarum impensè doctus.*

III. Angelus Politianus miſcellaneorum cap. LXXIII: *Non nullas ex eodem fragmento Pomponius Lætus, vir antiqvitatis & litterarum bonarum conſultiſſimus, ſibi pagellas retinuerat.*

IV. Joannes Ludovicus Vives libro de conſcribendis epiſtolis extremo: *Pomponius Lætus Romanæ puritatis adeo ſtudioſus, ut nec Græcè qvidem ſcire voluerit, ne qvid alienum ſonaret aut admiſceret lingvæ illi. Ita & verba habet electa, & dictionem ſatis caſtigatam.*

V. Franciſcus Floridus Sabinus, Apologia in lingvæ Latinæ calumniatores: *Pomponius Lætus, qvamvis Græcas litteras ignoraſſe dicatur, Latinè tamen egregie doctus fuit, in ſcribendo infra neminem recentiorum purus candidusq́ʒ.*

VI. Lilius Gregorius Gyraldus de antiqvis Poëtis dialogo IV: *Pomponius Lætus, & litterarum, & antiqvitatis, ut ſcitis, bene peritus.*

VII. Joannes Tvvinus de rebus Britannicis commentariorum lib. I: *Pomponius Lætus, Volaterranus, & Polydorus, omnes egregiè docti.*

VIII. Gerardus Joannes Voſſius lib. III, de Hiſtoricis Latinis, cap. VIII: *Sanè puræ erat dictionis amator, & hiſtoriæ veteris ſcrutator diligens.*

De libellis, qvos de Magiſtratibus, Sacerdotiis, & Legibus ſcripſit.

IX. M.A. Sabellicus de lingvæ Latinæ reparatione dialogo: *Pomponii pauca omnino exſtant, ſed illa ipſa accuratiſſimè conſcripta novimus, qvæ de Legibus, Sacerdotiis, & Magiſtratibus ad M. Panthagathum ſcripſit.*

X. Joannes Cuſpinianus commentario in Caſſiodori conſules, ad annum Urbis CCXCVII: *Pomponius Lætus libello ſuo de magiſtratibus pulcrè de tribunis plebis: ſed in fine (cap. XVIII,) commiſcet tribunos cum conſulari poteſtate imprudenter.*

De hiſtoriæ Romanæ compendio.

XI. M. A. Sabellicus lib. XI, epiſt. XIII, qvam de Pomponii vitâ ſcripſit: *Legi ego cupidiſſimè hiſtoriam hominis noſtra ætate in recognoſcenda vetuſtate diligentiſſimi, in qvâ, præterqvam qvod integra fide omnia ſcribuntur, delectavit me, ſupra qvam dici poſſit, caſtiſſima oratio, ut non Pomponium me legere arbitrarer, ſed ex veteribus unum aliqvem.*

XII. Leander Albertus in Italia, de oppido Amygdalaria, Guilielmo Kyriandro interprete: *Plurimum noſtra memoria illuſtratum eſt Pomponii Læti ortu, doctiſſimi viri, diligentiſſimiq; totius antiqvitatis & inveſtigatoris & inſtauratoris, uti ſcriptorum ejus monumenta teſtantur, præcipueq; Cæſares.*

XIII. G. J. Voſſius lib. III, de Hiſt. Lat. cap. VIII: *In hiſce Cæſaribus legas, qvæ apud Hiſtoricos non reperias. Ea verè hauſit magnam partem ex panegyricis veteribus.*

CAPUT XLIX.

JOANNES ANNIUS.

ARTICULUS I.

Joannis Annii Vita.

I.

JOannes Annius, patriâ Viterbienſis, natione Italus, die V, Januarii, anno M.CCCC.XXXVII, natus, Ordinis Prædicatorum, Theologiæ Profeſſor, & ſacri Palatii Magiſter fuit: non Latinarum modò, ſed etiam, qvod in hujus temporis homine mireris, Græcarum, Hebraicarum & Arabicarum litterarum gnarus. Romæ obiit, ſedente Alexandro VI, qvi anno M.CCCC.XCII, in Pontificiam cathedram repoſitus eſt.

II.

II. Videantur, Leander Albertus in Italia: & Abrahamus Bucholcerus in Indice Chronologico ad annum Chriſti M. CCCC. XXXVII.

ARTICULUS II.
Joannis Annii Scripta.

I. Joannes Annius Hetruſcam Italiæ Chronographiam compoſuit: in qvâ Reges & alios, qvi Hetruriæ imperaverunt, enumerat, additis imperii annis, qvos ſubjectis ex antiqvitate rationibus oſtendit. Incipit eam ab Orbis terrarum diluvio univerſali, qvod in annum Mundi 1656, ante Romam conditam 1542, ante C. N. 2292, incidit: finit in Othone Cæſare, cujus imperium intra Urbis 820, Chriſti 68, annum, & cœpit, & deſiit.

II. Prodiit, inter antiqvitatum libros, qvos Annius partim primus in lucem protulit, partim ipſe condidit, Romæ M.CCCC.XCVIII, in f: Pariſiis M.D.XV, in f: Witebergæ M.DC.XII, in 8.

ARTICULUS III.
Judicia de Joanne Annio.

I. Leander Albertus in Italia, Guilielmo Kyriandro interprete: *Fuit homo egregiè non ſolum Latinis litteris, ſed etiam Græcis, Hebræis, Arabicis, & Chaldæis eruditus, præterea totius antiqvitatis ſtudioſiſſimus indagator, ut ſcriptis editis abundè eſt teſtatus.*

II. Conradus Geſnerus in Bibliotheca: *Joannes Annius Viterbienſis, Italus natione, ordinis Dominicani Theologus, antiqvitatum illuſtrator præcipuus.*

III. Auſonius Popma in notis ad Catonis ex originibus fragmenta: *Ioannes Annius Viterbienſis, homo, ut illa tempora ferebant, & diligens, & eruditus.*

IV. Janus Druſius libro de Patriarcha Henocho cap. III, cum Joannis Naucleri qvædam verba in medium protuliſſet ad Joannis Annii autoritatem provocantia: *Hucusq; Nauclerus, penes qvem fides eſto. Nam Viterbienſis, qvem laudat, fidem non meretur apud me.*

V. Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de arte Grammatica, cap. IX: *Neq; id afferre dubitat Hermannus Hugo libro de literarum antiqvitate. Verum non debuit vir eruditus toties eo commentariolo ad partes advocare Annium illum, hominem qvidem doctum, ſed totum penè ex mendaciis & fraudibus conſutum.*

CAPUT

CAPUT L.
HENRICUS BEBELIUS.
ARTICULUS I.
Henrici Bebelii Vita.

I.

HEntricus Bebelius parentes agricolas; Juſtingam, Sveviæ pagum, natale ſolum conſecutus, tum aliis liberalibus diſciplinis, tum & juris arti navavit operam. De optima ſuo ſæculo venâ commendatus, Poëticam Lauream Maximiliano I, Imperatori juvenis acceptam retulit. In Tubingenſi Academia Profeſſorum adſcriptus ordini, humaniores litteras, anno M. CCCC. XCVII, tradere juventuti cœpit.

II. Seqventia tempora, qvibus ſuperſtes fuit, ex ſcriptis, qvæ publicavit, cognoſcimus. Sæculi decimi ſexti anno primo ad dictum Imperatorem, de Germaniæ laudibus orationem; qvarto, de ejusdem Imperatoris contra Bohemos victoria Paræneticon; octavo, adverſus Leonardum Juſtinianum Venetum, pro Imperatoribus Germanicis, apologiam; decimo, carmen, qvod in Aſophum Pſeudoprophetam compoſuit, luci publicæ commiſit. Qvos cum aliis ejusdem libellis, præclara JCtorum triga, Simon Schardius tomo I, antiqvæ Germaniæ illuſtratæ; Marqvardus Freherus tomo II, Scriptorum de rebus Germanicis; Melchior Goldaſtus parti X, & XVIII, politicorum imperialium, inſeruit.

III. Novisſimum eorum, qvæ nobis innotuerunt, ſcriptum, eſt epiſtola, qvam libro III, facetiarum exſtare voluit, ad Matthiam Schuterium, die XXVIII Maji, anno M. D. XIV, exarata.

ARTICULUS II.
Henrici Bebelii Scripta.

Henricus Bebelius de Romanorum Magiſtratibus & Sacerdotiis libellum poſteritati reliqvit. Prodiit, cum aliis Bebelii opuſculis, Argentinæ M.D.XIII, in 4: Lucii Feneſtellæ de eadem materia libellis ſubjectus, Pariſiis M. DC. XXXI, in 16.

ARTICULUS III.
Judicium de Henrico Bebelio.

Michael Coccinius in litteris Tubingæ ſcriptis anno M. D. V: apud Martinum Cruſium, parte III, Svevicorum annalium lib. IX, cap. X: *Pleriq; viri docti & eloqventes, paſſim per Germaniam verſantur, qvi noſtram Germanicam nationem, Romanæ lingvæ ſplendore ornare ac illuſtrare cœperunt. Et qvos ſanè numero, Henricus Bebelius Juſtingenſis, Poëta Laureatus, inter primos, meo judicio, venit connumerandus. Nam docendo qvid rei litterariæ contulerit, Tubingenſe Gymnaſium ſatis ſuperq; teſtatur: ad qvod omnium primus manſvetiores Muſas, terſamq; Latinitatem ſanis perſvaſionibus invexit.*

CAPUT LI.
GREGORIUS HALOANDER.
ARTICULUS I.
Gregorii Haloandri Vita.

I.

GRegorius Haloander, Germanis Hofmann dictus, Cygneæ, Miſnenſium oppido, natus eſt. Rarâ ſuis temporibus peritiâ juris inſtructus, in Italia Doctor utriusqve Juris renunciatus eſt.

II. Primus juris civilis Pandectarum L, Codicis XII libros, ex fide antiqvorum MStorum emendatos; primus novellas Juſtiniani Græcas, adjuncta meliore Latina interpretatione, publicavit. In eo ſtudiorum genere plura præſtiturum, cum in Italiam rediisſet, Venetiis anno M. D. XXXII, febricula exſtinxit.

III. Vi-

III. Videantur, Petrus Albinus Chronico Miſnenſi tit. xxv: & Melchior Adamus in vitis Juriſconſultorum.

ARTICULUS II.

Gregorii Haloandri Scripta.

I. Gregorius Haloander faſtos Romanorum conſulares compoſuit. Hos incipit à primis Conſulibus, L. Junio Bruto, & L. Tarqvinio Collatino, qvorum conſulatum ad annum Urbis 245, (qvi eſt Mundi 3442, ante C. N. 506,) refert: finit in Juſtiniani qvarto & Paulini Conſulatu, qvem ad annum Urbis 1287, Chriſti 536, refert: alii verò ad annum Urbis 1286, Chriſti 534, referunt.

II. Ex his faſtis poſterior pars, à Cl. Tiberii Cæſaris qvarto, & Druſi Cæſaris ſecundo conſulatu, ſive anno Urbis 773, in Livii operibus, qvæ Baſileæ M. D. XLIII, in f: & Pariſiis M. D. LII, in f: edita ſunt, Henrici Glareani Chronologiæ ſubjecta reperitur. Integri prodierunt, cum Juſtiniani Codicis duodecim libris, qvos Petrus ab Area Baudoza Ceſtius JC. publicavit, Lugduni M. D. XCIII, in 4.

ARTICULUS III.

Judicia de Gregorio Haloandro.

Joannes Coraſius lib. I, miſcellaneorum juris, cap. VIII, §. IV: *Haloander, vir eruditiſſimus, Græcè Latineq; impensè doctus, hunc locum non carere mendo putat.* Et lib. V, cap. XVII, §. VII: *Sunt autem hæc in causâ, ut exiſtimem lapſum eſſe graviter Gregorium Haloandrum, virum alioqvi diligentem & bene doctum.*

CAPUT LII.

ANDREAS ALCIATUS.

ARTICULUS I.

Andreæ Alciati Vita.

I.

ANdreas Alciatus, in Mediolanenſium pago, qvem ſibi cognominem habuit, die VIII, Maji, anno M. CCCC. XCII, nobili genere natus, ſicut in eruditos præceptores, ex his in Janum Parrhaſium, incidit: ita primus purioris Latinitatis & antiqvitatis cognitionem ad Juris ſcientiam, qvâ Doctoris honores ſibi comparavit, attulit.

II. Mediolani per triennium commoratus, cum ſe Patronum clientibus in foro diligentem fidumq; demonſtraſſet, Avenionem in Galliam vocatus abiit, ibiq; juris interpretem dedit.

III. Deinde à Franciſco I, Galliarum Rege, in Academia, qvam Avaricum Biturigum Cuborum habet, inter JCtos Profeſſoris accepit munus. Hoc qvinqve annis cum laude ſua, diſcentiumq; non exiguo incremento ſuſtinuerat, cum oblatam à Franciſco Sfortia, Mediolanenſium duce, (qvi civis ſui amore captus, prius acqvieſcere nolebat, qvam ad Italos revocaſſet) & dignitatem Senatoriam, & docendi apud Ticinenſes provinciam ſuſcepit.

IV. Ex eo minus ſtabilem ſedem habuit. Nam Ticino ſe Bononiam, neſcio qvibus de cauſis, contulit. Ubi cum qvatuor annos jura profeſſus eſſet, Ticinum rediit. Poſt hæc, jacentem Ferrarienſium Academiam, ab Hercule II, Duce, ampliſſimis conditionibus invitatus, eruditionis excellentia, nominisq; fama nobilitavit ac erexit.

V. Deniqve Ticinum repetiit, prioremq; docendi provinciam recepit. Ibi, cum annos LVIII, menſes VIII, dies IV, vixiſſet, die XII Januarii, anno M. D. LI, exſpiravit.

VI. Alciato fatalem annum, qvem indicavimus, ex ejus genitura, qvam Hieronymus Cardanus conſcripſit, Jacobus Auguſtus Thuanus tribuit, hiſtoriarum lib. VIII. Alii alium aſſignant annum: M. D. XLVIII, Valentinus Förſterus lib. III, hiſtoriæ juris civilis, cap. XLI: at M. D. L, Paulus Eberus in Calendario hiſtorico ad diem XXII Januarii: Abrahamus Bucholcerus in Indice Chronologico: Nathan Chytræ-

us

us in Itinerum deliciis Ticinenſibus: Tobias Fendtius in ſepulcrorum monumentis num. XXXIV: Elias Reuſnerus, in doctorum virorum indice Chronologico: Joannes Gualterius, ſive, qvi verus autor eſt, Janus Gruterus, parte II, Chronici chronicorum eccleſiaſtici: Caſpar Cunradus Proſopographiæ melicæ millenario I: Gerardus Joannes Voſſius de Scientiis mathematicis cap. XLIX, §. VIII. Wolfgangus Krugerus autem, in Catalogo mille virorum illuſtrium, qvaſi utrumq; approbet, præmisſis qvidem numeris, M. D. XLVIII, ſed Eteoſticho ſubjecto, M. D. L, emortualem fuiſſe docet. Ab his longius abit in Alciati vita Claudius Minoes, ubi legas anno M. D. LIX mortuum.

ARTICULUS II.
Andreæ Alciati Scripta.

Andreas Alciatus de Romanorum magiſtratibus & officiis libellum compoſuit. Prodiit, Notitiæ dignitatum utriusqve imperii Romani præmisſus, Baſileæ M. D. LII, in f: Venetiis M. D. XCIII, in f: Lugduni M. DC. VIII, in f: in Rep. Romana, qvam Petrus Scriverius condidit, Lugduni Batavorum M. DC. XXVI, in 16: Juſti Lipſii de eadem materia libro ſubjunctus, Helmſtadii M. DC. XXXVII, in 8.

ARTICULUS III.
Judicia de Andrea Alciato.

I. Eraſmus Roterodamus in Ciceroniano: *Qvam laudem M. Tullius partitur inter Q. Scævolam & M. Craſſum, qvorum hic dictus eſt eloqventium jurisperitisſimus, ille jurisperitorum eloqventisſimus, totam in hunc unum competere* (Alciatum eruditi) *judicant.*

II. Joannes Coraſius lib. I, miſcellaneorum juris, cap. I, §. V: *Andreas Alciatus vir emunctæ naris & inſignis eruditionis.* Et lib. VII, cap. VII, §. II, & III: *Cujusmodi peritiam an ſummo Alciato dubitabimus concedere? Alciato, inqvam, viro in omne ævum memorabili, & de qvô nihil unqvam tam magnificè dici poterit, illius adhuc qvin longè lateq; ſuperet virtus, doctrina atq; induſtria. Nam in Jurispru-*

dentia vir qvidem ille, ſicuti dicebat Homerus, aliis æqvandus pluribus unus.

III. Claudius Minoës in Alciati vita: *Diſciplinarum liberalium, hiſtoriæ omnis, Græcæ & Romanæ lingvæ ſubſidiis fretus, juris artem nitori priſtino reſtituit, æmulatus veteres qvosdam magni nominis JCtos, Herennium Modeſtinum, Antiſtium Labeonem, Attejum Capitonem, aliosq́ꝫ, qvi pares fuere in utriusqꝫ lingvæ cognitione, artiumq́ꝫ meliorum facultate.*

IV. Aldus Manutius, Pauli filius, lib. I, qvæſitorum per epiſtolam, epiſtolâ VII: *In univerſa litterarum doctrina elucet inprimis ea, qvæ ab humanitate nomen ſibi adſcivit. Qvam cum coluerint multi, qvi juris cognitione præſtitere, Andreas ille Alciatus in primis numerandus eſt.*

V. Joannes Hartungus decuria I, locorum memorabilium, cap. VI: *Alciatus vir alioqvi multifariam eruditus, ſummiqꝫ judicii, in Nicandri commentario perſtrictus vocis compoſitione* σύγιον, *eam pasſus eſt rudem, neqꝫ explanavit pro eo, ac decebat.*

VI. Lælius Biſciola tomo I, Horarum ſubſecivarum, lib. XVIII, cap. XII: *Miſera plane mortalium eſt conditio, qvi cum pectore doctrinis omnibus inſtructo doceant admirabilia, inveniant nova, vetera corrigant, in parvis & minutis qvibusdam ita cæcutiunt, ut infantibus videantur indoctiores. Unus exemplo ſit Alciatus, qvi, cum pleraqꝫ ex jure antiqvo, ac novo eruditionis corrigat adjumento, qvâ inter nos ævi ſui JCtos excelluit, reſtituatq́ꝫ feliciſsimè, uno tamen loco ita illi hæſit aqva, ut ipſum, neſciviſſe, qvid ſcriberet, appareat.*

VII. Caſpar Barthius lib. XXII, Adverſariorum, cap. XII: *Scio, qvæ opportunè huic loco attulerunt Eraſmus adagiis, Alciatus parergis, maximi litteratisſimiqꝫ viri.*

VIII. Jacobus Gutherius lib. I, de officiis domus Auguſtæ, cap. VI: *Miror Alciatum, virum magnum, uno eodemq́ꝫ capite toties à vero, & ab omnium eruditorum ſententia recedere.*

IX. Gerardus Johannes Vosſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XXX: *Imo & Alciatus, vir ſanè egregius, non dubitat affirmare, dictionem ejus* (Taciti) *præ illa Pauli Jovii, eſſe ſenticeta. Condonemus tale judicium tanto viro, & cogitemus, ex amore Jovii proficiſci.* Idem de

de Mathematicis ſcientiis cap. X, §. X: de Hieronymo Cardano: *Tot nova affert, ut ſummus vir, Andreas Alciatus, eum vocare ſoleat virum inventionum.*

CAPUT LIII.
MARCUS ANTONIUS MAJORAGIUS.
ARTICULUS I.
Marci Antonii Majoragii Vita.

I.

ANtonius Maria Comes, in avi materni memoriam, à patre Juliano Comite, qvi à vico, in qvo habitavit, Majoragii cognomen acceperat, Antonius: à matre Magdalena, in Deiparæ virginis gratiam, Maria dictus eſt. Jam vir, cum fœminæ appellationem minus æqvo animo ferret, pro Mariâ qvidem Marcus, cui nomen Antonius poſtpoſuit, pro Comite autem Majoragius vocari maluit.

II. Natus eſt anno M. D. XIV, die XXVI, Octobris. Induſtrius Ariſtotelis & Ciceronis interpres, cum in erudienda Mediolanenſium juventute ipſos XIII annos conſumſiſſet, ad Theologiæ ſtudia ſe convertit. In Mediolanenſium civitate, diem IV Aprilis ſupremum habuit, anno ætatis XLI, Chriſti M. D. LV.

III. Videantur, ipſe Majoragius oratione VIII, qvam Matri defunctæ; & X, qvam pro ſe, ob mutationem nominis accuſatus, habuit: Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. XVI.

ARTICULUS II.
Marci Antonii Majoragii Scripta.

Marcus Antonius Majoragius de Romano Senatu librum compoſuit: in qvô de Senatorum origine, ætate, veſtitu, filiis, dignitate, poteſtate, principe, officio, & aliis agit. Prodiit Mediolani M. D. LXI, in 4.

CAPUT

CAPUT LIV.

JOANNES GLANDORPIUS.

ARTICULUS I.

Joannis Glandorpii Vita.

JOannes Glandorpius Monaſterium, Weſtphaliæ urbem, patriam habuit. In eâ Scholæ rectorem multis annis egit, cum Reineri Reineccii, tum aliorum inter eruditos ob edita ſcripta celeberrimorum virorum præceptor. Erfurti Thuringorum, die XXII Februarii, anno M. D. LXIII, vitam finiit.

ARTICULUS II.

Joannis Glandorpii Scripta.

I. Joannes Glandorpius hiſtoriæ Romanæ onomaſticon, in qvô de Romanorum familiis agit, poſteritati reliqvit.

II. Præterea præcipuarum Romanarum familiarum ſtemmata compoſuit.

III. Utrumq; opus, Reineri Reineccii curâ, prodiit Francofurti ad Mœnum, M. D. LXXXIX, in f.

CAPUT LV.

HENRICUS LORITUS GLAREANUS.

ARTICULUS I.

Henrici Loriti Glareani Vita.

I.

HEnricus Loritus Glareanus, anno M. CCCC. LXXXVIII, natus, Glaronam, Helvetiæ pagum, natale ſolum habuit. Coloniæ Agrippinæ,

pinæ, ab Academiâ Philoſophicam; ab Imperatore Maximiliano I, cum ibidem in amplisſimo Germaniæ Principum conſeſſu, præſente Auguſto, carmen recitaſſet, anno M. D. XII, Poëticam Lauream, ſed & annulum accepit. Anno M. D. XIII, Baſileam Coloniâ digreſſus, Eraſmum Roterodamum, Guilielmum Budæum, Huldricum Zaſium aliosqve familiares ſibi reddidit. Ab anno M. D. XXII, Pariſiis per biennium ſubſtitit.

II. Multiplici doctrina conſpicuus, cum in Germaniam rediisſet, in Baſileenſium Academia docendi provinciam ſuſcipiebat. Hoc ex loco, cum annus M. D. XXIX, Religionis mutationem Baſileenſibus attuliſſet, ad Friburgenſes in Brisgojam abibat. Qvorum Academiam, Hiſtoriarum & Poëticæ Profeſſor, præ cæteris famâ ſuâ illuſtravit, vir ſuo tempore inter maximos.

III. Eruditionis nomine plurimis, Principibus etiam, Carolo V, & Ferdinando I, Imperatoribus acceptisſimus erat. Qvibus Auguſtis adeo ſe probavit, ut familiarem ſuum in litteris ſalutare non dubitaverint. Friburgi, die XXVIII Martii, anno Chriſti M. D. LXIII, ætatis LXXV, naturæ concesſit.

IV. Videantur, Henricus Pantaleo parte III, Proſopographiæ: Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. XXXVI: Melchior Adamus in vitis Philoſophorum.

ARTICULUS. II

Henrici Loriti Glareani Scripta.

I. Henricus Loritus Glareanus, ad Titi Livii opera melius intelligenda, Chronologiam compoſuit. Hanc orditur ab Æneæ in Siciliam adventu, qvem ad annum à Troja capta primum (Mundi 2768: ante Romam conditam 430: ante C. N. 1180,) refert: terminat in M. Valerii Meſſallæ & M. Aurelii Cottæ conſulatu, anno Urbis 772, Chriſti, ſecundum vulgarem computationem, 20.

II. Prodiit, Operibus Livii ſubjecta, Baſileæ M. D. XLIII, in f: & Pariſiis M. D. LII, in f.

ARTICULUS III.
Judicia de Henrico Lorito Glareano.

I. Carolus Sigonius lib. I, Emendationum, cap. xv: *Faciendum mihi eſſe ſtatui, ut ei hoc loco reſponderem, qvàm planiſſimè, & qvam leniſſimè poſſem; non, ut Glareanum, doctiſſimum virum, qvem mihi ſemper, qvem omnibus hujus memoriæ hominibus antepoſui, oppugnarem, ſed ut ſententiam meam contra tanti viri opes in Livianæ antiqvitate tractanda munirem.*

II. Lælius Biſciola tomo II, Horarum ſubſecivarum lib. II, cap. VII: *Multi judicii & variæ eruditionis vir nobis pueris floruit Henricus Glareanus.*

III. Gerardus Joannes Voſſius de Scientiis Mathematicis cap. LXXI, §. XIII: *Vir fuit undiqvaq; doctiſſimus.* Et cap. XXII, §. XII: *Vir fuit ingentis ac variæ admodum eruditionis: etiam Criticus non paulo melior, qvam multi perſvaſum aliis volunt.*

CAPUT LVI.
WOLFGANGUS LAZIUS.

ARTICULUS I.
Wolfgangi Lazii Vita.

I.

WOlfgangus Lazius patriam habuit Viennam Auſtriæ; patrem Simonem, Medicinæ Doctorem & Poliatrum; annum natalem à Chriſto nato M. D. XIV.

II. Humanioribus in pueritia; Medicinæ ſtudiis in adoleſcentia; indagandis antiqvitatibus omni ætate addictus, in Academia patriâ primùm liberalium artium, poſtea Medicinæ, cujus Doctor fuerat renunciatus, per continuos novendecim annos Profeſſorem egit. Ferdinando I, cujus Medicus aulicus, Conſiliarius & Hiſtoricus fuit, præter alios honores, dignitatem eqveſtrem acceptam retulit.

III. In

III. In libris, qvos meditabatur, ut gentium res tanto accuratius poſſet exponere, indefeſſo ſtudio, in Auſtriæ, Carinthiæ, Stiriæ, Cilii, Sveviæ, Helvetiæ, Briſgaviæ, Alſatiæ, Sundgaviæ & nigræ Silvæ cœnobiis vetuſtisſima qvæq; monumenta, partim blattis & tineis pugnantia, perluſtravit, eô nomine laborioſum iter emenſus.

IV. Viennæ fatis concesſit, anno M. D. LV, ſi Henrico Pantaleoni, parte III, Proſopographiæ: Abrahamo Bucholcero in Indice Chronologico: Nicolao Reuſnero in Iconibus virorum illuſtrium: Jano Jacobo Boisſardo, parte III, virorum illuſtrium, icone XIV: Jacobo Auguſto Thuano hiſtoriarum lib. XVI: Joanni Gualterio, parte II, Chronici chronicorum eccleſiaſtici, credimus; neſcio qvô autore deceptis. Nam de rebus adverſus Turcas anno M. D. LVI, geſtis conſcripſit hiſtoriam, qvam in Nicolai Reuſneri memorabilium in Pannonia rerum narrationibus reperimus: & Græcarum rerum hiſtoricas commemorationes Ferdinando I, Imperatori, ejusq́; filio Maximiliano, Regi Bohemiæ conſecravit. At ille qvidem anno M. D. LVIII, Romanum: hic autem anno M. D. LXII, Bohemicum imperium ſuſcepit. Qvin Lazium Joachimus Camerarius lib. II, familiarium, epiſtolâ XXX, qvam ad Franciſcum Crammam, die XII, Sextilis, anno M. D. LXIV, exaravit, ſalutari jubet.

V. Qvare cum iis ſentimus, qvi anno M. D. LXV, vitâ defunctum memorant. Inter hos, Melchior Adamus, in Lazii vita, qvam & Medicorum, & Philoſophorum vitis inſeruit: Gerardus Joannes Vosſius de Scientiis mathematicis cap. XLIV, nomina ſua profitentur.

ARTICULUS II.

Wolfgangi Lazii Scripta.

I. Wolfgangus Lazius de Romana Rep. in exteris provinciis bello acqviſitis conſtituta commentariorum libros XII compoſuit: in qvibus de Romanorum limitibus, prætoriis, magiſtratibus, muniis civilibus & militaribus, exercitibus, legionibus, clasſibus, coloniis, municipiis, ritibus, ludis, ſacris, aliisq́; rebus agit.

II. Prodierunt Baſileæ M. D. LI, in f. auctiores, Francofurti ad Mœnum M. D. XCVIII, in f.

ARTICULUS III.

Judicia de Wolfgango Lazio.

I. Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. XVI: *Wolfgangus Lazius, rerum Græcarum ſimul, Romanarum & Germanicarum non indiligens ſcriptor; qvod præclara ejus monumenta apud poſteritatem teſtantur, patriæ ſuæ illuſtrator, & antiqvitatis ſolers indagator.*

II. Gerardus Joannes Voſſius de ſcientiis mathematicis cap. XLIV: *Vir magnæ & induſtriæ & doctrinæ fuit: in qvô tamen ſæpius plus judicii deſideres.*

De Commentariis, qvos de Rep. Romana ſcripſit.

III. Georgius Fabricius de Roma cap. I: *Ad qvas* (cum Orientis, tum Occidentis) *notitias intelligendas pertinent Wolfgangi Lazii, hominis laborioſiſſimi, libri commentariorum XII, de Rep. Romana, in qvibus magiſtratus urbanos & præcipuè militares copioſè exponit, & inſcriptionibus vetuſtis confirmat.*

IV. Joannes Roſinus ad Godefridum & Henricum Heſhuſios epiſtolâ, qvam antiqvitatum Romanarum libro V præmiſit, M. D. LXXX, ſcripta: *Præclaram in enodanda & eruenda ludorum veterum ratione operam poſuit Wolfgangus Lazius in aureis illis Reip. Romanæ commentariis, ex qvorum lectione plurimum me profeciſſe non nego. Sed multa adhuc ipſis deeſſe, neminem, qvi rem attentius conſideravit, puto eſſe dubitaturum.*

V. Jacobus Gutherius lib. II, de officiis domus Auguſtæ, cap. VII: *Ego qvidem, ut mihi igneſci cupio, qvantum in me eſt, aliorum errores tego, aut ita detego, ut ulli injurius non ſim. Qvare lubens Lazii in Romana hiſtoria lapſum ſilentio præterirem, ni tantus eſſet, ubi de præfectis prætorio loqvitur, ut diſſimulari nullo modo poſſit.* Ibidem cum qvædam Lazii adduxiſſet verba: *Hæc qvidem non Reip. Romanæ commentaria, ſed ægri hominis commenta dixerim.*

CAPUT

CAPUT LVII.

GEORGIUS CASSANDER.

ARTICULUS I.

Georgii Caſſandri Vita.

I.

GEorgius Caſſander in Flandriâ, die XXIV Sextilis, anno M. D. XIII, natus, Gandavenſium Brugenſiumqve juventuti manſvetiores litteras tradidit.

II. Poſtea divinarum rerum ſcientiam, præ cæteris, amplexus, ſuſceptis in diverſa loca peregrinationibus, Coloniam Agrippinam, per omne reliqvum vitæ ſpatium, rebus ſuis invenit ſedem. Ibi, qvantum per valetudinem, qvam ſæpius adverſam experiebatur, licebat, controverſiis, qvas eâ tempeſtate Pontificiis, maximè in imperio Romano, Theologi Proteſtantes movebant, cum curâ perqvirendis atq; conciliandis intentus, elucentem ubiq; veritatem in Proteſtantium ſcriptis paſſim animadvertit.

III. Ab Imperatore Ferdinando I, ut de componendis inter Romanam & Proteſtantium Eccleſiam diſſenſionibus ſalutare conſilium afferret, in aulam vocatus, pertinace arthritidis dolore prohibitus, venire non potuit. Cujus, & ſucceſſoris Maximiliani II, deſiderio, cum præſens haud valeret, abſens ſatisfacere conatus, librum ſcripſit, qvem de articulis Religionis inter Catholicos & Proteſtantes controverſis Conſultationem nominavit. In hoc aliisq; libris ſecurus odii, qvemadmodum veritatis amorem, ita ſibi regium, non ſervile judicium, fuiſſe prodit.

IV. Ad annos LII, menſes V, dies X, horas V, vitam produxit, qvam Coloniæ finiit die III Februarii, anno M. D. LXVI, ibidem in templo Franciſcanorum ſepultus.

V. Videantur Cornelius Gualterus, ſtudiorum Caſſandri peregrinationumq; ſocius, in elogio, qvod defuncto amico ſcripſit, & Caſſandri operibus inſertum reperitur: Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum

lib. XXXVI: Franciſcus Svveertius in Athenis Belgicis: Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica.

ARTICULUS II.
Georgii Casſandri
Scripta.

I. Georgius Casſander de urbis Romanæ illuſtribus viris libellum, qvem Plinio ſecundo adſcribit, ſuppleturus, opuſculum geminum litteris conſignavit.

II. Prius agit de tribus illuſtribus viris, qvi ante Procam (à qvô Plinius incipit) in Latio fuerunt. Horum primus eſt Evander, qvi Regis Aboriginum Fauni anno 19, ante urbem conditam 489, ante C. N. 1239, Mundi 2709, in Italiam venit: alter, Latinus: tertius, Aſcanius, Rex Latinorum, qvi & vita, & imperio defunctus eſt anno ante Romam conditam 387, ante C. N. 1137, Mundi 2811.

III. Poſterius, qvod appendicis loco ſcripſit, de novem illuſtribus viris, qvi cum Pompejo (in qvô Plinius deſinit) vixerunt, agit. In iis primus eſt M. Licinius Crasſus, qvi cum Cn. Pompejo M. conſulatum anno Urbis 683, Mundi 3880, ante C. N. 68, gesſit: ultimus, M. Æmilius Lepidus, qvi Tiberio Claudio Nerone Conſule, id eſt, anno Urbis 740, Mundi 3937, ante C. N. 11, è vivis abiit.

IV. Prodiit utrumqve opuſculum, in opere, qvod illuſtrium virorum vitas continet, Baſileæ M. D. LXIII, in f: & in Casſandri operibus, Lutetiæ M. DC. XVI, in f.

CAPUT LVIII.
FRANCISCUS ROBORTELLUS.
ARTICULUS I.
Franciſci Robortelli
Vita.

I.

FRanciſcus Robortellus, patriâ Utinenſis, natione Italus, Rhetor & Hiſto-

Hiſtoricus, cum Bononiæ, tum Patavii docuit. Cum Carolo Sigonio de antiqvitatibus maximè Romanis acriorem in modum certavit. Natus annos L, menſes VI, dies IX, Patavii, anno M. D. LXVII, die XVIII Martii, ſpiritum edidit.

II. Videantur, Antonius Riccobonus lib. I, de Gymnaſio Patavino, cap. XVI: Jacobus Auguſtus Thuanus lib. XLI, hiſtoriarum.

ARTICULUS II.
Franciſci Robortelli Scripta.

I. Franciſcus Robortellus novem diſputationes de Romanorum provinciis, judiciis, legionibus, magiſtratibus, familiis, imperatorum cognominibus, militum præmiis & pœnis, honorum gradibus; compoſuit. Prodierunt Bononiæ M. D. LIX, in f.

II. Præterea conſcripſit adverſus Carolum Sigonium, de convenientia ſupputationis annorum Livianæ cum marmoribus Capitolinis libellum. Qvem ab Urbe conditâ ſive ab anno Mundi 3198, ante C. N. 750, incipit: in L. Martii Cenſorini & M. Manlii conſulatu, ſive in anno Urbis 604, Mundi 3801, ante C. N. 147, terminat.

III. Prodiit, inter alia Robortelli opuſcula, Patavii M. D. LVII, in f: Livio ſubjectus, Francofurti ad Mœnum M. D. LXVIII, in f: ibidem M. D. LXXVIII, in f: tomo II, theſauri critici, qvem Janus Gruterus collegit, ibidem M. DC. IV, in 8.

ARTICULUS III.
Judicia de Franciſco Robortello.

I. Petrus Nannius lib. VIII, miſcellaneorum cap. I: *Franciſcus Robortellius, juvenis (eam enim in eo ætatem eſſe audio, qvod cum ipſius laude dictum velim) multijugæ eruditionis & generoſæ indolis, ſed tamen in Batavos homines ferocioris animi & importunioris maledicentiæ, qvam decet.* Et cap. XXI: *Rectè ſentit Robortellius, laudemq; acuminis non exiguam meretur, niſi illam corrumperet nimia debacchandi petulantia.* II. Caro-

II. Carolus Sigonius lib. I, Emendationum, cap. xxxii, per ironiam: *Franciſci Robortelli ſcientiam cum multis aliis in rebus ſingularem eſſe invenio, tum maximè in vi Græcorum verborum intelligenda, & in antiqvitate Romana conſtituenda.* Et lib. II, cap. lxviii: *Arcem nunc expugnemus Robortellianæ ſcientiæ, qvâ ſe ille omnibus, qvi ſunt, qvi fuerunt, excellere in tradenda Romana antiqvitate gloriatur.*

III. Bernardinus Realinus annotationum in varia Scriptorum loca cap. xv: *Hæc eo tendunt, ne qvis miretur, ſi Robortelli, viri doctiſſimi diligentiam deſiderari in Tibulliano carmine, ad communem utilitatem, auſus fuerim oſtendere, qvoniam & ipſe eſt homo, & multis implicitus negotiis, nec ab eo humani qvicqvam alienum eſſe credendum eſt.*

IV. Lucas Fruterius lib. II, veriſimilium cap. xxiii. *Qvia de Robortello incidit ſermo, videtur mihi vir ille febriculoſæ eruditionis oſtentator inſignis, & nullum ferre.*

V. Franciſcus Luiſinus lib. III, Parergon, cap. X: *Superioribus menſibus Franciſcum Robortellum, virum doctiſſimum atq; eruditiſſimum, qvem ego ſoleo in litteris divinum hominem appellare, Venetiis conveni.* Et cap. xxx: *Hunc Catulli locum à mendo ante me Franciſcus Robortellus, vir ſummus in litteris & maximus, vindicavit.*

VI. Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. xli: *Variis ſcriptis majorem de ſe opinionem excitavit, qvam implevit.*

CAPUT LIX.

ONUPHRIUS PANVINIUS.

ARTICULUS I.

Onuphrii Panvinii Vita.

I.

ONuphrius Panvinius, Veronenſis Italus, Auguſtinianorũ Eremitarum ordinis fuit. Magnæ induſtriæ vir, omnem ævi ſui vigorem perqvirendis veterum monumentis impendit: cum Romæ ageret, Antonii Auguſtini, tum in Pontificio tribunali, qvod Rotam vocant,

Audi-

Auditoris, poſtea Tarraconenſis Archiepiſcopi, copioſa Bibliotheca freqventer uſus.

II. Alexandrum Farneſium, Eccleſiæ Romanæ Cardinalem & Procancellarium, Patronorum ſuorum præcipuum, in Siciliam comitatus, Panormi, cum attigiſſet ætatis ſuæ trigeſimum nonum, anno Chriſti M. D. LXVIII, die XVI Martii exſpiravit.

III. Videantur, Jacobus Auguſtus Thuanus lib. XLIV, hiſtoriarum, extremo: Cornelius Curtius in elogiis virorum illuſtrium ex Eremitarum S. Auguſtini ordine: Aubertus Miræus auctario de Scriptoribus eccleſiaſticis, cap. DLII.

ARTICULUS II.

Onuphrii Panvinii Scripta.

I. Onuphrius Panvinius de Rep. Romana commentariorum libros III compoſuit. Qvorum primus deſcriptionem veteris Romæ continet, inſertis integris aliorum libellis adornatam: alter, & ultimus, de populi Romani ſacerdotiis, tribubus, comitiis, magiſtratibus, provinciis, coloniis, municipiis, & legionibus agit.

II. Prodiit ex horum commentariorum libro primo, urbis Romæ XIV regionum deſcriptio, in Joannis Jacobi Boisſardi antiqvitatum Romanarum parte I, Francofurti ad Mœnum, M. DC. XXVII, in f: totum commentariorum opus, Venetiis M. D. LVIII, in 8: Pariſiis, M. D. LXXXVIII, in 8: Francofurti ad Mœnum M. D. XCVII, in f.

III. Idem de Romanorum ludis Circenſibus libros II, condidit. Prodierunt, pasſim figuris æneis illuſtrati, cum Joannis Argoli notis, & in eas Nicolai Pinelli additamentis, Patavii M. DC. XLII, in f.

IV. Præterea de Romanorum triumpho commentarium conſcripſit. Prodiit Circenſibus ludis adjectus, eo, qvem nominavi, & loco, & anno.

ARTICULUS III.

Judicia de Onuphrio Panvinio.

I. Carolus Sigonius lib. I, Emendationum, cap. XXXV: *Onufrius Panvinius, vir & doctrina & fide ſingulari præditus.*

II. Jacobus Auguſtus Thuanus lib. XLIV, hiſtoriarum, extremo: *Onuphrius Panvinius, Veronenſis, Eremita Auguſtinianus, vir ad omnes & Romanas & Eccleſiaſticas antiqvitates è tenebris eruendas natus; qvod præclara ejus & ad omnem æternitatem victura monumenta teſtantur.*

III. Joſephus Scaliger de temporum emendatione lib. V: *Qvod Conſtantinus Maxentium VIII. Septembris vicerit, bariolatus eſt amicus noſter Onufrius Panvinius, optimus vir, & in cujus obitu omnes numeri hiſtoriæ collacrumarunt.* Et lib. VI: *Onuphrius Panvinius, pater hiſtoriæ.* Idem in Animadverſionibus ad Euſebii lib. II, chronicorum, annum M. DCCCC. LXIX: *Hæc luculenta inſcriptio effugit diligentiam oculatisſimi & accuratisſimi viri, amici noſtri, Onufrii Panvinii.*

IV. Lælius Biſciola tomo I, Horarum ſubſecivarum, lib. XIX, cap. XIV: *Sacræ & profanæ hiſtoriæ peritisſimus vir fuit Onuphrius Panvinius Veronenſis, qvem Romæ adoleſcens cognovi, & multa præclarè ad utramq; illuſtrandam conſcripſit. Sed, ut homo, interdum fallitur, & peccat confidentia, aut imbecillitate potius memoriæ, qvam ignoratione hiſtoriæ.*

V. Jacobus Gutherius lib. I, de officiis domus Auguſtæ, cap. XLIII: *Qvod* (jus Qviritium) *ab Auguſto excogitatum Onuphrius vir acerrimi judicii exiſtimat.*

VI. Cornelius Curtius in elogiis virorum illuſtrium ex Eremitarum S. Auguſtini ordine: *Onuphrius Panvinius vir ingenii maximi, & ſimul, qvod inſolens, ſtudii indefesſi; cui, qvantum tota Reſp. litteraria debeat, memorari ex juſto neqvit. Sacram omnem profanamq; hiſtoriam non modò evolvit accuratisſimè, ſed rerum præterea ſeriem ac tempora diſtinxit, expresſit, lumenq; accendit omnibus, qvi ad ſcribendum poſtea animum appulere.*

CAPUT LX.

GEORGIUS FABRICIUS.

ARTI-

ARTICULUS I.
Georgii Fabricii Vita.

I.

GEorgius Fabricius Chemnicium, Miſniæ urbem, patriam habuit. Ibi, die XXIV Aprilis, anno M. D. XVI, in lucem eſt editus.

II. Poſitis in patria Freibergenſiumq; ſcholâ rudimentis, Lipſiam ſe contulit. Ubi, cum ab ingenio, eruditione, moribus inſignem reportaret laudem, antiqvæ nobilitatis fratribus, Wolfgango, Philippo, & Antonio Werteris, in partem ſtudiorum dirigendorum asſumtus eſt. Inde cum Wolfgango in Italiam tranſiit, &, præ cæteris urbibus, Romam incredibili curâ contemplatus, qvicqvid veterum præſertim antiqvitatum invenire potuit, annotavit. Cum eodem Wolfgango, Argentinenſe Gymnaſium, qvod Rectore Joanne Sturmio gaudebat, adiit: ad idem Athenæum poſtea cum Philippo & Antonio reverſus.

III. Anno M. D. XLV, de conſilio Joannis Rivii, Miſenam vocatus, illuſtris ibidem ludi doctorem cœpit agere: cujus ludi gubernacula, Rivii calendis Januariis anno M. D. LIII, defuncti ſucceſſor, accepit. Hæc magno diſcentium fructu, nec minori famæ ſuæ incremento, per reliqvum vitæ ſpatium tenuit.

IV. De cujus in remp. meritis, cum aliorum plurimorum, tum ipſius imperatoris Maximiliani II, honorificum judicium fuit, cum, pro auguſtâ poteſtate, non modò Laurea Poëtica, ſed etiam nobilitatis privilegio Fabricium, paulo ante mortem, qvam die XIII Qvintilis, anno Chriſti M. D. LXXI, ætatis LVII, obiit, donavit.

V. Videantur, Matthæus Dresſerus in oratione, qvam elocutionis Rhetoricæ libro II, inſeruit, de G. Fabricio ſcripta: Davides Chytræus Saxoniæ lib. XXII, extremo: Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. L: Melchior Adamus in vitis Philoſophorum.

ARTICULUS II.
Georgii Fabricii Scripta.

I. Georgius Fabricius Romam, hoc eſt, libellum, qvô veteris Romæ (paucisſimis de novâ immiſtis) ſitum, interitum, montes, portas, vias, regiones, fora, campos, templa, theatra, circos, curias, balnea, thermas, loca ſepulcrorum aliaq; deſcribit, condidit.

II. Præterea Romanarum antiqvitatum, ex ære, marmoribus, & membranis vetuſtis collectarum libros III, compoſuit. Horum primus teſtamenta, libellos, contractuum formas, leges, inſtrumenta, decreta, elogia: ſecundus tumulos, qvos mariti uxoribus, parentes liberis, liberi parentibus, altores alumnis, Patroni libertis, liberti Patronis, varii variis poſuerunt: tertius heroum & eruditorum tumulos, anathemata, inſcriptiones, epigrammata, calendaria, epitaphia varia, continet. Qvibus libris pasſim notas inſeruit.

III. Prodiit de Roma liber cum duobus prioribus antiqvitatum libris, Baſileæ M. D. LX, in 8: auctior, cum tribus antiqvitatum libris, ibidem M. D. LXXXVII, in 8.

Articulus III.

Judicia de Georgio Fabricio.

I. Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. L: *Georgius Fabricius Chemnicenſis rem litterariam non mediocriter & ſcriptis, & viva voce juvit & illuſtravit.*

II. Joannes Kirchmannus lib. III, de Funeribus Romanorum, cap. XV: *Qvibus addenda, qvæ Germaniæ lumen & ornamentum Georgius Fabricius ſcribit in ſuâ Roma.*

III. Caſpar Barthius Animadverſionibus ad Rutilii lib. I, v. 327: *Georgius Fabricius, vir judicii optimi & eruditionis egregiæ.* Idem lib. I, Adverſariorum, cap. X: *In indicibus Servianis à Georgio Fabricio, viro ſupra famam fortunamq; ſuam laudabili concinnatis, reperio nominatum.* Et lib. XLIV, cap. XXVI: *Sic in veteribus monumentis à Georgio Fabricio, viro excellenti ingenio, & judicii rectisſimi, primum collectim editis.*

De Roma.

IV. Idem Barthius Animadverſionibus ad Galli Confeſſoris ſermonem,

monem, cap. xx: *Qva de re vide, qvæ notarunt doctiſſimi homines, Georgius Fabricius in Roma cap. IV: Juſtus Lipſius commentario ad ſecundum annalium Taciti. Qvi doctiſſimi viri, cum non pauca optima ſcripſerint, melius tamen neuter his operibus qvicqvam procudit, qvæ modò nominavimus.* Et lib. II, Adverſariorum, cap. xxii: *Ut monuit doctiſſimus mireq; ſagax ſcriptor Georgius Fabricius in aureolo libello, qvem Romam inſcripſit.*

De Antiqvitatum Romanarum libris.

V. Idem Barthius lib. iv, Adverſariorum, cap. xii, de Epitaphiis & eorum editionibus locutus: *Vetuſtior meliorum ex iis editio nobis non fuit parabilis, qvam eſt Georgii Fabricii, hominis melius de humanitatis litteris meriti; qvam qvispiam facile cenſeat.*

CAPUT LXI.

NICOLAUS GRUCHIUS.

Articulus I.

Nicolai Gruchii Vita.

I.

NIcolao Gruchio Rothomagum Normanniæ, Galliarum provinciæ, civitas patria: progenitores nobiles: ex doctis, cum Joachimus Perionius, cum qvo de Ariſtotelis genuina interpretatione, tum Carolus Sigonius, cum qvo de primariis Romanarum antiqvitatum controverſiis certavit, adverſarii fuerunt.

II. In Galliâ, Lutetiæ, poſtea Burdigalæ; tandem Conimbricæ in Hiſpania, primus, Græcè qvidē, Ariſtotelē publicè interpretatus eſt.

III. Poſt hæc, ob bellorum vices, inſtabili ſede, ad extremum, cum civile bellum tertium Galli confeciſſent, in novo Gymnaſio, qvod Rupellani, ſpe diuturnioris pacis, excitaverant, Profesſoris munus in ſe ſuſcepit. Sed æger ingreſſus urbem, ex lenta febre, qvâ in itinere correptus fuerat, in ipſo limine profesſionis, menſe Januario, anni M. D. LXXII, è vivis excesſit.

ARTICULUS II.
Nicolai Gruchii Scripta.

I. Nicolao Gruchio de Romanorum comitiis libros III debemus. Qvorum primus de centuriatis, alter de tributis, ultimus de Curiatis comitiis agit.

II. Prodierunt Venetiis M.D.LVIII, in 8: Carolo Sigonio de Bononienſium rebus ſubjuncti, Francofurti ad Mœnum M.DC.IV, in f.

ARTICULUS III.
Judicium de Nicolao Gruchio.

Jacobus Auguſtus Thuanus lib. LV, hiſtoriarum, propemodum extremo: *Nicolaus Gruchius Rothomagenſis nobili loco natus, omni litterarum ac ſcientiarum genere egregiè inſtructus.*

CAPUT LXII.
PETRUS RAMUS.
ARTICULUS I.
Petri Rami Vita.

I.

PEtrus Ramus Veromanduorum in Galliis pago, Qvut dicto, natus eſt anno M. D. XV, qvo Franciſcus I, Galliarum Rex, imperium ſuſcepit. Avum inter Eburones genere nobilem habuit ſed qvi patriâ per Carolum Burgundionum Ducem capta & flammis oppreſſa, in Veromanduorum agros profugus, agricolam egit. Cujus filius, Petri genitor, cum ne agros qvidem haberet, qvos coleret, artem carbonariam exercuit.

II. Petrus, octennis puer, peſte, qvam ſenſerat, depulsâ, Lutetiam venit. Inde abductus, cum nihilominus ardorem diſcendi præ ſe ferret, eidem urbi redditus, ab Honorato Carpentario, avunculo, ad colendas ingenuas artes, aliqvot menſium liberalem victum accepit. Cui hoſpitio

tio litteris minus commodo, duram in Collegio Navarræo per multos annos ſervitutem prætulit; diurnam dominis, noctùrnam ſtudiis ſuis operam præſtare ſolitus.

III. Suſcepta Philoſophiæ Magiſtri Laureâ, præ cæteris diſciplinis incubuit Logicæ, in cujus Ariſtotelico ſyſtemate plurima deſiderabat. Ab eo penitus diverſum mente complexus, cum Ariſtotelem publicis ſcriptis oppugnaret, Sorbonæ, id eſt, Pariſienſis Academiæ Profeſſorum grave incurrit odium.

IV. Cum æmulis adverſariisq; diu multumq; luctatus, deniq; ob peſtem Pariſiis anno M. D. XLIV, ſævientem deſerto Præleo Gymnaſio rector & doctor præfectus eſt. Qvod cum numeroſisſimum effeciſſet, Sorboniſtisq; non ampliùs tolerandus videretur, qvi juventutis ingenia ſuis corrumperet placitis, re ad Curiam Pariſienſem delatâ, vicit, & provinciæ ſuæ ſtabilimentum, autoritate publicâ, impetravit.

V. Ex eo clarior & potentior, anno M. D. LI, ad votum Caroli Lotharingi Cardinalis, de Henrici Galliarum Regis ſententia, regius Philoſophiæ & Eloqventiæ Profeſſor creatus eſt. Mox famâ ipſius ſe diffundente, pluribus remotisſimisq; populis in ornamentum commodumq; fuit expetitus: Italis, ut in Bononienſi Academia demortui Romuli Amaſæi locum occuparet; Polonis, ut Cracoviam; Hungaris, ut Albam Juliam ſe conferret.

VI. Mathematicarum diſciplinarum, & peritus, & adeo ſtudioſus fuit, ut è vectigali ſuo ſeptingentarum librarum annuarum, qvingentas in ſtipendium mathematum Profeſſoris deſtinaverit teſtamento Calendis Sextilibus anni M. D. LXVIII, ſcripto.

VII. Romanis ſacris, cum meliora vidiſſet, remiſit nuncium, & Reformatorum Eccleſiæ nomen ſuum adſcripſit. Qvam Pontificia vel oppreſſura, vel preſſura, cum fœcundam civilibus in Gallia motibus dediſſet materiam, ſaluti ſuæ conſulturus, fervente primo bello, Fontisbellaqvæi ſuppellectilem librorum regiam perluſtravit; ſecundo, Sandionyſium in caſtra Principis Condæi tranſiit; tertio exteras oras inviſendi veniam à Rege obtinuit.

VIII. Hinc in Germaniam profectus, Argentinæ, Friburgi, Baſileæ, à multis comiter & honorificè fuit habitus; Tiguri, maximè ab Henrico Bullingero, à qvô cœnâ excipiebatur, ob Joſiæ Simleri, Rodolfi Gual-

Gualteri,& Ludovici Lavateri præſentiam gratisſima; Heidelbergæ, potisſimum ab Immanuele Tremellio: ut ipſum Principem Electorem Palatinum taceam, à qvô aureâ ſui ſtemmatis imagine donatus Francofurtum abibat. Norimbergæ, præter alia memorabilia, in publicis & amplisſimis horreis frumentum ducentos & viginti annos ſingulari curâ conſervatum vidit.

IX. Increbreſcente rumore pacis in Gallia reſtitutæ, Auguſtâ Vindelicorum, qvam Germaniæ Lutetiam nominabat, digreſſus, celeriore motu per Rhætiam Sveviamq; peregit iter. Bernâ Lauſannam, hinc Genevam pervenit. Tandem Lutetiam reverſus, nonnullorum acerbiori, propter Sacra, qvæ colebat, odio firmum præſidium, inflecti neſciam Regis gratiam, opponebat.

X. Sed qvorundam declinare adverſariorum in ſe impetum potuit: communem in omnes Proteſtantes, cum ſupra modum inſoleſceret, ſævitiam effugere non potuit. Cum enim regalis nuptiarum feſtivitas in funeſtam civium lanienam eſſet verſa, irruentiumq; ferro cecidiſſet Galliarum Amiralius, Caſparus Colinius; ingens armatorum rabies, ne doctis qvidem capitibus parcere docilis, Præleum ingreſſa Gymnaſium, die XXVI Sextilis, anno M. D. LXXII, pluribus Ramum ictibus confecit; adhuc ſpirantem è feneſtra in aream præcipitavit, fune per ſordes urbis traxit, truncatū capite in Seqvanam fluvium projecit.

XI. Videantur, Theophilus Banoſius in epiſtolâ, qvam in Philippum Sidnejum anno M. D. LXXVI ſcripſit, Rami de religione Chriſtiana libris præmiſſa: Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. LII: Janus Jacobus Boiſſardus parte II, virorum illuſtrium, icone VIII: Gerardus Joannes Voſſius de Scientiis mathematicis cap. XVI, §. XXIV.

ARTICULUS II

Petri Rami Scripta.

Petrus Ramus de C. Julii Cæſaris militia librum compoſuit. Prodiit Francofurti ad Mœnum M D.LXXXIV, in 8.

ARTICULUS III.

Judicia de Petro Ramo.

I. Joannes Ludovicus Havenreuterus in præfatione, qvam Jacobi Zabarel-

Zabarellæ operibus Logicis præmiſit: *Inter qvos & Petrus Ramus extitit, vir acuto ingenio, ſtudio indefeſſo, multiplici eruditione.*

II. Gerardus Joannes Voſſius de Philoſophorum Sectis cap. XVII, §. XIV: *Petrus Ramus vir doctus ac diſertus, ſed qvi non debuerit tam petulanter ingenio ſuo abuti.*

CAPUT LXIII.

PAULUS MANUTIUS.

ARTICULUS I.

Pauli Manutii Vita.

I.

PAulus Manutius, Aldi filius, Calendis Qvintilis, anno M.D.XII, Venetiis natus eſt. Hoc in loco paternæ Typographicæ officinæ, qvæ potiſſimos cum Græcos, tum Latinos ſcriptores elegantibus typis expreſſos reip. litterariæ transmiſit, majore cum curâ præfuit.

II. A Pontifice Pio IV, invitatus, ut ſacrorum eccleſiaſticorumq; librorum publicationi adeſſet, è patriâ Romam conceſſit, qvinq; millium ſcutatorum ſtipendio adductus. Stomachi oculorumq; dolorem, pallorem faciei, totius corporis maciem, inter catenatos labores, enervati jam vigoris indicia cum haberet, poſt decennium Romæ inſumtum, anno M.D.LXX, Venetias repetiit.

III. Biennium in urbe natali ſubſtiterat, cum revertebatur Romam, ut jam nubilem filiam, in cœnobio virginibus commendatam, ad nuptias in patria celebrandas reduceret. Gratus omnibus, ſvaſu Cardinalium, jusſu Gregorii XIII Pontificis, ad Venetos redeundi conſilium abjiciebat, rebusq; ſuis ultimam in Urbe Romanâ ſedem ſtatuebat. Ibi fatum ſuum obiit die VI Aprilis, anno Chriſti M.D.LXXIV, ætatis LXII. Plures libros à ſe compoſitos, at ex liberis unicum filium Aldum reliqvit.

IV. Videantur, ipſe Manutius lib. VIII, ep. I: lib. IX. ep. V: lib. X: ep. XII: lib. XVI, ep. XV: Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. LIX.

ARTICULUS II.
Pauli Manutii Scripta.

I. Paulo Manutio debemus antiqvitatum libros duos: unum de legibus Romanis, alterum de Romano Senatu. Qvibus, de dierum veterum apud Romanos ratione, tertium addidit.

II. Prodiit, de Legibus liber, Venetiis M. D. LVII, in f: ibidem M. D. LXIX, in 8: Pariſiis M. D. LVII, in 8: Bernæ M. D. XCV, in 16: De dierum ratione commentarius, Aldi Manutii de orthographia epitomæ adjectus, Venetiis M. D. LXXV, in 8: Andreæ Schotti antiqvitatum Romanarum electis, qvæ Joannis Roſini antiqvitatibus annexa reperiuntur, ſubjunctus, Moguntiæ M. DC. LXII, in 4: De Senatu liber, cum duobus jam dictis libris, Venetiis M. D. LXXXI, in 4.

ARTICULUS III.
Judicia de Paulo Manutio.

I. Georgius Fabricius de Roma cap. I: (editionis Baſileenſis M. D. LX:) *Paulus Manutius vir omnis elegantiæ atq; virtutis & totius antiqvitatis ſtudioſiſſimus.* Ibidem: (editionis Baſileenſis M. D. LXXXVII:) *De qvo ſummo viro dico breviter, qvod ille in hoc doctrinæ & elegantiæ genere neſciat, id alium ſcire neminem.*

II. Marcus Antonius Muretus lib. I, variarum Lectionum cap. VI: *At præclarè, ut ſolet, Manutius: de qvô viro merito dubitari poteſt, pluſne ipſe Ciceroni, an ipſi Cicero debeat. Nam & ipſe tractandis aſſiduè Ciceronis ſcriptis eam aſſecutus eſt eloqventiæ laudem, qvâ vincit omnes: &, cum ad ingenium, qvô excellit, addidiſſet eam diligentiam, eamq; laborum perpeſſionem ac tolerantiam, qvâ vires ipſamq; adeo valetudinem ſuam, magno noſtro omnium, qvotqvot eum, qvia planè novimus, plurimi etiam facimus, dolore proſtravit; incredibile eſt, qvot ab errorum millibus eos libros feliciſſimè vindicarit.*

III. Hieronymus Magius lib. I, variarum Lectionum, cap. X: *Legitur in doctiſſimi viri, omniq; encomio majoris Pauli Manutii additamentis ad Calepini lexicon.*

IV. Læ-

IV. Lælius Biſciola tomo I, Horarum ſubſecivarum lib. VIII, cap. XIV: *Paulus Manutius Latinitatis hoc ævo princeps libro de legibus Romanis eruditiſſimè negat ullam fuiſſe qvæſturæ legitimam ætatem*, Ibidem: *Ut hæc non vidiſſe mirer Romanæ politiæ experientiſſimum Manutium*. Et lib. XIII, cap. VI: *Romanæ omnis antiqvitatis litteratè peritiſſimus vir Paulus Manutius.*

CAPUT LXIV.

ANTONIUS CONTIUS.

ARTICULUS I.

Antonii Contii Vita.

I.

ANtonius Contius, Novioduni, Burgundiæ inferioris, qvæ Ducatus eſt, urbe natus, patrem habuit Præfectum regium. Avarici Biturigum, Margaretæ Sabaudiæ ſtipendiis; deinde in Aurelianenſium Academiâ, Franciſci Duareni & Jacobi Cujacii collega, Profeſſorem juris egit. Qvô in loco, inter alios auditores, Jacobum Auguſtum Thuanum habuit. Tandem Avaricum Biturigum revocatus, novâ civilis & Pontificii juris editione, magnam laudem promeritus, die XV Septembris, anno M. D. LXXVII, propemodum ſexagenarius ſpiritum emiſit.

II. Nullum tanto viro monumentum fuiſſe poſitum (niſi qvod in S. Petri templo, qvod Avarici eſt, hunc carbone annotatum verſum repererit,

Hîc jacet æternis victurus Contius annis)

Jodocus Sincerus, ſive qvi genuinus autor eſt, Juſtus Zinzerlingus, in Itinerario Galliæ, dolendum cenſet.

ARTICULUS II.

Antonii Contii Scripta.

I. Antonius Contius faſtos Romanorum Conſulares ſcripſit. Hos à primo Urbis Conſule, L. Junio Bruto, ſive anno Urbis 245, Mundi

3442, ante C. N. 506, incipit: (qvibus, à Juſtiniani imperio, Chronologiam addit, annos, qvibus idem imperator libros juris aut compoſuerit, aut publicaverit, indicantem :) finit in morte Juſtiniani, qvæ in annum Urbis 1317, Chriſti 565, incidit.

II. Prodierunt, Pandectarum libris XVIII prioribus, qvos Ludovicus Rusſardus publicavit, additi, Antverpiæ M.D.LXVII, in 8: cum Codicis XII libris, ibidem M. D. LXXV, in f.

ARTICULUS III.

Judicia de Antonio Contio.

I. Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. LXIV: *Certi judicii, & exactæ diligentiæ JCtus.*

II. Matthæus Raderus ad Chronicon Alexandrinum animadverſione I: *Antonius Contius legum & temporum peritiſſimus obſervator & ſcriptor.*

III. Thomas Lanſius oratione pro Gallia: *Suſpiciunt* (Germani) *Antonium Contium, cujus ſcripta per particulas huc illuc ſparſa in unum corpus colligi publicæ rei non mediocriter intereſt.*

CAPUT LXV.

JOANNES OTHO.

ARTICULUS I.

Joannis Othonis Vita.

Joannes Otho, Brugis Flandrorum natus, Gandavi, poſtea Duysburgi, Clivenſium urbe, juventutem docuit: ibidem die VI Junii, anno M. D. LXXXI, mortuus.

ARTICULUS II.

Joannis Othonis Scripta.

Joannes Otho in hiſtoriam Romanam ſcripſit introductionem: qvam Hubertus Goltzius ex fide marmorum numiſmatumq; veterum emendavit. Incipit eam à Roma condita, ſive ab anno Mundi 3198, ante C. N. 750: finit in Româ per Gothos capta, id eſt, in anno Urbis 1162,

Chriſti

Chriſti 410: niſi qvod per ſeqventia tempora imperii Romani ſtatum paucisſimis verbis tangit. Prodiit Brugis Flandrorum M. D. LXV, in 8.

CAPUT LXVI.

PETRUS CIACCONIUS.

ARTICULUS I.

Petri Ciacconii Vita.

I.

PEtrus Ciacconius, honeſtis, ſed tenuioris rei parentibus, Toleti Carpetanorum natus eſt. Puer ingenio & diligentia præter cæteros conſpicuus fuit. Ex ephebis vix egreſſus, utrumq; parentem fato amiſit.

II. In Salmantico Hiſpaniæ celeberrimo Gymnaſio mathematicas diſciplinas didicit; ſine doctore litteras Græcas. Has intra biennium adeo familiares ſibi reddidit, ut eô ad finem labente, à S. P. Q. Salmantico dignus haberetur, qvi doceret. Qvod munus neqvicqvam oblatum eſt liberiorem Theologicis operam daturo. Cum his, qvamdiu Salmanticæ ſubſtitit, humaniores labores copulare gaviſus, Almeidam Luſitanum, nobilem genere hominem, moribus artibusq; nobilem domi fecit.

III. Salmantica Romam profectus, Gregorio XIII, Pontifici, ob juris præſertim, & civilis & Pontificii accuratiorem cognitionem, ſe majorem in modum approbavit. Ab eo cum locuples Hiſpalenſis Eccleſiæ Sacerdotium accepisſet, in libris ad publicam utilitatem elaborandis totus fuit; ſolitudinis amator, ideoq; paucorum amicorum cultor. Romæ, cum annos LVI, vixisſet, die XXVI Octobris, anno M. D. LXXXI, animam efflavit.

IV. Videantur, Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. LXXXIV: Andreas Schottus in Ciacconii noſtri vita: Janus Nicius Erythræus Pinacotheca I, virorum illuſtrium, imagine CXII.

ARTICULUS II.

Petri Ciacconii Scripta.

I. Petrus Ciacconius de Romanorum triclinio, ſive de conviviorum apparatu, & conviviandi modô, librum concinnavit.

II. Prodiit Romæ M. D. LXXXVIII, in 8; Genevæ M.D.XC, in 8: Amſtelodami M. DC. LXIV, in 12.

ARTICULUS III.
Judicia de Petro Ciacconio.

I. Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. LXXXIV: *Vir exqviſita in omni ſcientiarum genere, antiqvitatis & omnis politioris litteraturæ cognitione clarus.*

II. Laurentius Ramirezius Hypomnematibus ad Martialis librum ſpectaculorum, epigramma XXII: *Emendavit Petrus Ciacconius, cujus codex apud me eſt ſummo in pretio, ut debent eſſe apud omnes bonos omnia viri illius, cum qvô nullus ſæculi noſtri mortalis comparandus.*

III. Laurentius Pignorius commentario de Servis: *Petrus Ciacconius Hiſpanorum eruditiſſimus.*

CAPUT LXVII.
HUBERTUS GOLTZIUS.

ARTICULUS I.
Huberti Goltzii Vita.

I.

HUbertus Goltzius, Venlonæ in Geldria oppido, die XXX, Octobris, anno M.D.XXVI, patre Rutgero Goltzio, Herbipolita Franco, Venlonienſium pictore, natus, totus cognoſcendis antiqvitatibus Græcis & Romanis ab adoleſcentia fuit addictus.

II. Per qvadriennium, ab anno M. D. LVI, intra CCXX urbes, ex Regum, Principum, aliorumq; illuſtrium virorum, ſed & privatorum hominum, plusqvam DCCCCLXX theſauris, qvicqvid antiqvorum nummorum accipere potuit, in utraq; Germania, Italia, Galliâ, inſpexit & notavit.

notavit. Neq; enim difficiles inveniebat veterum monumentorum poſſesſores cuſtodesq;, cum ab aliis de meliore nota commendatus, tum ipſe moribus iis, qvi peregrinis & ignotis ſe commendaret. Senatus certè Romanus non modò in Capitolium, ſed ad reliqvas etiam Urbis gazas admiſit advenam, civitateq; Romanâ donatum dimiſit.

III. Multis & raris inſtructus nummorum formis, anno M.D.LX, Brugas Flandrorum reverſus eſt. Ibi ſede fixâ, impendiis doctisſimorum liberalisſimorumq; Patronorũ, Marci & Guidonis fratrum Laurinorum, varios condidit ediditq; codices, plerosq; antiqvorum numiſmatum figuris exornatos, ipſe pictor & ſculptor haudqvaqvam vulgaris.

IV. Poſt primæ conjugis Eliſabetæ Hulſtriæ diſcesſum, ex qvâ ſeptem ſuſceperat liberos, celebris illius antiqvarii, Martini Smetii viduam in matrimoniũ ſibi conjunxit. Cum vixiſſet annos LVI, menſes IV, dies XXV, Brugis Flandrorum, die XXIV Martii, anno M.D.LXXXIII, excesſit.

V. Videantur, ipſe Goltzius in epiſtolis: ad Patronos & amicos, qvam Julio Cæſari poſtpoſuit, nonis Decembribus, M.D.LXII: ad Ferdinandum I, Imperatorẽ, qvam eidem operi præmiſit, Calendis Septembribus, M.D.LXIII, ſcripta: Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. LXXVIII: Melchior Adamus in vitis Philoſophorum: Franciſcus Svveertius in Athenis Belgicis: Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica.

ARTICULUS II
Huberti Goltzii Scripta.

I. Hubertus Goltzius de populi Romani origine, magiſtratuum initiis & mutationibus, libellum elaboravit. Hunc incipit à Trojæ capta, ſive ab anno ante Romam conditam 431, Mundi 2767, ante C.N. 1181: finit in Tiberio Claudio Nerone per Cæſarem Octavianum Auguſtum in tribunitiæ poteſtatis ſocietatem aſſumto, ſive in anno Urbis 746, Mundi 3943, ante C. N. 4. Prodiit, faſtis Goltzii ſubjectus, Brugis Flandrorum, M.D.LXVI, in f.

II. Idem magiſtratuum & triumphorum Romanorum faſtos com-

compoſuit: qvos à Roma condita ſive ab anno Mundi 3198, ante C.N. 750, incipit, & in Cæſaris Auguſti exceſſu, ſive in anno Urbis 766, Chriſti 14, finit.

III. Prodiit ex his faſtis pars; à L. Cornelii Cinnæ ſecundo, & C. Marii ſeptimo conſulatu, ſive ab anno Urbis 667, ad Cæſaris Auguſti tertium conſulatum, ſive annum Urbis 722, qvô poſt victum Antonium ſolus remp. tenere cœpit; Julio Cæſari ſubjecta, Brugis Flandrorum M.D.LXIII, in f. alia qvædam pars; à Julii Cæſaris interitu, ſive anno Urbis 709, ad Sexti Pompeji & Sexti Apuleji conſulatum, ſive annum Urbis 766, qvô Cæſar Auguſtus vita defunctus eſt; Cæſari Auguſto addita, ibidem M.D.LXXVII, in f. integri prodierunt cum Goltzii animadverſionibus, conſularium aliorumq; nummorum figuris, ibidem M.D.LXVI, in f.

IV. Idem conſulum triumphorumq; Romanorum catalogum conſcripſit. Hunc incipit à Cæſaris Auguſti morte: finit in Urbe Roma per Gothos qvartum capta, id eſt, in anno Urbis 1299, Chriſti 547. Prodiit, Faſtis ſubjunctus, Brugis Flandrorum M.D.LXVI, in f.

V. Idem C. Julii Cæſaris genealogiam concinnavit. Hanc à C. Julio, L. F. Julo, qvi conſulatum anno Urbis 264, Mundi 3461, ante C. N. 487, geſſit, orditur: finit in Pompeja, qvæ Cæſaris, ex Julia filia, Cn. Pompeji uxore, neptis fuit: & patre (anno Urbis 705, Mundi 3902, ante C.N. 46,) interemto, ipſa qvoqve, ſi Floro credimus lib. IV, cap. II, §. 90, ex imperio avi, periit; at, ſi audimus Hirtium de bello Africano cap. XCV, ab avo incolumitatem accepit.

VI. Præterea C. Julii Cæſaris vitam litteris conſignavit. Eam, præmiſſis qvibusdam de origine gentis Juliæ, incipit à nativitate Cæſaris, qvæ in C. Marii ſextum & L. Valerii Flacci conſulatum, ſive annum Urbis 653, Mundi 3850, ante C.N. 98, incidit: finit in ejusdem interitu, ſive anno Urbis 709, Mundi 3609, ante C.N. 42.

VII. Cui operi compendioſam eorum, qvæ poſt cædem Julii Cæſaris geſta ſunt, narrationem addidit. Hanc à parentatione qvam S.P.Q. Romanus Cæſari habuit, orditur: & in Cleopatræ, Ægyptiorum reginæ interitu, ſive anno Urbis 723, Mundi 3920, ante C.N. 28, finit.

VIII. Prodierunt, cum Julii Cæſaris vita, & ejusdem genealogia, & rerum poſt ejusdem interitum narratio, additis nummorum figuris,

guris, qvos Cæſar, Brutus, Casſius, aliiq;, Cæſaris percusſores & æqvales, cudi jusſerunt, Brugis Flandrorum M.D. LXIII, in f.

IX. Qvin & Cæſaris Auguſti Octaviani vitam condidit. Eam incipit à morte Julii Cæſaris, ſive ab ejusdem qvinto & M. Antonii conſulatu, anno Urbis 709, ante C. N. 42: finit in Auguſti morte, qvæ in annum Urbis 766, Chriſti 14, incidit.

X. Eidem operi, cum genealogiam Cæſaris Auguſti, tum Legatos, qvi ob res ſub ejusdem auſpiciis bello præclarè geſtas, ornamentis triumphalibus donati ſunt, ſubjunxit. Prodiit Auguſti vita, cum his additamentis, & nummorum, qvos Auguſtus cudit, figuris, Brugis Flandrorum M. D. LXXVII, in f.

ARTICULUS III.

Judicia de Huberto Goltzio.

I. Ludovicus Carrio commentario II, antiqvarum Lectionum, cap. III: *Noſter Goltzius, alter in Græca & Romana antiqvitate inveſtiganda Varro.*

II. Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. LXXVIII: *Hubertus Goltzius, cui antiqvitas Græca & Romana, ſecundum Onuphrium Panvinium, Antonium Auguſtinum, Fulvium Urſinum, debet plurimum, arte cælandi ac ſcriptis propriis ad utramq; multum contulit.*

III. Melchior Adamus in H. Goltzii vita extrema: *Magna profectò debetur gratia viro ingenioſisſimo & laborioſisſimo, cui Germania parem, nedum ſuperiorem, in hoc tali antiqvitatis ſtudio non habuit: qviqve nullum ferè Spiritum tranqvillum duxit, qvò aliqvid in Reipublicæ litterariæ conferret utilitatem.*

CAPUT LXVIII.

ABRAHAMUS BUCHOLCERUS.

ARTICULUS I.

Abrahami Bucholceri Vita.

I.

ABrahamus Bucholcerus, patrem Georgium, ad B. Nicolai apud

Berolinenſes Eccleſiæ Præpoſitum, avum Andream, ſeptem lingvarum peritia celebrem, proavum Vincentium, abavum Joannem, atavum Joannem, qvi, cum ejus majores in Miſniæ ſolo avita prædia poſſediſſent, primus ſuæ ſtirpis in civium Brandenburgenſium numerum anno M. CCC. LXXX, venit; matrem Annam Joreſiam habuit. His genitoribus anno M. D. XXIX, die XXVIII Septembris, Schönavii, prope Dahmam in Saxonia oppidum, pago in lucem eſt editus.

II. Adoleſcentiam ſuam, præceptore Paulo ab Eitzen uſus, in Gymnaſio Colonienſi ad Svevum, erudivit. Inde in Academias, Francofurtanam ad Viadrum, & Witebergenſem ad Albim profectus, Philippum Melanchthonem, cujus ætate qvod natus eſſet, ſe felicem prædicabat, aliosq; claros viros audivit. Præter Græcas & Hebraicas litteras, Philoſophiam & Theologiam ſibi familiarem reddiderat, cum in Sileſiam cogitavit, ætatis anno XXVI; regionem, ex qvâ multos amicos ſibi conciliaverat, plures notaverat proveniſſe doctos viros, perluſtraturus. Witebergâ per Luſatiam in has oras delatus, viſis aliis urbibus, Freiſtadii apud Joachimum Curæum, Medicum & Hiſtoricum clarisſimum divertit. Hoc itinere defunctus, in Saxoniam rediit.

III. In fatis fuerat, ut in eâ terrâ mox certum domicilium acciperet, in qvâ diverſorium brevi deſerendum qvæſiverat. Nam poſt ſemeſtre ſpatium, anno M. D. LVI, Grunbergenſis Scholæ gubernacula ſuſcepit. In hac adeo feliciter docuit, ut in eandem qvidam ex vicina Marchiæ Academia Francofurtana juvenes ſe conferre non dubitaverint. In ſcholaſticorum laborum ſolatium, anno M. D. LVII, Annam, patre Laurentio Calmanno, Civitatis Grunbergenſis Notario, genitam, ſibi deſpondit, teneriôris ætatis virginem. Qvam, cum ad paulo majorem perveniſſet maturitatem, anno M. D. LIX, in torum aſſumſit.

IV. Poſt hæc, gnarum Theologiæ virum, plures civitates eccleſiaſtica ſparta cenſuerunt dignum. Nam anno M. D. LXIII, Sprottavia ſibi elegit Paſtorem, & accepit: qvem fruſtra expetivit anno M. D. LXVIII, Frauſtadium: anno M. D. LXXI, Lubena. Vocatus à Catharina, Henrici Ducis Brunſvicenſis Vidua, in aulam Croſnenſem anno M. D. LXXIII, venit. In hac per annuum tempus Theologica provincia defunctus erat, cum vitâ Catharina finiret. Hinc Eleutheropolitanam in Glogoviano Sileſiæ Ducatu Eccleſiâ docendam accepit. Cujus amore mutuo permo-

tus

tus, cum à Joachimo Erneſto, Principe Anhaltino, ad honorabilem ſtationem anno M. D. LXXVIII, invitaretur, migrare ſedem recuſavit.

V. Cum Theologicis curis Chronologicas ſæpius copulavit, ſcriptisq; clarus, cum nobilisſimis ſæculi ſui viris, non intra Sileſiam modò, ſed in aliis etiam Germaniæ provinciis, amicitiam coluit. Anno M. D. LXXXIII, amiſsâ conjuge, novem liberorum matre, ad matrimonium ſecundum, ſed ſterile, tranſiit. Cum annos LIV, menſes VIII, dies VI, vixisſet; annum à Martini Lutheri, centeſimum; à Chriſti nativitate M. D. LXXXIV, diem XIV Junii, ſtili novi, emortualem, apud Freiſtadienſes, habuit.

ARTICULUS II.
Abrahami Bucholceri Scripta.

Abrahamus Bucholcerus Romanorum Conſulum catalogum nobis reliqvit. Hunc à primis Conſulibus, L. Junio Bruto, & L. Tarqvinio Collatino, ſive ab anno Urbis 245, (ante C.N. 506.) qvem ipſe qvidem Orbis 3464, at alii 3442 annum ſtatuunt, incipit: finit in C. Vibii Panſæ (cui occiſo Cæſar Auguſtus succesſit) & A. Hirtii conſulatu, ſive anno Urbis 710, (ante C. N. 41) qvem ipſe qvidem ab orbe condito 3929, at alii 3907, contendunt eſſe. Prodiit Gorlicii M. D. XC, in 4.

CAPUT LXIX.
JANUS GUILIELMUS.
ARTICULUS I.
Jani Guilielmi Vita.

I.

JAnus Guilielmus Lubecam, liberam imperii Romani urbem, anno M. D. LV, accepit patriam. Cum plures intra Germaniam Academias ſe cive auxisſet: nobilium qvorundam juvenum comes, in Galliam abibat. Pariſiis qvæſtiones Plautinas, alibi alia eruditionis ſuæ documenta edebat.

II. Clariſſimum ab ingenio & ingenii monumentis nomen conſecutus, præ cæteris, Augerium Gislenium Busbeqvium, Janum Gruterum, Juſtum Lipſium, Paulum Melisſum, Erricum Memmium, Joannem Pasſeratium, Petrum & Franciſcum Pithæos, Joſephum Scaligerum, Jacobum Auguſtum Thuanum, amicos habuit.

III. Contractâ ex nimiis caloribus ægrimoniâ, nondum ætatis trigeſimum annum ingreſſus, Avarici, qvam in finibus Celticæ Galliæ urbem, Jacobum Cujacium auditurus, vix intraverat, vitam morte commutavit anno M. D. LXXX, eâ nocte, qvam undecima Septembris lux, Calendarii novi, eſt ſubſecuta.

IV. Videantur, Juſtus Lipſius cent. I, epiſt. LXXXIII, ad Paulum Melisſum: Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. LXXX: Janus Gruterus in manibus Guilielmianis: Idem parte II, Chronici Chronicorum eccleſiaſtici, cujus autor Joannes Gualterius audire maluit: Melchior Adamus in vitis Philoſophorum.

ARTICULUS II.
Jani Guilielmi Scripta.

Janus Guilielmus de magiſtratibus Reip. Romanæ, dum in libertate Urbs fuit, libellum compoſuit. Prodiit in Rep. Romana, qvam Petrus Scriverius publicavit, Lugduni Batavorum M. DC. XXVI, in 16.

ARTICULUS III.
Judicia de Jano Guilielmo.

I. Jacobus Scheckius obſervationum præmesſis, epiſtola III: *Qvod docuit è Plauto Livioq; Gvilielmus noſter, juvenis malo litterarum denatus.*

II. Juſtus Lipſius lib. II, Electorum, cap. XVI: *Sanè amabam adoleſcentem inſigni indole, magna ſpe: nec facilè ingenium videram (juvenile qvidem) magis mihi ad guſtum. Libelli judicio meo teſtes, Qvos in critico iſto genere paucos edidit; ſed probos doctosq;, & qvos haud temerè invidiæ dens atteret, aut lima labentis ævi.*

III. Caſpar Barthius Animadverſionibus ad Gratii Cynegeticon v. 1: *Eamq; phraſin fruſtra Latinitatis damnavit Janus Guilielmus, flos Germaniæ ingeniorum illibatus.*

CAPUT

CAPUT LXX.
CAROLUS SIGONIUS.
ARTICULUS I.
Caroli Sigonii Vita.

I.

CArolus Sigonius patriam in Italia Mutinam habuit. Romulo Amaſæo præceptore gaviſus, cum eruditionem conſpectiorem ſibi comparaviſſet, humaniores litteras, Joannis Baptiſtæ Egnatii ſucceſſor, Venetæ pubi diſcendas propoſuit. Poſtea in Patavino Gymnaſio, tandem in Bononienſi Academia Profeſſorem egit.

II. Cum Franciſco Robortello & Nicolao Gruchio, à qvibus maximè circa Romanas antiqvitates disſenſit, ſcriptis certavit. Mutinam profectus, ſenectuti ſuæ tranqvillam ſedem paraturus, ægritudine correptus eſt. Hac ibidem exſtinctus, ſepulcrum invenit, qvietum ultimumq; domicilium, cum LX ætatis annum expleviſſet, Chriſtianus orbis ageret à Servatore nato M.D. LXXXV.

III. Videantur, Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. LXXXII: & Antonius Riccobonus lib. I, de Gymnaſio Patavino, cap. XVI.

ARTICULUS II.
Caroli Sigonii Scripta.

I. Carolus Sigonius de Romanorum nominibus librum ſcripſit. Prodiit tomo I, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, qvos Fridericus Sylburgius conjunxit, Francofurti ad Mœnum, M.D.LXXXVIII, in f.

II. Idem de antiqvo civium Romanorum jure libros II compoſuit. Prodierunt Venetiis M. D. LX, in 4: Pariſiis M.D. LXXVI, in f: Hanoviæ M. DC. IX, in f.

III. Idem de antiqvo Italiæ jure libros III concinnavit. Prodierunt Venetiis M. D. LX, in 4: Pariſiis M. D. LXXVI, in f: Hanoviæ M. DC. IX, in f.

IV. Præterea de antiqvo Romanarum provinciarum jure libros

III litteris conſignavit. Prodierunt Venetiis M. D. LXVII, in 4: Pariſiis M. D. LXXVI, in f: Hanoviæ M. DC. IX, in f.

V. Qvin & de judiciis Romanis libros III poſteritati reliqvit. Prodierunt Pariſiis M. D. LXXVI, in f: Hanoviæ M. DC. IX, in f.

VI. Idem ad Titi Livii hiſtorias Chronologiam conſcripſit. Eam à Roma condita, ſive ab anno Mundi 3198, ante C. N. 750, incipit: finit in Druſi Neronis & T. Qvinctii conſulatu, anno Urbis 744, Mundi 3941 ante C. N. 7. Prodiit, Livio ſubjecta, Francofurti ad Mœnum M. DC. XXVIII, in f: cum Sigonii ad eandem ſcholiis, Venetiis M. D. LV, in f: ibidem M. D. LXVI, in f: Francofurti ad Mœnum, M. D. LXVIII, in f: ibidem M. D. LXXVIII, in f.

VII. Idem faſtos Capitolinos in ordinem redegit, ſupplevit, & perpetuo commentario illuſtravit. Incipit eos à Romulo, cujus cum ipſa Roma imperium cœpit: finit in Cæſaris Auguſti morte, anno Urbis 766, Chriſti 14. Prodierunt, cum commentario, Venetiis M. D. LVI, in f: inter hiſtoriæ Romanæ Scriptores, qvos Henricus Stephanus publicavit, M. D. LXVIII, in 8: qvos Fridericus Sylburgius edidit, cum ejusdem Sylburgii diverſis locorum ſcripturis, tomo I, Francofurti ad Mœnum M. D. LXXXVIII, in f.

ARTICULUS III.

Judicia de Carolo Sigonio.

I. Onuphrius Panvinius commentario ad lib. II, faſtorum, annum Urbis M. LXXXIX: *De Carolo Sigonio Mutinenſi, qvem poſtremum omnium Venetiis cognovi, non eſt, qvod hic multa dicam, cum ſuperius ſæpe, tum ex inſtituto, tum obiter, de ejus diligentia, doctrina & probitate verba fecerim. Fateor autem, & ex ejus lucubrationibus excuſis, & ex diſputationibus, qvas cum eo familiariter Venetiis habui, multum in tota antiqvitate Romana me profeciſſe, cujus ille mirum in modum peritiſſimus eſt.*

II. Juſtus Lipſius cent. I, epiſt. LXXIX: *Item Carolus Sigonius in Italiá abiit, reliqvum in eâ gente lumen.*

III. Ludovicus Carrio commentario II, antiqvarum Lectionum, cap. III: *Carolus Sigonius Italiæ Sol, qvi princeps aliis ad Romanã hiſtoriam in lucem, è ſitu pulverulento, in qvô oppreſſa miſerè jacebat, eruendam ſignum ſuſtulit.*

IV. Ja-

IV. Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. LXXXII: *Monumentis variis editis ad æternitatem victuris, antiqvitatem Romanã, iisdem, qvibus Onufrius Panvinius, veſtigiis inſiſtens, & poſteriora tempora unus poſt omnes maximè illuſtravit.*

V. Joannes Roſinus in præfatione, qvam antiqvitatum Romanarum libro VIII præmiſit: *Publicè nobis* (Joannes Roſa) *in illuſtri Academia Jenenſi prælegebat Caroli Sigonii, viri doctiſſimi, & antiqvitatis reſtauratoris omnium, qvos Italia habet, præſtantiſſimi faſtos & triumphos.*

VI. Stephanus Vinandus Pighius ad Lectorem præfatione, qvam annalium tomo I præmiſit: *Video me præventum eſſe à doctiſſimo totiusq; Romanæ hiſtoriæ peritiſſimo viro Carolo Sigonio.*

VII. Laurentius Rhodomannus ad Lectorem epiſtola, qvam Diodoro Siculo præmiſit: *Excellentis doctrinâ & diligentiâ accuratiſſimæ vir Carolus Sigonius.*

De antiqvo jure Italiæ.

VIII. Anaſtaſius Germonius pomeridiana ſeſſione II: *Si qvid amplius de ſingulis Latii tam veteris, qvam novi partibus ac civitatibus ſcire mavultis, videte diligenter apud Carolum Sigonium librum primum de antiqvo jure Italiæ, nihil amplius erit, qvod deſideretis. Breviter enim & eleganter populos omnes, qvi Latii finibus ſepti erant, deſcribit; eorumq; mores inſtituta ac fœdera cum Romanis percuſſa recenſet, &, qvid jus Latii eſſet, & qvemadmodum à Romano atq; Italico differret, ſubtiliſſimè demonſtrat.*

De faſtis Romanis.

IX. Georgius Fabricius de Roma cap. I: *Marmora in foro Romano effoſſa explicavit & reſtituit Carolus Sigonius in faſtis, ſingulari induſtria, magno labore, accurata diligentiâ.*

CAPUT LXXI.

ANTONIUS AUGUSTINUS.

Articulus I.

Antonii Auguſtini Vita.

I.

ANtonius Auguſtinus patris cognominis in Aragonia Procancellarii, ab Ordinibus repetundarum poſtulati, ſed à Carolo Rege Bruxellis ſolenni judicio abſoluti, filius, Cæſarauguſtam, Celtiberorum urbem natalem habuit.

II. Ob raram antiqvitatis, exqviſitam juris Romani & Pontificii cognitionem à Pontifice inter litium dijudicandarum Duodecimviros Romæ locum accepit. Poſt hæc Aliſanius, deinde Ilerdenſis Epiſcopus, tandem Archiepiſcopus Tarraconenſis in Hiſpania creatus eſt.

III. In apparatu editionis tam Græcorum, qvam Latinorum Conciliorum, annos LXX, menſes II, totidem dies in his terris commoratus, die XXXI Maji, anno M.D.LXXXVIII, emigravit.

ARTICULUS II.
Antonii Auguſtini Scripta.

I. Antonius Auguſtinus de Romanorum familiis opus compoſuit. Ex eo XXX familiæ, qvas ad Fulvium Urſinum transmiſerat, editæ ſunt. Prodierunt, Urſini de Romanis familiis libro ſubjunctæ, Romæ M.D.LXXVII, in f: Pariſiis, editore Carolo Pantino, M.DC.LXIII, in f.

II. Præterea duos libros, unum de legibus, alterum de Senatusconſultis Romanorum conſcripſit. Prodierunt, cum veterum legum Senatusconſultorumq; fragmentis, & Urſini ad utrumq; librum notis, Lutetiæ M.D.LXXXIV, in f; Lugduni M.D.XCII, in 4.

ARTICULUS III.
Judicia de Antonio Auguſtino.

I. Petrus Victorius lib. XXXVIII, variarum Lectionum cap. IX: *Huic gravi malo remedium, qvod potuit, adhibuit, doctiſſimus & optimus vir, Antonius Auguſtinus.* Ibidem poſt pauca: *Sed redibo ad Auguſtinum. Eſt ille qvidem multo gravioribus litteris inſtructus, & iis demum omnibus, qvæ conveniunt perſonæ epiſcopi, qvam ſuſtinet: ſed tamen has qvoqve humaniores litteras enixè adjuvit, ut notum omnibus ſtudioſis ipſarum.*

II. Andreas Schottus lib. V, obſervationum humanarum, cap. XXXIV: *Pertendere eſt animus in jure non nihil enucleando,*

cum magno illo & nunqvam ſatis laudato juris ſacerdote, Antonio Auguſtino.

III. Caſpar Barthius lib. XXXIV, Adverſariorum cap. XII: *Hic Oratoris locus ab Hotomanno, Auguſtino, Pantagatho, celeberrimis litterarum heroibus, variè interpolatus eſt.* Et lib. XL, cap. XIV: *Duram originationem, ait Antonius Auguſtinus, vir ſummus.*

CAPUT LXXII.

FRANCISCUS HOTOMANNUS.

ARTICULUS I.

Franciſci Hotomanni Vita.

I.

FRanciſcus Hotomannus, ex antiqvâ Otmannorum familiâ, qvæ Sileſiarum capiti, Vratislaviæ, qvondam ſpectabiles Senatores dedit, ortus eſt. Avus ei fuit Lambertus, qvi ſub Ludovico XI, Gallorum Rege, primus ex Otmannis larem Pariſiis fixit, honeſtam & prædivitem conſecutus uxorem, civis Pariſienſis filiam, octodecim poſtea liberorum matrem. Ex qvibus Joannes ad eas facultates pervenit, ut Franciſco Regi ad Ticinum capto numeroſam pecuniæ vim ſolus fide ſuâ procuraverit: Petrus autem regiis per Galliam fluminibus & ſilvis præpoſitus, tandem ſupremo Pariſienſium Senatorum ordini adſcriptus eſt. Huic, ex Paulâ Vedaſti filia, noſter Franciſcus (cui ſoror unica, novem fratres acceſsére) primogenitus, die XXIII Sextilis, anno M. D. XXIV, Pariſiis ſuſceptus eſt.

II. Puer nobilisſimus eo tempore magiſtris ſubditus, â XV, ætatis anno in Aureliana ſchola triennium ſcientiæ juris impendit. Domum revocatus, ut Senatoriæ dignitati aliqvando capeſſendæ (cui de patris ſententiâ deſtinabatur) animum præpararet, forenſi militiæ initiabatur. Sed â tetricis fori negotiis alienior, ſæpius ad manſvetiora ſtudia recurrebat.

III. Id temporis, & Rex, & regni Curia, Proteſtantes, tanqvam divinæ ſimul & regiæ majeſtatis hoſtes, ſeveris edictis ad ignes damnabant. Damnatos, ne ad exqviſitisſima qvidem carnificum tormenta,

qvicqvam de alacritate firmitateq; animi remittere, Hotomannus aliqvoties probè notaverat. Hujus rei admiratione ductus, cum in veritatis, qvam ſupplicio afficiendi profitebantur, certitudinem inqvireret, Religionis, qvam hactenus amplexus fuerat, errores perſpexit & abjecit.

IV. Poſt illa, neq; patri Romanarum traditionum tenaciſſimo (à qvô, cum revocari ad priora Sacra non poſſet, exhæredabatur) tolerabilis, nec in patriâ urbe tutum ſibi locum ſpeculatus, anno M.D.XLVII, clam ſe Lugdunum recepit. Hinc Genevam Allobrogum ad Joannem Calvinum, cujus etiam contubernio fuit uſus, tranſiit. Inde Lauſannam, ad capiendam humaniores litteras docendi provinciam, à Rep. Bernenſi oblatam, disceſſit. Ibi Theodorum Bezam, Græcæ lingvæ doctorem, collegam habuit: virginem Claudiam, Aubelino Bruerio & Franciſca Bracheta procreatam, uxorem ſibi conjunxit. Poſtmodum apud Argentoratenſes profeſſorem juris egit.

V. Editis hactenus ingenii monumentis, famam ubiqve conſecutus, plurium excitaverat deſiderium. Ab Alberto, Boruſſorum Duce, ad Conſiliarii dignitatem in aulâ, juris Romani cathedram in Academia Regiomontana, opimo ſalario; à Comitibus Haſſiæ provincialibus ad Marpurgenſis Academiæ ſuggeſtum ſæpius, ſemel per Hubertum Giſanium, rarâ humanitate, invitabatur: ut de aliis, à qvibus ad pares ſimilesve honores ſuſcipiendos, ſed æqvè irrita ſpe, vocabatur, nihil dicam.

VI. Poſt hæc admiſſionum in regiâ Navarrena magiſter, conſiliis eorum, qvi pro Carolo IX, Rege Gallorum, immaturæ adhuc ætatis, imperium adminiſtrabant, adhibitus, bis in Germaniam miſſus, regium Legatum egit, atqve in Francofurtanis imperii Romani comitiis orationem habuit.

VII. Argentoratum reverſus, à Joanne Monlucio, Valentino Epiſcopo, precibus multis perſvaſus, Valentinæ tum collabentis Academiæ ſtatum, intra triennium, tum aliis, tum & vicinâ, qvæ in Gratianopolitana civitate fuerat, Academiâ Valentinæ adunitâ, florentisſimum effecit.

VIII. Deinde à Margareta Francica, Biturigum & Allobrogum Principe, præter annuum ſtipendium, palatium ſuum inhabitandum of-
ferente,

ferente, vocatus, Avaricum Biturigum abiit. Eâ in urbe qvinis menſibus ſubſtiterat, cum ob pacem Proteſtantibus dubiam, Aureliam concederet. Hinc in Sacrocæſarienſe oppidum, qvod in provincia Bituricenſi ad Ligerim eſt, ſe abdidit. Hoc, cum intraſſet, parum aberat, qvin per fraudem unâ portarum occupatâ, expugnaretur. Paulò pòſt ab eadem Margareta revocatus, Avarico ſe reddidit. Inde, cum Pariſienſis nuptiarum ſolennitas omnibus à Romana religione alienis per univerſam Galliam parturiret exitium, in tempore ſui memor, emigrabat; ſicariis poſtea neqvicqvam ibi qvæſitus. Qvâ fuga, cum vitam ſervaret incolumem, relictam omni ſupellectile familiari chariorem Bibliothecam, direptoribus patentem, amittebat.

IX. Genevam, qvaſi ex naufragio, ingreſſus, cum à nobilisſimis juvenibus, in iis etiam Germaniæ Principum filiis urgeretur, exigentibus, non modò permittentibus civitatis rectoribus, docendi laborem in ſe ſuſcepit. Tandem ſingularis amici, Theodori Zuingeri, freqventibus litteris invitatus, Baſileam Rauracorum ſe conferebat. Qvô loco ut ſponte diſcederet, à Bataviæ ordinibus, per Janum Douſam & Juſtum Lipſium, ad ornandam Lugdunenſem Academiam ipſum vocantibus, perſvaderi non poterat; facilè adductus, ut domi ſcholam inſtitueret, qvam peſte coactus diſſolvit.

X. Baſileâ Mompelgardum, Seqvanorum oppidum, digreſſus, uxorem, cum qvâ XXIX annos vixerat, undecim liberorum parentem, amiſit. Genevam ad defunctæ conjugis ſorores, jam ſexagenarius reverſus, ſenectuti qværebat otium. Sed labori concatenato adſvetus, cum ſemper inveniret, qvod ageret, in hydropem, qvam tympaniten vocant, eò ſibi graviorem, qvò majorem vitæ partem à morbis immunem transegerat, incidit: eâ tempeſtate, qvâ Dux Allobrogum ſummis viribꝰ Genevenſi bello incumbebat, vicina civitatis loca præſidiis complexus, unde in oppidanos qvotidiè irrumperet. Hotomannus igitur, ut ab armorū ſtrepitu, cujus tum impatientior erat, ſe vindicaret, & ex cœli mutatione levamen ægrimoniæ caperet, ſuū potius, qvam amicorū ſecutus conſiliū, Baſileā repetiit. Ibi adauctis & in certos tomos diſtributis, qvos ſcripſerat, libris; fruſtra Medicis, qvanqvā præſtantisſimis, profligare morbum laborantibus, cum annos LXV, menſes V, dies XX, ſuperfuiſſet, die XII Februarii, anno M. D. XC, inter homines agere deſiit.

XI. Videantur Petrus Neveletus Doſchius, in Hotomanni elogio,

 ad

ad Jacobum Bongarſium ſcripto: Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. XCIX: Janus Jacobus Boiſſardus parte III, virorum illuſtrium, icone XXI.

ARTICULUS II.
Franciſci Hotomanni Scripta.

I. Franciſcus Hotomannus de populi Romani legibus compoſuit librum. Prodiit Baſileæ M. D. LVII, in 8.

II. Idem de populi Romani re nummaria librum poſteritati reliqvit. Prodiit Genevæ M. D. LXXXV, in 8.

ARTICULUS III.
Judicia de Franciſco Hotomanno.

I. Gaſper Schoppius lib. I, Veriſimilium, cap. XIX: *Hanc* (formulam) *& politisſimus ſvavisſimæq́ apud omnes doctos memoriæ vir, Franciſcus Hotomannus, qvô Sol meliorem & doctiorem non illuxit alterum, pluribus exemplis corroborâvit.*

II. Caſpar Barthius Animadverſionibus ad Gratii Cynegeticon v. 374: *De qvibus vide eorum commentaria: Hotomannum præſertim JCtum eximiè antiqvitatis gnarum & Jurisprudentiæ myſtam ferè incomparabilem.* Idem lib. II, Adverſariorum, cap. V: *Franciſcus Hotomannus inter principes elegantiores JCtos ferè princeps.* Et lib. XLVI, cap. XIX: *Franciſcus Hotomannus vir de Jurisprudentia ſimul & litterarum omni genere bene meritisſimus.*

CAPUT LXXIII.
GUIDUS PANCIROLUS.
ARTICULUS I.
Guidi Panciroli Vita.

I.

GUidus Pancirolus patriâ Reginus, natione Italus, patre Alberto JCto, die XVII, Aprilis, anno M. D. XXIII, natus eſt. Pueritiæ ſuæ formatores Sebaſtianum Corradum & Basſianum Landum nactus, cum in-

in Latinis & Græcis litteris egregia fundamenta jeciſſet, XIV ætatis anno prima juris elementa didicit. XVII annos natus, Ferrariam, ſtudiorum causâ, proficiſcebatur. Ticini Andream Alciatum, Bononiæ Marianum Socinum, Patavii Marcum Mantuam & Julium Oradinum, claros Juris interpretes, audiebat.

II. Nondum Academica Juridici Doctoris privilegia conſecutus, à Rep. Venetâ in Gymnaſio Patavino inſtitutiones juris Juſtinianeas docendi provinciam anno M. D. XLVII, accepit. Hanc per ſeptennium ſuſtinuit: per Marcum Mantuam publicâ Jurisprudentiæ Laureâ ornatus. Poſtea, cum Matthæus Gribaldus deceſſiſſet, ejus ſucceſſor, inter verſpertinos Juris Profeſſores ſecundum adeptus eſt locum, qvem ſedecim annis tenuit; geminâ occaſione, qvâ provehi altiorem gradum poterat, neglectus. Id commoverat virum tot monumentis celebrem, tantoq; cum diſcentium applauſu docentem, ut patentem alibi ſpartam celerius arriperet.

III. Egregius ille JCtus Simon Craveta vitam ſuam Auguſtæ Taurinorum finierat. Hujus ſtationem ab Emmanuele Philiberto, Allobrogum Principe, oblatam, anno M. D. LXXI, mille aureorum annuô ſtipendio, ſuſcepit, è prima Cathedra jus imperatorium, collega Bernhardi Trotti, JCti, expoſiturus. Qvam ſub adventum ſenſerat, adeo non perdidit aulicam gratiam, ut à Carolo Emmanuele, Philiberti filio, ſimul patri defuncto ſucceſſerat, centum aureis adauctum ſalarium acceperit. Qvin ille plures addidiſſet, niſi fuiſſent, qvi, ne in exemplum traheretur, veriti, majorem liberalitatem disſvaſisſent.

IV. Poterat, his conditionibus contentus, ibidem ſubſiſtere; ſed oculis gravem Taurinenſis aëris intemperiem paſſus, metuebat, ne debilior illorum uſus, ad extremum in cæcitatem abiret. Qvare, cum hinc ſibi diſcedendum ſtatuisſet, à Senatu Veneto Patavium revocatus, qvanto cum dolore à Taurinenſibus, inprimis Allobrogum Principe, (qvi, promiſſo ampliore ſtipendio, retinere abiturientem neqvicqvam laboraverat) dimisſus, tanta cum voluptate Patavinis anno M. D. LXXXII, receptus eſt. Qvorum Lyceum tribus Juris luminibus Joanne Cephalo, Tiberio Deciano, & Marco Mantua orbatum, eò ardentiore priſtini Doctoris exſpectatione ducebatur, qvò majore ſcientia & docendi felicitate ipſum pollere, ſatis perſpexerat. In hoc Gymnaſio primus

fuit profeſſor, cujus ſtipendium ultra mille florenos excrevit. Nam ultimis qvidem annis mille, ſexcentos & octoginta qvotannis accepit.

V. Poſt hæc, à Gregorio XIV, & Clemente VIII, Pontificibus ut aulæ Romanæ conſultationibus adeſſet, majores & honores, & opes pollicitis, invitatus ampliorem ex monumentis porrò edendis famam tranſitorio in aula ſplendori, qvietem divitiis anteponens, Patavii, ad extremum vitæ ſubſtitit, qvam ibidem anno Chriſti M. D. XCIX, ætatis LXXVI, clauſit.

VI. Videantur, Antonius Riccobonus lib. III, commentariorum de Gymnaſio Patavino, cap. XII: & lib. VI, cap. XX: Jacobus Philippus Tomaſinus in illuſtrium virorum elogiis.

ARTICULUS II.
Guidi Panciroli Scripta.

I. Guidus Pancirolus de magiſtratibus municipalibus compoſuit librum: in qvo de veterum Romanorum Decurionibus, Duumviris, Defenſoribus civitatum, Suſceptoribus, Curatoribus Reipublicæ, annonæ, calendarii, Epiſcopis, Zygoſtate, Procuratoribus metallorum, Syndico, Irenarchis, Limenarchis, Ædilibus, Archeotis, Tabulariis, Logographis, Cenſualibus, Gymnaſiarchis, Xenoparochis, Camelariis, Nyctoſtrategis, Agonothetis, Maſtigophoris, Legatis, & Corporibus artificum agit.

II. Prodiit, utriusq; imperii Notitiæ ſubjunctus, Venetiis M. D. XCIII, in f.: & Lugduni M. DC. VIII, in f.

CAPUT LXXIV.
FULVIUS URSINUS.
ARTICULUS I.
Fulvii Urſini Vita.

I.

Fulvius Urſinus, Romanus, nobili genere paterno, ſed inhoneſta conſvetudine progenitus, à propinqvis ſuis, qvibus ingratus erat, negligebatur. A Gentili Delphino Romano, Baſilicæ Lateranenſis Canonico,

nico, antiqvitatis ſtudioſo, cujus ſibi gratiam per ingenium conciliaverat, ſuſceptus & liberaliter habitus, Latinarum Græcarumqve litterarum ſtudio ad ſecretiorem antiqvitatum cognitionem iter ſibi patefaciebat.

II. In æde Conſtantiniana Sacerdotium, qvô Gentilis antea functus erat, conſecutus, humanioribus ſe litteris modò non omnem addixit. In qvibus eâ circumſpectione verſari ſolitus eſt, ut nihil ex manu in publicum transire permitteret, niſi qvod longiore interpoſitâ morâ, prius accurata mentis æſtimatione penſitaverit.

III. Delphinis, in qvorum ædibus, & educatus fuit, & mortuus eſt, in grati animi teſtimonium adverſus eam familiam, cui plurima debebat, ſex aureorum millia legavit; hærede inſtituto Odoardo Farneſio Cardinali. Septuagenarius animam efflavit, die XVIII Junii, anno M. DC.

IV. Videantur, Angelus Roccha in Appendice, qvam Bibliothecæ Vaticanæ ſubjecit: Joannes Gualterius parte II, chronici chronicorum eccleſiaſtici: Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. CXXIII: Janus Nicius Erythræus Pinacotheca I, virorum illuſtrium, imagine IV.

ARTICULUS II.
Fulvii Urſini Scripta.

I. Fulvius Urſinus de familiis Romanis, qvæ in antiqvis numiſmatibus, ab Urbe condita, usqve ad Imperatoris Auguſti ætatem reperiuntur, opus condidit. Prodiit, cum ipſis nummorum figuris, Romæ M. D. LXXVII, in f: Pariſiis editore Carolo Pantino, M. DC. LXIII, in f.

II. Idem ad Petri Ciacconii de Romanorum triclinio, ſive conviviorum apparatu, & convivandi modo librum, adjecit appendicem. Qvæ, cum Ciacconii Triclinio, ubi prodierit, videatur ſuprà cap. LXVI, art. II, §. II.

ARTICULUS III.
Judicia de Fulvio Urſino.

I. Jacobus Auguſtus Thuanus lib. CXXIII, hiſtoriarum:

Fulvius

Fulvius Urſinus, patria Romanus, vir Græcè Latinèq; doctisſimus, ac purioris antiqvitatis indagator diligentisſimus.

De familiis Romanis.

II. Franciſcus Hotomannus de populi Romani re nummaria cap. V, extremo: *Earum* (nummorum formarum) *exempla paſsim exſtant in eorum libris, qvi ſtudioſè antiqvitates illas collegerunt. Inter qvos Fulvio Urſino & Adolpho Occoni, doctisſimis viris, palma conſenſu omnium tribuitur.*

III. Janus Nicius Erythræus Pinacotheca I, Virorum illuſtrium, Imagine IV: *Scripſit de familiis Romanorum elegantisſimè.*

De Triclinio Romano.

IV. Idem Erythræus ibidem: *Scripſit eruditisſimum de Triclinio Romano commentarium.*

CAPUT LXXV.

RICHARDUS STREINNIUS.

ARTICULUS I.

Richardi Streinnii Vita.

I.

RIchardus Streinnius, Auſtriacus Baro Swarzenavius, Conſiliarius Cæſareus fuit. Argentorati alibiq; juridicis politica & hiſtoriarum ſtudia conjunxit, Franciſci Hotomanni, cujus apud Argentoratenſes contubernio fuit uſus, ſalutare conſilium ſecutus.

II. His ſtudiis haud contentus, ad extremum Theologica ſuperaddidit: in qvibus eò ſcientiæ progreſſus eſt, ut Roberti Bellarmini Cardinalis dogmata publicis ſcriptis refellere, nihil ſit veritus. Naturæ ſatisfecit, die VIII, Novembris, anno Chriſti M. DC, ætatis LXIII.

ARTICULUS II.

Richardi Streinnii Scripta.

Richardus Streinnius XX annorum juvenis, Franciſci Hotomanni Biblio-

ni Bibliotheca uſus, Romanarum gentium familiarumq; ſtemmata compoſuit. Prodierunt ex Henrici Stephani Officina, M.D.LIX, in f.

ARTICULUS III.

Judicia de Richardo Streinnio.

I. Georgius Fabricius de Roma cap. I: *His addenda gentium & familiarum Romanarum ſtemmata viri pereruditi & præclaræ nobilitatis, Richardi Streinnii, Baronis Auſtriaci,*

De familiis Romanis.

II. Gerardus Joannes Voſſius de Philologia cap. XIII, §. IX: *De Romanis familiis pulcrè tractarunt Antonius Auguſtinus & Fulvius Urſinus, uti & Richardus Streinnius.*

CAPUT LXXVI.

JANUS JACOBUS BOISSARDUS.

ARTICULUS I.

Jani Jacobi Boisſardi Vita.

I.

JAnus Jacobus Boisſardus Veſontium, qvod in Burgundiæ Comitatu celebre oppidum eſt, anno M. D. XXVIII, nactus eſt patriam. Antiqvitatum præcipuè ductus ſtudio, ex Germaniæ Academiis in Italiam tranſiit. In eâ, qvicqvid veterum monumentorum invenit, pingendi peritisſimus, per ſexennium integrum annotavit.

II. Romæ aliqvando Rudolphi Cardinalis Carpenſis amœnisſimos in Qvirinali hortos, antiqvis marmoribus refertisſimos, cum ſodalibus intraverat. Longius ab his digreſſus, diſcedentibus reliqvis, in umbraculis abditus diu commorabatur. Clauſis interim foribus, inſcriptionibus aliisq; monumentis ſtilo delineandis reliqvam illius diei partem conſumebat. Altero mane iisdem laboribus addictum ut Cardinalis, ingreſſus hortos, animadvertit, miratus, qvomodo penetraſſet in eos advena, cum & occaſionem pernoctationis, & honeſtum animi propoſitum cognoviſſet, pro neglecta prioris diei cœna, jentacu-

 lo ju-

lo juvenem donari juſſit. Qvin eidem, opinione liberalior, qvæcunqve in palatio ſuo memorabilia poſſedit, deſcribendi depingendiqve poteſtatem fecit.

III. In Calabriam Neapoli profectus, cum tutum redituro latrocinia non permitterent iter, Hydrunto in Corcyram trajiciebat. Inde in Cephaleniam, & Zacynthum, deniqve in Peloponneſum venit. Hoc in loco, Hieroſolymam adituris, qvos Venetæ naves attulerant, animo Syriam cognoſcendi, ſe conjungebat. Ad eam tendenti ardentiſſima febris, in urbe Methona, impedimentum objiciebat. Ibi mercatoribus Venetis commendatus relinqvebatur. Poſteaqvam convaluerat, vicina loca maritima contemplationi ſubjiciebat.

IV. Poſt hæc, Claudii Antonii à Vienna, Baronis Clervantii, filiorum Franciſci & Gedeonis præpoſitus ſtudiis, per Galliam, Germaniam & Italiam iter confecit.

V. Depoſitas apud Sororem in Comitatu Montisbelligartenſi antiqvitates longo tempore, magno labore, multis itineribus, non ſine variis periculis, qvæſitas, Lotharingorum in eam provinciam irruptione omnes perdidit. Cujus jacturæ dolorem, eâ Romanarum inſcriptionum parte, qvam ante iſtam depopulationem in Lotharingiam Metas Mediomatricum transtulerat, non nihil mitigabat: præſertim, ad exſtruendum tanto amplius & perfectius antiqvitatum opus, plurimis ex Italia & aliunde imagines veterum monumentorum depictas transmittentibus. Metis, ubi ſedem fixerat, mortem obiit die XXX Octobris, ſt. n. anno Chriſti M. DC. II, ætatis LXXIV.

VI. Hæc, partim ex duabus Boiſſardi epiſtolis, qvarum priorem, ad Joannem Comitem Palatinum Rheni exaratam; poſteriorem, ad Hermannum Aghoerum Baronem, Calendis Januariis, M. D. XCIV, ſcriptam, antiqvitatibus ſuis præmiſit: partim aliunde conqviſita lectori damus.

Articulus II.

Jani Jacobi Boiſſardi Scripta.

I. Janus Jacobus Boiſſardus antiqvitatum Romanarum partes ſex, cum ex ſuis, tum ex aliorum autorum operibus adornavit, qvatuor tomis conſtantes.

II. Bois-

II. Boiſſardi, qvæ Romanorum veterum res explicant, aut repræſentant, ſeqventia reperiuntur: parte II, antiqvæ urbis Romanæ Topographia, ex Joannis Bartholomæi Marliani topographiæ Romanæ ſeptem libris maximam partem conſcripta. Cujus Marliani verbis retentis paſſim additiones inſeruit: omnia, qvæ poſt caput CXXXIV leguntur, cum tabulis elegantioribus antiqva monumenta referentibus, adjecit. Parte III, geminus libellus; prior de antiqvæ urbis Romanæ ſitu, origine, præcipuis ruinis & reliqviis: poſterior de Romanis antiqvarum litterarum notis, ad meliorem inſcriptionum intelligentiam, ex plurium autorum libris concinnatus: præterea inſcriptionum aliorumq; monumentorũ ex ſaxis & marmoribus Romanis collectorum tabulæ CL. Parte IV, qvæ tomus alter eſt, tabulæ CXLIX: parte V, qvæ tomum tertium facit, tabulæ CXXVII: & parte VI, qvæ ultimus tomus eſt, tabulæ CXLVI. Harum in prioribus qvidem duobus tomis, Theodorus de Bry Leodienſis, Civis Francofurtanus; in reliqvis autem tomis, ejus filii, Joannes Theodorus & Joannes Iſrael, ſculptores fuerunt.

III. In eo, qvô nos uſi ſumus, exemplo, antiqvitatum harum partes omnes Francofurti ad Mœnum, ſed diverſis annis, I, 1627: II, 1628, III, 1597: IV, 1598: V, 1600: VI, 1602, in f. prodierunt.

CAPUT LXXVII.

STEPHANUS VINANDUS PIGHIUS.

ARTICULUS I.

Stephani Vinandi Pighii Vita.

I.

STephanus Vinandus Pighius, Campenſis Belga, litteris primum domi, poſtea Lovanii cultis, in Italiam diſceſſit. Indagandis antiqvitatibus Romanis addictiſſimus, per octennium in Urbe ſubſtitit.

In Germaniam reverſus, Antonio Perenotto, Cardinali Granvellano, ultra qvatuordecim annos ab epiſtolis & Bibliotheca fuit.

II. Poſt hæc, Carolo, Guilielmi filio, Juliæ, Cliviæ, Montiumq; Duci præceptor morumq; formator adjunctus eſt: cum qvô ad Imperatorem, Pontificem, aliosq; Principes iter fecit. Cum Romæ fatum ſuum Carolus anno M. D. LXXV, obiisſet, Pighius redux, Sanctenſis Eccleſiæ Collegiatæ S. Victoris in Clivenſium Ducatu Canonicus & Scholarcha creatus eſt: poſt etiam à Cardinale Granvellano, Præpoſito Sanctenſi, vetere Patrono, Commiſſarii munere ornatus. Totus in litteris, valetudinis firmæ, laborum patientisſimus, LXXXIV annorum ſenex, die XIX Octobris, anno Chriſti M. DC. IV, decesſit.

III. Videantur, Joannes Winterus in Pighii vita: Andreas Schottus in præfatione, qvam ad Fridericum Borromæum Cardinalem, duobus Pighii annalium poſterioribus tomis præmiſit: Franciſcus Svveertius in Athenis Belgicis: Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica.

ARTICULUS II.

Stephani Vinandi Pighii Scripta.

I. Stephanus Vinandus Pighius ex Capitolinis faſtorum fragmentis à ſe in ordinem redactis & reſtitutis, duplices faſtos compoſuit: I, Magiſtratuum Romanorum; qvos ab Urbe condita, id eſt, ab anno Mundi 3198, ante C. N. 750, incipit: in Servii Sulpitii Galbæ & Titi Vinii Rufini conſulatu, anno Urbis 821, qvô Veſpaſianus ad imperium pervenit, Chriſti 69, finit. II, Triumphorum Romanorum; qvos â primo triumpho, qvem Romulus Rex de Cenninenſibus, Cruſtumerinis, & Antemnatibus, anno Urbis 4, Mundi 3201, ante C. N. 747, egit, orditur: & in A. Plautii Silvani triumpho, qvem anno Urbis 799, Chriſti 23, ex Britannia celebravit, terminat. Prodierunt utriq; faſti, tomo II, annalium præmisſi, Antverpiæ M. DC. XV, in f.

II. Idem tribus tomis, libris XVIII, rerum Romanarum annales condidit: in qvibus faſtos Capitolinos à ſe diſpoſitos & ſuppletos ſecutus, Romanorum in Rep. mutationes, poteſtatum imperiorumqve ſucceſſiones, acta, leges, bella, clades, victorias, manubias,

as, triumphos, illuſtria ſtemmata familiarumq; propagines, ad annos ſuos reducta, lectoribus repræſentat. Auſpicatur hos annales à Roma condita: terminat in anno Urbis 821, Chriſti 69, qvô Veſpaſianus imperium ſuſcepit.

III. Prodierunt, tomus I, qvem ipſe Pighius publicavit, Antverpiæ M. D. XCIX, in f: tomus II, & III, qvos à ſe auctos & perfectos Andreas Schottus (à qvo Pighius moribundus id in codicillis petierat) edidit, ibidem M. DC. XV, in f.

ARTICULUS III.
Judicia de Stephano Vinando Pighio.

I. Andreas Schottus in præfatione, qvam Pighii annalium tomo II, præmiſit: *Reapſe comperi, aliiśq;, ſpero, probabo; nullum aptiorem commentarium ad M. Tullii hiſtorica, ad T. Livii annales, ad Dionyſium Halicarnaſſenſem ac Dionem, ad L. Florum, ad ſcriptorem de viris urbis Romæ illuſtribus, omnesq; adeo Romanarum rerum ſcriptores, extra hos Pighii annales, nec ſperari, ac ne optari qvidem poſſe.*

II. Gerardus Joannes Voſſius lib. II, de Hiſtoricis Latinis, cap. VIII: *Tempora eos refellunt, qvi Auguſtino Eutropium faciunt juniorem. Ac mirum in iſto etiam aberraſſe virum temporum bene gnarum Stephanum Pighium Campenſem in annalibus Romanis ad annum Urbis IↃc XXVIII, ubi ſua de atroci Africæ peſtilentia ex locuſtis coorta exſcripſiſſe ait Eutropium ex Oroſio: qvi demum ſcripſit poſt Romam ab Alaricho captam. Ubi & alter error. Nihil enim de eo Eutropius. Credo, dicere voluit Paulum ſive Joannem Diaconum: in cujus hiſtoria miſcella eadem ex Oroſio tranſcripta legere eſt.*

CAPUT LXXVIII.
ADOLPHUS OCCO.
ARTICULUS I.
Adolphi Occonis Vita.

I.

ADolphus Occo, Adolphi Medici filius, Adolphi Medici Auguſtani nepos, Auguſtæ Vindelicorum, ex antiqva Occonis illius ſtirpe natus eſt, qvem, cum ſtrenui bellatoris in Germania præmium, cingulum militare, factus eqves auratus, accepiſſet, ſeu merâ invidiâ, ſeu, qvod patriæ libertati peregrinam nobilitatem præferre videretur, populares ſui Friſii, anno M. CCC. XCII, contrucidaverunt.

II. In civitate patriâ Medicus, publico ſtipendio medicamentis, qvæ majoris momenti ſunt, per Pharmacopolas rectè conficiendis præfuit. Hoc aliisq; modis de communi meritus, jam octogenarius ſenex anno M. DC. V, fatis ibidem conceſſit.

III. Videantur, Albertus Krantzius lib. X. Saxoniæ, cap. XIV: Martinus Cruſius annalium Svevicorum parte III, lib. VI, cap. III, extremo: Melchior Adamus in vitis Medicorum.

ARTICULUS II.
Adolphi Occonis Scripta.

I. Adolphus Occo numiſmatum à Romanis Imperatoribus cuſorum inſcriptiones collegit, qvas ubiqve inſertis hiſtoriis explicavit. Has nummorum explicationes incipit à Cn. Pompeji M. nativitate, qvæ in annum Urbis 647, Mundi 3844, ante C. N. 104, incidit: finit in morte Imperatoris Heraclii, qvæ incidit in annum Urbis 1393, Chriſti 641.

II. Prodiit hoc opus Antverpiæ M. D. LXXIX, in 4: multò auctius, cum paralipomenis, Auguſtæ Vindelicorum, M. DC. XXV, in 4.

ARTICULUS III.
Judicia de Adolphi Occonis Numiſmatibus.

I. Philippus Camerarius centuria II, Horarum ſubciſivarum cap. XIV: *Has & ſimiles inſcriptiones ex veterum numiſmatibus peculiari libro diligenter collegit eximius Medicus & eruditæ antiqvitatis ſolers indagator D. Adolphus Occo.*

II. Joannes Andreas Boſius exercitatione de Pontificatu maximo Imperatorum Romanorum, cap. II, §. XIII: *Cavebunt lectores,*

ne,

ne, qvod ſæpiſſimè fecit Occo, hujusmodi monumenta in tempora non ſua conjiciant.

III. Videatur de Occonis numiſmatibus judicium Franciſci Hotomanni ſuperius adductum cap. LXXIV, art. III, §. II.

CAPUT LXXIX.

JOANNES SARIUS ZAMOSCIUS.

ARTICULUS I.

Joannis Sarii Zamoſcii Vita.

I.

JOannes Sarius Zamoſcius patre Stanislao, Caſtellano Chelmenſi, Polonorum regni Senatore, procreatus, in Craſnoſtavenſi Gymnaſio prima eruditionis ſuæ fundamenta poſuit.

II. In Galliâ, diutisſimè Pariſiis ſubſiſtebat; in humanioribus qvidem litteris Adrianum Turnebum & Dionyſium Lambinum; in Philoſophicis autem ſcientiis Jacobum Carpentarium & Petrum à Penna præceptores nactus.

III. Hinc in Italiam digreſſus, ſtudiorum ſedem Academiam Patavinam conſtituit. Cujus Rector, & in aliis bene muneri ſuo præerat & Academicarum legum indigeſtum corpus in longè concinniorem redigebat ordinem. Cæterum Carolo Sigonio, præ cæteris ibidem Profeſſoribus familiariter utebatur.

IV. In Patriam reverſus, regni Procancellarius, ad Gallos anno M. D. LXXIII, Legatus cum aliis abiit, & ab Ordinibus lectum Polonorum Regem, Henricum Valeſium, Andium Ducem, Caroli IX, Gallorum Regis, fratrem, in publico Regis & Principum Franciæ conſeſſu, præclara oratione ad capiendum Polonicum ſceptrum invitavit.

V. Regni deinde Cancellarius (qvam dignitatem omni reliqva vitâ retinuit) & exercituum imperator, non modò Stephanum Bathorium, Daciæ Principem, qvi poſt Henricum gubernacula ſuſcepit; ſed & Sigismundũ III, Joannis III, Svecorũ Regis filium, Stephani ſucceſſorẽ, Polonorum Reges, acriter contra hoſtes propugnavit: eâ felicitate, ut ipſum Maximilianũ, Archiducem Auſtriæ, qvem pars Procerũ elegerat Regem,

Regem,cum adverſæ partis, qvæ Sigismundo regiam poteſtatem contulerat, aſſeclas armis ad obſeqvium trahere conaretur,prælio ſuperatum anno M. D. LXXXVIII, ceperit. Poſt hæc non minori conſtantiâ regno Polonico ſuam in Moſcovicis & Livonicis bellis fortitudinem probavit.

VI. Inter has militiæ curas,amœniorum ſtudiorum nihilô ſecius memor, in Urbe ſibi cognomine inſignem Academiam anno M. D. XCIV, excitavit. In qvam nullos ex Jeſuitarum ſocietate admiſit: alienioris in eo mentis à Rege Stephano,cum qvô in aliis ſummam & conſiliorum & affectuum conſenſionem habuit. Nam is Jeſuitas in regno ſuo non tantum toleravit, etiam coluit.

VII. Tandem ex Aula, qvæ tot merita non ex vero æſtimare videbatur,domum reverſus,cum in ſella profundis cogitationibus crederetur defixus,apoplexia repentina correptus eſt. Ex eâ,climactericum magnum ante paucos dies egreſſus annum, die III, Junii, anno Chriſti M. DC. V, deceſſit.

VIII. Hæc & longè plura de Zamoſcio tradunt, Reinoldus Heidenſteinius de bello Moſcovitico commentariorum libro III, IV, & V: Davides Chytræus Saxoniæ lib. XXIII, XXIV,& XXVIII: Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. CXXXIV: Salomon Neugebauerus hiſtoriæ Polonicæ lib. X: Simon Starovolſcius de Sarmatiæ bellatoribus cap. CXX: Idem de Scriptoribus Polonicis cap. XIX: Stanislaus Lubienskius in laudatione funebri, qvam Sigismundo III, Regi Polonorum ſcripſit: idem de Poloniæ motu civili, lib I: Paulus Piaſecius in chronicis geſtorum per Europam ſingularium,ad annum M. D. LXXXVIII, & ſeqventes: Robertus Jonſtonus de rebus Britannicis aliarumq; gentium lib. XII, extremo.

Articulus II.
Joannis Sarii Zamoſcii Scripta.

I. Joannes Sarius Zamoſcius de Romano Senatu libros duos compoſuit: in qvibus Senatorum Romanorum originem,ætatem,ordines,numerum, officia,poteſtatem,veſtitũ,honores,ritus aliaqve, teſtimoniis antiqvis exponit confirmatqve.

II. Pro-

II. Prodierunt Venetiis M. D. LXIII, in 4: Argentorati M. DC. VIII, in 8.

ARTICULUS III.

Judicium de Joannis Sarii Zamoſcii Senatu Romano.

Simon Starovolſcius de Scriptoribus Polonicis cap. XIX: *Libros de Senatu Romano multa lectione & eruditione refertos edidit.*

CAPUT LXXX.

JOANNES ROSINUS.

ARTICULUS I.

Joannis Roſini Vita.

I.

JOannes Roſinus Iſenaeum, in Thuringia oppidum, natale; Bartholomæum, Theologum, Philoſophiæ Magiſtrum, patrem habuit.

II. Pueritiam & adoleſcentiam primam, cum in Iſenacenſi, tum in Vinarienſi ſchola, liberalibus diſciplinis addictus, transegit. In Academiâ Salanâ Joannem Roſam, Logicæ, Ethicæ ſimul & Hiſtoriarum Profeſſorem, Caroli Sigonii faſtos Romanos publicè interpretantem audiebat. Inde ardorem Romanarum rerum accuratè pernoſcendarum, jam in pueritiâ conceptum, non mediocriter in ſe adaugeri ſentiebat. Qvare ſtudium Theologiæ, qvod præ cæteris ſibi colendum propoſuerat, humaniorum antiqvitatesqve tradentium autorum lectione ſæpius interpellabat. Cujus diligentiæ non exiguum fructum capiebat, cum in Ratisbonenſi Schola provinciam doctoris ſuſcepiſſet.

III. Poſtea civitatis Naumburgenſis, in Thuringiæ Miſniæqve confiniis, antiſtitem egit. Obdormivit Oſcherslebii, ſeptimo Januarii die, anno Chriſti M. DC. VI, ætatis LXVI.

ARTICULUS II.
Joannis Roſini Scripta.

I. Joanni Roſino debemus antiqvitatum Romanarum libros X: in qvibus de Romanorum Urbe, populo, diis, templis, ſacerdotiis, annis, diebus, feſtis, ludis, menſis, veſtimentis, nuptiarum funerumqve ritibus, comitiis, magiſtratibus, legibus, judiciis & re militari agit.

II. Prodierunt, Baſileæ M. D. LXXXIII, in f: Lugduni M. DC. IX, in 4: cum Thomæ Dempſteri paralipomenis, Aureliæ Allobrogum M. DC. XX, in 4: Coloniæ Agrippinæ M. DC. LXII, in 4.

ARTICULUS III.
Judicium de Joanne Roſino.

Caſpar Barthius Animadverſionibus ad Rutilii lib. I, v. 584: *Vide, qvæ notat doctiſſimus Demſterus ad librum IX, antiqvitatum Joannis Roſini, qvô nemo ferè minore ambitione utilius & planius res priſcas juventutem doceat.*

CAPUT LXXXI.
JUSTUS LIPSIUS.
ARTICULUS I.
Juſti Lipſii Vita.

I.

JUſtus Lipſius, die XVIII Octobris, anno M. D. XLVII, natus eſt. Ægidium Lipſium, Nicolai filium, Juſti nepotem, Juſti pronepotem, & Iſabellam Petiriviam, parentes; Iſcanum, Brabantiæ municipium, ad tertium lapidem à Bruxella & Lovanio ſitum, patriam habuit.

II. Sexennis Bruxellam, decennis Athum Hannoniæ, duodecennis Ubiorum Coloniam, ſtudiorum causâ, venit. Ingenii promtitudinem, tum aliis, tum carminibus, qvæ novennis ſcripſit, ſed & orationibus, qvas duodecim annos natus habuit, ſatis oſtendit.

III. Pa-

III. Patres ſocietatis Jeſu Colonienſes acceperat magiſtros. Horum exemplo adductus, ſolitariæ vitæ admirator, iſti ſocietati nomen ſuum adſcripſiſſet, niſi genitores huic propoſito repugnantes ſedecennem anno M. D. LXV, Lovanienſium ſcholæ tradidiſſent. In eâ, per ſe acer, ex egregiorum condiſcipulorum diligentiâ ſtimulum majorem ſenſit. In his Ludovicum Carrionem, Franciſcum Martinium, Arnoldum Deinium, maximè Martinum Antonium Delrium, Victorem Giſelinum, Janum Lernutium & Andream Schottum amicos habuit.

IV. Decimum octavum agebat ætatis annum, cum utrumq; parentem fato amitteret. Liberioris tum animi, Antonium Perenottum, Cardinalem Granvellanum, cui variarum Lectionum libros IV, dedicaverat, Italiam anno M. D. LXVII, ingreſſus, Patronum ſibi reddebat. Ei receptus in ædes, ut ab epiſtolis eſſet, Romæ circiter biennium adhæſit. Cujus temporis partem maximam antiqvitatibus & Bibliothecis, tum privatis, tum etiam publicis, inter has, ipſi Vaticanæ, perqvirendis impendebat: clariſſimis in Italia viris, qvibus ab ingenio innotuerat, Paulo Manutio, Fulvio Urſino, Latino Latinio, Hieronymo Mercuriali, Petro Victorio, Carolo Sigonio aliisq; charus.

V. Deinde Lovanium reverſus, nudus à tutoribus, in choreas, ludos, ſimilesq; voluptates pronior erat. Non multò poſt, Caroli Langii, veteris amici, admonitionibus ad frugem revocatus, Viennam Auſtriæ, in Maximiliani II, Imperatoris aulam, concedebat. Ibi ſemet Augerio Giſlenio Busbeqvio, Joanni Sambuco, Joanni Cratoni, Stephano Pighio ſic probavit, ut in Auſtriâ retinere juvenem, ſed neqvicqvam laborarent.

VI. Rediturus in patriam, cum ex Bohemia in Miſniam, hinc in Thuringiam contenderet, accepto nuntio, patrimonium à copiis in Belgio militantibus direptum eſſe, in Academia Jenenſi (Philoſophiæ Magiſter, neſcio qvô anno, Coloniæ Agrippinæ jam renunciatus) Hiſtoriarum & Eloqventiæ profesſionem, anno M. D. LXXII, ſuſcepit: qvam anno M. D. LXXIV, calendis Martiis, clam profectus, deſeruit.

VII. Coloniæ ducta uxore vidua, Anna Calſtria, in Iſcano ſuo qvieti ſe dare à turbulentis bellis prohibitus, Lovanium migrabat. Ibi, jam partâ legũ majore ſcientiâ, Juris utriusq; Doctor, anno M. D. LXXVI, ſolenniter creabatur.

 VIII. Poſt

VIII. Poſt hæc, ab anno M. D. LXXIX, apud Lugdunenſes in Bataviâ Profesſorem publicum egit. Annus agebatur M. D. XC, cum à Lugdunenſibus, qvaſi per Spadanos fontes acidos infirmitati corporis conſulturus, animô æger digresſus, Moguntiam venit, ibiq; Romanis ſacris ſubſcripſit.

IX. Ex eo, partim Leodii, partim Spadæ, ob acidulas, qvibus utebatur, hærebat. Tum verò, tanqvam Oraculum aliqvod, modò non totius Europæ ſuſpiciebatur oculis. Sed qvaſi nullius, cum omnium non posſet, implere deſiderium decreviſſet, qvot, qvantisq; nominibus, à qvibus invitabatur, deerat! Guilielmo Bojorum Duci; ejus fratri Erneſto, Ubiorum & Eburonum Antiſtiti; Wolfgango Theodorico Salisburgenſium, Julio Herbipolenſium, Andreæ Vratislavienſium, Præſulibus; Clementi VIII, Pontifici; Aſcanio Columnæ, Gabrieli Palæotto, Friderico Borromæo, Franciſco Sfortiæ, Cardinalibus; Henrico IV, Gallorum Regi; S. P. Q. Veneto; Ferdinando Hetruriæ, Franciſco Mariæ Roboreo Urbinatium, Ducibus; Patavinis, Bononienſibus, aliisq; Principibus & Rebuspublicis, partim viaticum & ſtipendium, qvod definiret ipſe, promittentibus, modeſtam repulſam dabat. Qvalem & Benedictus Arias Montanus in Hiſpaniâ tulit, in ædes ſuas, ut filium, non ut hoſpitem, recepturus; rerum omnium ſuarum participem facturus; hæredem ex aſſe ſcripturus.

X. Poſthabitis tot ſplendidisſimis conditionibus, apud Lovanienſes, ab anno M. D. XCII, ad obitum usqve, Profeſſorem egit, cui à Philippo II, Hiſpaniarum Rege, Hiſtoriographi regii titulus acceſſit.

XI. Magnis naturæ donis, amplisſimæ famæ; tamen, ſicut homo fuit, ita virtutibus ſuis: qvæ jure culpes, immiſcuit. Varius, apud Jenenſes, Proteſtantium; apud Lugdunenſes, Reformatorum; deniq; apud Lovanienſes, Romanam Eccleſiam, coluit, dicam, an ſimulavit à ſe coli? Qvin ſe talem gesſit, cui, qvod nulla probaretur, videretur perinde, qvam profiteretur Religionem. Si dictis factisq; certa fides, Pontificiis ſacris animo ſerio ad extremum fuit addictus, Deiparæ virginis cultor obſervantisſimus, adorator asſiduus. Hujus ſimulacro Hallenſi, qvod mireris, ultimo judicio lacernam ſuam pelliceam deſtinavit. Qvod religioſum pietatis documentum qvidam faceti homines in jocum vertere, qvam excuſare maluerunt; defuncti pelliceas ve-

ſtes

ſtes imagini convenire, cujus miracula, qvæ vivus prædicasſet, de multorum ſententiâ frigerent.

XII. Sterilis matrimonii, fœcundioris ingenii vir, liberorum loco libros à ſe compoſitos ſuo advenientibusq; ſæculis dedit. Lovanii, die XXIII Martii, anno Chriſti M. DC. VI, ætatis LIX, abiit, in æde Franciſcanorum ante aram S. Mariæ conditus.

XIII. Hæc & plura de Lipſio narrant, ipſe cent. II, epiſt. XXVII: cent. IV, ep. LXXV: cent. V, ep. LXXXVII: Jacobus Auguſtus Thuanus hiſtoriarum lib. CXXXVI: Aubertus Miræus in vita Lipſii: Joannes Wovverius in aſſertione Lipſiani donarii: Gaugericus Rivius in Lipſii principatu litterario: Erycius Puteanus in Lipſiomnemate anniverſario: Janus Jacobus Boiſſardus parte II, virorum illuſtrium, icone II: Joſephus Scaliger lib. II. epiſt. CXX: Rodolphus Botereus commentariorum lib. XIII: Thomas Sagittarius in Lipſio Proteo, cap. II, & ſeqventibus: Melchior Adamus in vitis Philoſophorum: Franciſcus Svveertius in Athenis Belgicis: Joannes Meurſius lib. II, Athenarum Batavarum: Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica: Janus Nicius Erithræus Pinacotheca III, virorum illuſtrium, imagine I: Adrianus Beierus Syllabo Rectorum & Profeſſorum Jenenſium.

ARTICULUS II.

Juſti Lipſii Scripta.

I. Juſtus Lipſius de militia Romana libros V, qvibus analecta ſive obſervationes addidit, rei litterariæ contulit. Prodierunt Antverpiæ M. D. XCVI, in 4: ibidem M. DC. II, in 4.

II. Idem Admiranda, ſive de magnitudine Romanâ libros IV compoſuit: in qvibus provincias, copias, colonias, vectigalia, tributa, ærarium, metallorum fodinas, impendia, dona, opera, ædificia, templa, fora, balnea, cloacas, aqvæductus, virtutes, aliaqve populi Romani præ cæteris inſignia deſcribit & explicat. Prodierunt, cum autoris notis, Pariſiis M. D. XCVIII, in 8: Antverpiæ M. DC. V, in 4.

III. Idem de Romano Amphitheatro librum conſcripſit; cui librum de Amphitheatris extra Romam, ſubjunxit. Prodierunt Antverpiæ M. DC. IV, in 4.

IV. Præterea duos Saturnalium Sermonum libros condidit, in qvibus agit de gladiatoribus, eorumq; ludis. Prodierunt, cum autoris notis, Antverpiæ M.DC.IV, in 4.

V. Qvin & de Veſta & Veſtalibus Syntagma poſteritati reliqvit. Prodiit, cum autoris notis, Antverpiæ M.DC.IX, in 4.

VI. Hæc Lipſii, qvæ hactenus qvidem commemoravimus, prodierunt in ejusdem Operum tomo II, Lugduni M.DC.XIII, in f.

VII. Eidem de Romani populi magiſtratibus librum poſthumum debemus. Prodiit, Helmſtadii M.DC.XXXVII, in 8: Daventriæ, M.DC.LI, in 12: in Rep. Romana, qvam Petrus Scriverius edidit, Lugduni Batavorum M.DC.XXVI, in 16.

Articulus III.
Judicia de Juſto Lipſio.

I. Ludovicus Carrio commentario II, antiqvarum Lectionum, cap. IV: *Qva in eadem opinione cum Lipſium eſſe video, hominem beneficiis plurimis, injuriâ nullâ mihi cognitum, & primarum artium in hac noſtra Belgica propè principem; vehementer, ut de aliis compluribus, ita de iſto, idem utriq; noſtrum in mentem veniſſe gaudeo, & exactiſſimo divini illius ingenii judicio, conjecturam meam probari triumpho.*

II. Joannes Bernartius commentario ad Statii lib. I, Silvarum, poëma I, verſum 84: *Lipſius noſter in tantum laudandus, in qvantum ſeſe vera virtus & ſolida eruditio extendunt.*

III. Joannes Iſaacus Pontanus notis ad Macrobii lib. VII, Saturnaliorum, cap. XVI: *Præluxit ad hanc correctionem clariſſimus Lipſius, ille, inqvam, qvi hodiè Belgio ſuo, imò Europæ univerſæ doctrinâ, virtute prælucet.*

IV. Scipio Gentilis commentario ad Apuleji apologiam, tmemate DV: *De ergaſtulis ſervorum apud Romanos eruditè, ut omnia, doctor noſter Juſtus Lipſius.* Et tmemate DCCCXXII: *De qva re vide ſis, qvæ doctor noſter eruditiſſimus Lipſius diſſerit.*

V. Joſephus Caſtalio decade II, obſervationum in Criticos, cap. III: *Juſtus Lipſius vir litterarum gloria florentiſſimus.* Et cap. IX: *Eximiæ vir eruditionis & magni nominis Lipſius.* Idem decade III, cap. VII: *Sum-*

VII: *Summum ingenium, ſingularem eruditionem eſſe in Lipſio niſi faterer, videri poſſem livore id facere. Faveo igitur ejus gloriæ, qvam qvi maximè & optimè de litteris meritum ſuſpicio.*

VI. Valentinus Arithmæus oratione VII, qvam de αὐτοχειρίᾳ ſcripſit: *Lipſius totius orbis judicio eruditus, in miraculum ævi natus.*

VII. Lælius Biſciola tomo I, Horarum ſubſecivarum lib. XIV, cap. XIII: *Acre omnino & felix ingenium fuit Juſti Lipſii in tollendis veterum ſcriptorum mendis & eluendis maculis, ac neminem habet fortasſe parem: Sed ut hominem ſe noſſet, aberravit interdum à ſcopo.* Et lib. VIII, cap. XIX: *Plurimæ lectionis & magnæ doctrinæ vir Juſtus Lipſius.*

VIII. Rodolphus Botereus commentariorum lib. XIII: *Audio cecidiſſe ſæculi noſtri Varronem Lipſium: addere laudibus inſanientis ſit, ut qvi Soli radios, Oceano fluctus adjicere voluerit. Ut ille fluminibus non intumeſcit, ſic nec iſte alienis præconiis; tam excelſo loco fama collocata, ut livor, qvi degener, & ſemper pronus humi ſerpit, qvo eſt obliqvo obtutu, apicem illum ſuſpicere & contueri non posſit.*

IX. Caſperius Gevartius lib. I, Electorum, cap. I: *Qvæ* (hiſtoria) *mirum, qvantas Juſto Lipſio, acerrimi alias judicii viro tenebras offuderit.*

X. Joannes Wovverius Animadverſionibus ad Petronium: *Juſtus Lipſius amor & delicium generis humani, cujus feliciter curioſa doctrina, & politè accurata diligentia nihil nobis reſidui in hac re fecit.* Idem ibidem: *Juſtus Lipſius ille ingenii & omnis politioris doctrinæ princeps.*

XI. Chriſtianus Becmannus Manuductione ad lingvam Latinam cap. XVII: *De cæteris eruditæ illæ animæ Julius Scaliger & Juſtus Lipſius ſubtiliter differunt.*

XII. Bertilius Canutus cent. III, epiſt. I: *De Lipſio mihi lætum, ſvavitate iſta ac venere capi te & teneri, magis in ſcripta ejus ſic te mittere. Certè inter ea ſunt, qvæ primæ claſſis, ſive eruditi, ſive ſapientes probent. Niſi qvod qvidam, ut nimis brevia & conciſa, damnent durâ & immiti ſententia. Non alius, qvi noſtro aut meliore ævo ſcripſerunt, ſapientiam & alta illa doctrinarum magis inſtillet, à vitiis & rebus his fluidis retrahat & ſiſtat.* Ibidem cent. IV, epiſt. XL: *Qvi ſvavitatem & venerem amant, huc animo eant, ſat ſcio. Lipſium colant*

colant cupiantq́; nam is eam habuit, ſi qviſqvam ab omni ævo, & vincit hac parte, ipſius verſu,

Qvot ſunt, qvotqvot erunt, & qvotqvot inante fuerunt.

Et meritò omnes herbam, coronam, palmam demus. Verba vides? pura, obvia, vulgata, non tamen jacentia & è trivio. Ab antiqvis ſi alibi haurit, valdè cum judicio facit, & inſpergit tantum, ut ſalem. Si qvis aliter; irriſit ipſe & ſprevit. Jam ea cum lepore ſimul nectit & laude. Et hoc illi proprium; multa, ſed non multis dicere, & ut plus ſemper intelligatur, qvam ſcribatur: ita tamen, qvæ magna ejus laus, ut in brevitate nubes vitet; & in ipſa ac Laconico illo genere ſe exſerit fœcunda qvædam affluentia; manat, non dimanat; currit, non abripitur; leni & jucundo fluxu ſe ferens. Flores, flexus, figuræ illæ ſvaves ac delectantes, non crebræ tantum, ſed perpetuæ, nec ulla periodus ſine illis aut linea. Venerem ubiq́ miſcet & Minervam: nec in rem ſolum, ſed extra rem trahit. Qvam ipſam attendis? Qvam non ad vitia & abjecta ſe permittit, & in magna ac alta ferè ſemper it, ipſe talis. Ubiq́ magnæ, ſvaves, penetrantes ſententiæ ſunt, & monita ubiq́ ad virtutem ac directiones. Ibidem paulò pòſt: *Jam in Criticis qvam felix & magnus? Qvot loca juvit & illuſtravit, in qvibus, ſine eo fuiſſet, adhuc caligaſſemus? Multos hac parte magnos iſta ac alia ætas dedit; vix invenies, qvem compares.* Et epiſt. XLI: *Res te magis velim ab eo* (Lipſio) *trahere ſvaves, profuturas, &, qvod invidia non negat, plenas ſapientiæ & doctrinæ. Omnia vidit, legit, ſcivit; ſcriptores veteres novosq́ pervaſit, juvit, & perfudit nova luce; nec aliqvid in antiqvitate, qvod non eruit, ſi dignum. Sapientiam qværo? Largiter non ſpargit tantùm, ſed in animum inſpergit. Doctrinam? qvis longius in eam ſe penetravit, & venit?*

XIII. Caſpar Barthius Animadverſionibus ad Rutilium lib. I, v. 303: *Hiſtoriam Lepidi hujus, de qvô loqvitur Rutilius noſter, ex obſervatis ſummi viri, & qvi cum primis ſuo ævo litteras Latinas luci reſtituit, Juſti Lipſii, illuſtravit hoc loco Theodorus Sitzmannus.* Idem lib. XVI, Adverſariorum, cap. V: *Priorem* (vocem) *rectè clauſit editio ultima Plantiniana, à ſummis viris Juſto Lipſio & Joſepho Scaligero recenſita.* Et cap. VII: *Elegantiſſimi ingenii Lipſius.* Et lib. XVII, cap. V: *Mirum tres ſummos viros, Lambinum, Giſanium, Lipſium, Lucretii recenſi-*

cenſitores, hoc tam clarum, tam facile non animadvertiſſe. Et lib. xxxi, cap. viii: *Ego ſanè veram ſcripturam puto à ſummo viro Juſto Lipſio excogitatam.* Et lib. LI, cap. XIII: *Vide qvæ ad Paterculum notavit Juſtus Lipſius, vir judicii & ingenii laudatiſſimus, multoq; omnium eorum vituperiis prior & major, qvi florentem famâ & omnibus commendatum, cum de omnibus adhuc bene mereri poſſet, defunctum modò inceſſere, & de leviculis ejus erratiunculis audent ſibi gloriam parare velle.*

XIV. Joannes Philippus Pareus in Analectis ad Plauti Curculionem, act. II, ſcen. II, v. 76: *Judicioſiſſimus Lipſius.* Ibidem paulo poſt: *Liberum hoc graviſſimi Lipſii judicium.*

XV. Gerardus Joannes Voſſius lib. iv, inſtitutionum Oratoriarum cap. VI, num. II: *Belgarum, dum viveret, doctiſſimus Juſtus Lipſius.* Ibidem num. VII, cum Lipſii qvædam adduxiſſet verba; *Qvanqvam in ſummi illius viri judicio hac qvidem in parte, non ita multum præſidii ponendum: cum nemo diffiteri poſſit, eum, modum minimè tenuiſſe in vocibus priſcis, poëticis, duris: ut eruditioni ejus non paulo amplius debeant litteræ, qvam ſtili exemplo.* Et lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. xix: *Nec probare illa Lipſii poſſum, viri ab ingenii elegantia & varia eruditione, qvam dictione laudatioris.*

XVI. Henricus Spondanus annalium Baronianorum continuatione, ad A. C. 1405, num. 8: *Juſtus Lipſius nuperi ſæculi æviq; noſtri ornamentum præclarum eruditionis ac ſcientiæ litterarum.*

XVII. Sertorius Urſatus lib. I, monumentorum Patavinorum, ſectione II: *Teſtis eſt vindex antiqvitatum ſupremus Juſtus Lipſius.*

XVIII. Nicolaus Henelius, Otio Vratislavienſi cap. XI: *Qvibus haud immerito contradicit medulla Criticorum Lipſius.* Et cap. xvi: *De Servis Romanorum affatim Juſtus Lipſius, cujus feliciter curioſa doctrina, & politè accurata diligentia nihil cuiqvam reſidui hac in re feciſſe videtur.*

De magnitudine Romana.

XIX. Bertilius Canutus cent. iv, epiſt. xl: *Magnitudo ejus Romana, qvam verè magna. In eo genere, dicam, nullum ſcriptum accedere, nullum vel ſeqvi. De domina illa urbe ſemper creditum & jactatum, qvod videre ibi fuit, qvicqvid in mundo fuit, ſi pulcrum, ſi magnum. Id*

ego de hoc ſcripto verè proclamem, & in eo eſſe hac in parte, qvicqvid in hiſtoriis Græcis ac Latinis. Et legere ac capere in eo jam eſt paucis, non ſeptimanis, ſed diebus, ad qvæ qvis per annos non veniret, ſi in autoribus ſparſa ipſe ſeqveretur. Nec ſciri ferè magis in hanc rem neceſſum, qvam qvæ hoc dabit.

De Saturnalibus.

XX. Janus Douſa, Pater, Præcidaneis ad Petronium cap. XIX: *Qvod qvidem prudentiſſimæ tralationis genus ab gladiatorum pugnaturientium poſitura ductum qvi neſcit, næ illi Lipſianis Saturnalibus, qvantum poteſt, conventis, imò verò intellectis potius, qvam pellectis eſt opus; in qvibus omnia, maxima, minima, ad ſtatum iſtum qvæ faciant, non Pœna, ſed Græca fide, vel Romana potius, ſigillatim tradita atq; excuſa.*

XXI. Caſper Schoppius commentario in Priapeiorum carmen VIII: *Sed de iſto videnda Lipſii Saturnalia. Qvid Lipſii? imo Petri Fabri. Sed utrum illius, an Fabri, qvid ad me? Tam utitur bene, qvam ſibi pararit*

Noſtro Lipſius invidendus ævo.

XXII. Thomas Dempſterus Paralipomenis ad Joannis Roſini lib. II, antiqvitatum, cap. IV: *Sed qvia Saturnaliorum facta eſt mentio, paucula mihi obiter de iis dicenda, licet ſciam Juſtum Lipſium elegantiſſimos duos, & exqviſitæ lectionis libros eo titulo ſcripſiſſe, & ante illum diligentiſſimum antiqvitatis inveſtigatorem Macrobium. Sed illi uberem ex omnibus penè probatis Scriptoribus meſſem, ego racemationes & ſpicilegia tantum colligo.*

CAPUT LXXXII.

ABRAHAMUS GORLÆUS.

ARTICULUS I.

Abrahami Gorlæi Vita.

I.

ABrahamus Gorlæus, Antverpienſis, in Triumvirorum monetalium Collegio, Delphis Batavorum, degit. Liberalibus ſtudiis, con-

condiſcipulo, inter alios, Andrea Schotto, â teneris delectatus; colligendis antiqvis numiſmatibus non parum temporis, laboris, æris impendit.

II. Delphis mortem obiit die XV, Aprilis, anno M.DC.IX. Ejus numeroſam raramq; nummorum veterum ſupellectilem, Heinrico, Walliarum principi, Jacobi, magnæ Britanniæ Regis, filio, hæredes vendiderunt.

Articulus II.
Abrahami Gorlæi Scripta.

Abrahamus Gorlæus in peculiari opere familias Romanorum, usq; ad Imperatoris Auguſti exceſſum, iis nummorum figuris repræſentat, qvos Fulvius Urſinus in ſuo de iisdem familiis libro, aut non habet, aut aliter habet. Prodiit M. DC. IX, in f.

Articulus III.
Judicium de Abrahamo Gorlæo.

Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica: *Vir fuit rei antiqvariæ, ac præſertim nummariæ, qvâ priſci Romani Græciq; uſi, inprimis amans & gnarus; ejusq; domus cimeliorum generis omnis, omnisq; adeo antiqvitatis fuit qvoddam velut receptaculum.*

CAPUT LXXXIII.
HENRICUS SAVILIS.
Articulus I.
Henrici Savilis Vita.

I.

Henricus Savilis, Eqves Anglus, Eliſabetæ Anglorum Reginæ â ſtudiis Græcis & Anagnoſta, Merthonenſis apud Oxonienſes Collegii Præſes fuit.

II. Ampliſſimarum facultatum vir, anno M. DC. XII, opera Joannis Chryſoſtomi Græca, voluminibus VIII, ſuis impendiis publicavit. Oxonienſem Academiam duobus Profeſſoribus auxit, qvorum alteri Geometriam, alteri Aſtronomiam docendi munus impoſuit, utriq; ſtipendium ex bonis ſuis conſtituit. Hoc aliisq; modis de re litteraria inſigniter meritus, ſeptuagenario major, ex vivis abiit anno M. DC. XXI.

ARTICULUS II.
Henrici Savilis Scripta.

I. Henricus Savilis de Neronis exceſſu & Galbæ principatu libellum Anglicâ lingvâ compoſuit. Eum à C. Julii Vindicis in Galliâ Proprætoris adverſus Neronem aperta rebellione, qvæ in C. Silii Italici & M. Galerii Trachali conſulatum, annum Urbis 820, Chriſti 68, incidit, orditur: & in geſtis Galbæ, qvi, cum ſeptem menſes totidemq; dies imperaſſet, anno Urbis 821, Chriſti 69, trucidatus eſt, terminat. Latinum Iſaacus Gruterus reddidit. Prodiit Latinè, Savilis commentario in Tacitum præmiſſus, Amſtelodami M. DC. XLIX, in 12.

II. Idem de militia Romana commentarium, pariter Anglicè, nobis dedit. Hunc, ſi fides ei, qvod manu cuidam exemplari adſcriptum vidi, Georgius Michael Lingelsheimius in lingvam Latinam transtulit. Latinè prodiit, dicto in Tacitum commentario præmiſſus: ſeorſim Heidelbergæ M. DC. I, in 8.

ARTICULUS III.
Judicia de Henrico Savili.

I. Joſias Mercerus in notis ad Taciti lib. I, hiſtoriarum, cap. II: *Ita conſtituit hunc* (locum: perdomita Britannia & ſtatim amiſſa:) *doctisſimus Lipſius, benè utiq; ; niſi qvod verbum, amiſſa, minus placet acerrimi judicii viro Savilio, qvi verisſimè aſſerit, non amiſſam Britanniam ſub Domitiano; imo ne ſub Hadriano qvidem.* Idem ad lib. I, annalium, cap. LXXIV: *Qvo argumento etiam convicit hanc ſcripturam eruditisſimus, & omni litteratura politisſimus H. Savilius in doctisſimis ad Tacitum notis: qvas Reip. intererat, aliâ etiam lingva, qvam Anglica in vulgus dari.*

II. Ro-

II. Robertus Jonſtonus de rebus Britannicis lib. XVIII: *Annus & hic apud nos abſtulit Henricum Savelium, Eqvitem omni virtutum, omniumq́; ſcientiarum genere inſtructisſimum, qvi plurima ſingularis eruditionis monumenta edidit.* Ibidem poſt pauca: *Sicut boni omnes virum ſummopere dilexerunt propter doctrinam, qvæ in eo eximia fuit; ita in mortuo ornando, mutua æmulatione certarunt.*

CAPUT LXXXIV.
PHILIPPUS CLUVERIUS.
ARTICULUS I.
Philippi Cluverii Vita.

I.

PHilippus Cluverius anno M.D.LXX, Gedani, celeberrimo in Boruſſia emporio, patre, ibidem rei monetariæ præfecto, ex nobili & antiqvâ, in Bremenſium agro, Cluveriorum gente, natus eſt.

II. Hauſtis artibus primam ætatem decentibus, in Poloniam mittebatur, partim, ut mores inclutæ nationis vicinæ; partim, ut ejus lingvam inter aulicos addiſceret.

III. Poſt hæc, ut omisſis cæteris, Legum ſtudia coleret, Lugdunum Batavorum abire juſſus pervenit. Ibi, jurium ſcientia minus delectatus, exercitiis eqveſtri ordini convenientibus ſe intentiorem oſtendebat. Erat iis moribus, iis pro ætate illecebris, qvibus in amorem ſui non difficulter qvoscunq; converteret; venuſta & amabili facie; voce promta, ſed & grata; corpore agili; comis idem & affabilis. Qvare fiebat, ut interdum in amicos incideret, fures temporis; arrideret virginibus, ipſum comitem facilè admittentibus. Virtutis nihilo ſecius retinens, nec ad intemperiem vitæ proruebat, & ex diurnis recreationibus vigorem ſuperſtitem nocturnis abſumebat lucubrationibus.

IV. Qva ratione cum non ſine majoribus impendiis in Academia degeret, operasq́; forenſes, qvibus fuerat deſtinatus, ſubterfugeret, patris gratiam benignitatemq́; perdidit.

V. Id temporis, Academia Lugdunenſis Joſepho Scaligero gaudebat, juveniles animos occupandi artifice. Ab eo, qvando jam

omne ſtudiorum genus reliqvum à præclaris ingeniis conſummatum videretur, ut Geographicum, in qvô multi aliqvid præſtitiſſent, nemo excelleret, ſummâ curâ ſibi colendum proponeret, perſvaſus abiit. Hoc animo in Brabantiam, ubi Juſtus Lipſius docebat, iter ſuſcipiebat; fortè, ut in re maximâ de magni hujus viri judicio certior fieret. Qvem, neſcio qvô fato, Lovanii qværit, Antverpiam profectum; qværit Antverpiæ, jam Lovanio redditum. Nec mediocrem in itinere calamitatem ſubit. Milites in hoſtili errantem agro, tum viatico, tum veſtitu exutum relinqvunt: fames ad edendas radices; ſitis ad bibendas aqvas miſerum adigunt. His vitæ prorogandæ ſubſidiis per triduum uſus, monachorum aliqvot in via, mox Præfecti, cum ad eum perveniſſet, Lillojani liberalitate, ad amicos veteres libroſq; ſuos in Bataviam reverſus eſt.

VI. Cum ſibi de favore paterno nihil reliqvum videret, niſi mentem jam aliis deditam, comparandæ cognitioni legum totam redderet, id verò à ſe impetrare non poſſet, in Bohemiam, mox in Hungariam ſe contulit. In hac ad biennium miles, cum Præfecto ſuo, cujus pridem ſibi conciliaverat animum, in Bohemiam rediit: ubi tum Popelius Baro, jam diu in vinculis habitus, qvod coram Imperatore cauſam ſuam perorare fruſtra contenderet, in iram verſus, apologiam pro ſe litteris conſignabat. Eam Cluverius multis precibus, ut Latinam redderet, perſvaſus, cum, Lugdunum reverſus, edidiſſet, rurſus fortunam ſibi novercam ſenſit. Nam ut carceribus committeretur, per Legatum ſuum Cæſar impetrabat.

VII. Tandem libertati reſtituto indulgentior genitrix, magna qvidem, ſed non præcepta, molienti Nato, viaticum qvoddam, haud conſcio patre, contulerat. Id, deſcribendo terrarum orbi adhuc intentus, itineribus deſtinabat. Qvæ mox in Scotiam, Angliam, Italiam, Galliam, aliqvoties ſuſcepit. Siciliam, cum iterum adiiſſet, uno comite, omnem pedibus peragravit.

VIII. Cum alibi, tum in Italia præſertim, magnos ſui admiratores, inter ipſos Cardinales, inveniebat. Ab his liberaliter habitus, ad figendam inibi ſedem magnificè invitabatur. Sed in Bataviam ad Lugdunenſes redire malebat. Qvibus plurium exterarum lingvarum, Italicæ, Gallicæ, Britannicæ, Polonicæ, Hungaricæ, Bohemicæ, præter Latinam & Græcam, peritum civem dedit.

IX. Hoc

IX. Hoc in loco, ad tractanda liberius ſtudia, qvoddam ab Academiæ Curatoribus ſtipendium annuum, etſi nullam provinciam publicam, conſecutus; pauperiem aliasq; miſerias, inter pertinaces in Geographicis labores, paſſus, ad extremum vitæ ſubſtitit. Larem anguſtum, uxorem è partu, certè poſt partum, debilis & contracti corporis, habebat, asſiduis ſuſpiriis, lacrumis, ejulatibus, marito ad alia intento dolores renovantem.

X. Inter has acerbitates domeſticas, ut facultates, qvibus vitam honeſtè qvidem tueretur, acqvireret, privatim juvenes aliqvot erudire ſolitus, Italiam ſuam elaborandam ſuſcepit. In hoc operum ſuorum ultimo occupatus, valetudinem, deniq; ſpiritum amiſit: ſic poſtremis temporibus tabe confectus, ut hominis umbra videri poſſet. Orbis hujus, qvem ut accuratius deſcriberet, tantopere laboraverat, diverſorio valedixit anno Chriſti M. DC. XXIII, ætatis XLIII.

XI. Videantur, ipſe Cluverius ad Siculos epiſtolâ, qvam Siciliæ ſuæ præmiſit: Joannes Meurſius lib. II, Athenarum Batavicarum: Daniel Heinſius oratione, qvâ Cluverio parentavit.

Articulus II.
Philippi Cluverii Scripta.

I. Philippus Cluverius Italiam antiqvam, cujus gentes, incolas, regiones, urbes, fluvios, fontes, aliaq; deſcribit, libris IV, compoſuit. Prodiit, tabulis Geographicis illuſtrata, procurante Daniele Heinſio, Lugduni Batavorum, M. DC. XXIV, in f.

II. Idem antiqvam Siciliam cum minoribus ei adjacentibus inſulis, Sardiniam Corſicamq; libris II, condidit: in qvibus illarum figuras, magnitudinem, urbes, montes, promontoria aliaq; deſcribit. Prodierunt, pariter Geographicis mappis exornatæ, Lugduni Batav. M. DC. XIX, in f.

Articulus III.
Judicium de Philippo Cluverio.

Gerardus Joannes Vosſius de Scientiis mathematicis cap. XLIV, §. XXXIX: *Geographorum ſuæ ætatis habitus eſt princeps: præſertim, qva-*

qvatenus in Geographia hiſtoriam potius attendimus, qvam matheſin. Nulli unqvam labori pepercit in evolvendis ſcriptoribus, vel antiqvis, vel novis, unde Geographiam lucem capere poſſe arbitraretur.

CAPUT LXXXV.
JUSTUS RYCQVIUS.

Articulus I.
Juſti Rycqvii Vita.

I.

JUſtus Rycqvius, Gandavenſis Flander, Jacobi filius, Joannis Stadii, celebris Mathematici, ex Catharina filiâ nepos, die VI Maji, anno M. D. LXXXVII, natus eſt.

II. Puerilem ætatem litteris humanioribus, juvenilem Philoſophiâ, in Duacenſi Athenæo, exornavit. Perceptis ibidem Jurisprudentiæ principiis, in Italiam conceſſit. In eâ, plurium Patronorum conſecutus favorem, illuſtri Comiti, Ludovico Sarego, Veronenſi, Peruſiæ & Umbriæ Expræfecto, ab interioribus ſtudiis & Bibliotheca fuit.

III. In Belgium reverſus, cum Lovanii aliqvantiſper ſubſtitiſſet, otii litterarii amore, Canonicorum ad S. Bavonem in patriâ Collegio nomen adſcribebat.

IV. Novis Italorum illecebris permotus, oblatam in Bononienſi Academia Profesſionem, urgente Scipione Cardinale Cobellutio, accepturus, anno M. DC. XXIV, Romam; inde, Pontificis Urbani VIII auſpiciis, Bononiam tranſiit. In eâ fortunarum ſuarum ad paucos annos domicilium nactus, ibidem die VIII Decembris, anno Chriſti M. DC. XXVII, ætatis XLI, vita defunctus eſt.

ARTICULUS II.
Juſti Rycqvii Scripta.

Juſti Rycqvii commentarius exſtat de Capitolio Romano: cujus illuſtria qvondam ædificia, cum ſacra, tum profana, columnas, ſtatuas, trophæa, coloſſos, aliaq; ornamenta monumentaq; deſcribit. Prodiit Gandavi M. DC. XVII, in 4.

ARTI-

ARTICULUS III.

Judicium de Juſto Ryçqvio.

I. Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica: *Vir fuit elegantioris doctrinæ & antiqvitatis omnis in primis peritus, ſtilo facili, ſive ſolutam orationem tractaret, ſive metri adſtrictam legibus.*

De Capitolio Romano.

II. Gerardus Joannes Voſſius de Scientiis Mathematicis cap. XXXIV, §. XX: *Nepotem* (Joannes Stadius habuit) *ex Catharina filium Juſtum Ryckium, Gandavenſem, cujus exſtat commentarius elegans de Capitolio Romano.*

CAPUT LXXXVI.

JULIUS CÆSAR BULENGERUS.

ARTICULUS I.

Julii Cæſaris Bulengeri Vita.

I.

JUlius Cæſar Bulengerus, cui Juliodunenſis in Gallia Civitas patria fuit, ſocietati Jeſu nomen ſuum adſcripſit juvenis. Cui ſocietati, cum per XII annos adhæſiſſet, mortuis ſimul patre, ſimul fratribus ſuis, valedicebat, urgente matre, ut parvulorum nepotum defungeretur educatione. Hoc pietatis officium per XX amplius annos, cum in Pariſienſi & Toloſana, tum in Academiis aliis ſuſtinebat.

II. Qvos fidei ſuæ commiſſos hactenus rexerat, eò jam ætatis & prudentiæ proceſſerant, ut proſpicere ſuis rebus ipſi poſſent, cum docendi munus in Academiâ Piſana ſuſciperet. Qvô per ſexennium integrum functus, dictæ ſocietati, qvantumvis ſenex, anno M.DC.XX, ſe reddidit. Theologiæ Doctor, qvinqvennio Theologiam, ſacras litteras triennio interpretatus, ſeptuagenario major, Cadurci, anno M. DC. XXVIII, vitâ deceſſit.

III. Videantur, ipſe Bulengerus ad Lectorem epiſtola, qvam opuſculorum ſuorum tomo I, præmiſit: Philippus Alegambe in Bibliotheca de Scriptoribus ſocietatis Jeſu.

ARTICULUS II.
Julii Cæſaris Bulengeri Scripta.

I. Julius Cæſar Bulengerus de Triumpho librum condidit: in qvô de Romanorum triumphorum cauſis, generibus, ferculis; triumphantium coronis, curru, eqvis, annulis, porta, tubicinibus, captivis, militibus, itinere in Capitolium, epulo, ludis, ſpoliis opimis, aliisq; ad pleniorem triumphi deſcriptionem pertinentibus rebus agit. Prodiit Pariſiis M. DC. I, in 8: Bulengeri opuſculorum tomo II, Lugduni M. DC. XXI, in f.

II. Idem de Romanorum Circo ludisq; Circenſibus librum: item de Romanorum in Circo & Amphitheatro venatione librum ſcripſit. Prodierunt, poſterior qvidem, Pariſiis M. D. XCVIII, in 8: uterq; tomo II Bulengeri opuſculorum.

III. Præterea de Theatro libros II, compoſuit. Reperiuntur in eodem, qvem indicavimus, tomo.

IV. Ejusdem, de Romano imperatore libros III, habemus: in qvibus de Romanorum imperatorum nominibus, titulis, templis, aris, ſacerdotibꝰ, ornatu, veſtitu, ſigillo, ſtatuis, moneta, enſe, comitatu, aulâ, throno, cubiculo, miniſtris, natalibus, nuptiis, funere, codicillis, aliisqve plurimis rebus agit. Prodierunt Pariſiis M. DC. XIV, in 4: Lugduni M. DC. XVIII, in f.

V. Præter hos, de Romano imperio libros IX: in iis octo priores de Romani imperii magiſtratibus & officiis; ultimum de Romani populi vectigalibus & tributis, condidit. Prodierunt, tribus de Romano imperatore libris ſubjuncti, apud Lugdunenſes, M. DC. XVIII, in f.

CAPUT LXXXVII.
ANDREAS SCHOTTUS.

ARTICU-

ARTICULUS I.

Andreæ Schotti Vita.

I.

ANdreas Schottus, Franciſci filius, Antverpiæ in Brabantia, die XII Septembris, anno M. D. LII, natus eſt. Puer in Caſtrenſi Lovanienſium Gymnaſio Peripateticæ Philoſophiæ navavit operam. In eâdem ſchola, Cornelio Valerio, & Theodorico Langio, illo Latinæ, hoc Græcæ Lingvæ Profeſſoribus: Juſto Lipſio, Ludovico Carrione, Suffrido Petro, Guilielmo & Theodoro Canteris, amicis, ad eruditionis ſuæ incrementum, uſus eſt.

II. Anno M. D. LXXVI, direptâ ſimul atq; perdita ferro & flammis Antverpiâ, Duacum; Duaco Lutetiam venit. Ibi Augerium Gisleṇium Busbeqvium, Ferdinandi I, & Maximiliani II, Imperatorum ad Turcas olim Legatum, cujus domo recipiebatur, Patronum: at Claudium Puteanum, Joſephum Scaligerum, Petrum & Franciſcum Pithæos, Joannem Paſſeratium, Papirium Maſſonium, aliosqve ſtudiorum ſocios invenit.

III. Biennium præterfluxerat, cum in Hiſpaniam à genitore mitteretur. In ea primum Madriti, deinde Compluti ſubſtitit. Toletum anno M. D. LXXX, ſe contulit. Ibi cum Alvarus Gomecius vitâ deceſſiſſet, relictam ab eo Græcarum litterarum profesſionem Academicam obtinuit. Eadem in urbe Gasparem Qvirogam, Archiepiſcopum & Cardinalem adeo benignum fautorem ſenſit, ut eidem in familiam aſſumtus, per triennium adhæſerit.

IV. Anno M. D. LXXXIV, in reſtauratam Cæſarauguſtanam Academiam Toleto evocatus, Græcam lingvam, eloqventiam & hiſtoriam Romanam publicè profiteri cœpit. Id temporis, Tarraconenſi Eccleſiæ Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus præerat. Is Schottum, cujus eruditione trahebatur, ædibus ſuis receptum, rarâ humanitate ad biennium tenuit.

V. Acceperat Schottus, Alexandrum Farneſium, Parmenſem Ducem, regiarum in Belgio copiarum imperatorem, Antverpiam obſidione clauſam tenere. Sicut igitur vehementer expetebat, ut cives,

qvi Pontificiis ſacris jam remiſerant nuncium, animum redderent: ita, ſi urbem patriam ille occuparet, ſe militiam ſacram, id eſt, ſocietatem Jeſu initurum, affirmatione religioſâ conteſtabatur. Qvare, cum Farneſius in deditionem accepiſſet Antverpiam, ipſe promiſſorum memor, anno M. D. LXXXVI, jam liberalium artium Magiſter, memoratæ ſocietati ſe conjungebat.

VI. Poſt hæc in Italiam accerſitus, oratoriam artem Romæ docuit. Per triennium ibi commoratus, natalem repetiit civitatem. In eâ, cum plures annos edendis ſcriptis impendiſſet, mortalitatem explevit.

VII. Exſtinctus eſt, die XXIII Januarii, anno Chriſti M. DC. XXIX, ætatis LXXVII: qvemadmodum, præter Valerium Andream in Bibliotheca Belgica, Petrus Ribadeneira & Philippus Alegambe, in Bibliotheca de Societatis Jeſu Scriptoribus, tradunt: anno Chriſti M. DC. XXXVI, ætatis LXXXIV; ſi Gerardo Joanni Voſſio credimus, de Scientiis Mathematicis cap. LXX, §. XXIX.

ARTICULUS II.
Andreæ Schotti Scripta.

I. Andreas Schottus antiqvitatum Romanarum Electa concinnavit. His duos à ſe compoſitos libellos inſeruit: priorem de priſcis gentibus & familiis; poſteriorem de tribubus XXXV ruſticis & urbanis.

II. Prodiit uterqve, Joannis Roſini antiqvitatum Romanarum libris ſubjunctus, Coloniæ Agrippinæ M. DC. LXII, in 4.

ARTICULUS III.
Judicia de Andrea Schotto.

I. Caſpar Barthius lib. XV, Adverſariorum, cap. VI: *Tribus modis genuinam hanc lectionem ſolicitavit humanitatis oculus, Andreas Schottus*. Et cap. XV: *Alia exempla habes apud amicum noſtrum, virum de omni litterarum nomine bene meritum, Andream Schottum.* Et lib. LX, in Auguſtini lib. I, de Civitate Dei, cap. VIII: *Andreas Schottus vir præclarè de omni antiqvitate meritus.*

II. Jacobus Gutherius lib. II, de officiis domus Auguſtæ, cap. XX: *Non capio mentem Andreæ Schotti, perdocti viri.*

III. Gerar-

III. Gerardus Joannes Voſſius de Scientiis mathematicis cap. LXX, §. XXIX: *Vir fuit de Latinis Græcisq; litteris, ac tam ſacris, qvam externis, præclarè meritus.* Idem de Philologia cap. VI, §. II: *Andreas Schottus vir non uno nomine præclarè meritus de Rep. litteraria.*

CAPUT LXXXVIII.

JOANNES MEURSIUS.

Articulus I.

Joannis Meurſii Vita.

I.

JOannes Meurſius in pago Losduno, qvi ad primum ab Haga Comitis lapidem ſitus eſt, anno M. D. LXXIX, in lucem editus eſt.

II. Sexennis elementa lingvæ Latinæ prima, ipſo patre doctore, didicit: â qvô ad augendas litterarum primitias ſeptennis Hagam mittebatur. Ibi qvadriennio transacto, Lugdunum in Bataviam concedebat. Duodecennis orationem Latinam; vix tredecim annos natus, carmen Græcum elaborare & dare poterat. Poſt illa Græcis addictior, cum in his jam excelleret, perqvirendis etiam Romanis antiqvitatibus adjunxit animum.

III. Joannis Barneveldii jam per decennium erudiverat filios, cum eorundem comes, in terras peregrinas abiit, maximorumq; totius Chriſtiani orbis Principum Aulas & Bibliothecas vidit. His egregia monumenta, nunqvam edita, qvorum multa poſtmodum publicavit, accepta retulit.

IV. Aureliis, anno M. DC. VIII, Juridici Doctoris Lauream conſecutus, cum ſe in Belgium recepiſſet, primò Hiſtoriarum, poſt Græcæ Lingvæ, ab anno M. DC. X, in Lugdunenſi Batavorum Academia Profeſſorem egit. Uxorem anno M. DC. XII, Annam Catharinam Bilderbeckiam ſibi conjungebat.

V. Jam multiplicis eruditionis famâ per univerſam Remp. litterariam clarisſimus, â Chriſtiano IV, Danorum Rege, in Soranâ Academiam evocatus, anno M. DC. XXV, tranſiit. Ibi cum Hiſtorias & Politicam multis annis docuiſſet, anno M. DC. XLI, vitâ defunctus eſt.

ARTICULUS II.

Joannis Meurſii Scripta.

Joannes Meurſius, luxuriantem Romam, id eſt, de Romanorum luxu librum ſingularem, cui Mantiſſam addidit, poſteritati transmiſit. Prodiit cum Mantiſſa, Soræ M. DC. XXXI, in 4.

ARTICULUS III.

Judicia de Joanne Meurſio.

I. Laurentius Ramirezius Hypomnematibus ad Martialis Spectaculorum librum, epigr. I, notâ II: *Ætate puer, ſed judicio ſenex Joannes Meurſius.*

II. Theodorus Douſa in notis ad Georgii Acropolitæ Logothetæ Chronicon compendiarium, cap. LXXXV: *Quæ in notis ad Codinum eximiæ eruditionis & diligentiæ vir Joannes Meurſius annotavit.*

III. Gebhartus Elmenhorſtius Obſervationibus ad Arnobii lib. I, adverſus Gentes: *Ut eruditiſſimè obſervat vir doctiſſimus Joannes Meurſius.*

IV. Caſpar Barthius lib. I, Adverſariorum, cap. I: *Aſſentiendum eſt eruditiſſimo nobisque amiciſſimo viro, Joanni Meurſio.* Et lib. IV, cap. VI: *Amicisſimus noſter, vir impensè bono publico benefaciens, Joannes Meurſius.*

V. Felix Oſius in notis ad Albertini Muſſati de Italicorum geſtis librum I, rubricam III: *Joannes Meurſius Muſarum Græcarum & Latinarum pullus.*

CAPUT LXXXIX.

JOANNES KIRCHMANNUS.

ARTICULUS I.

Joannis Kirchmanni Vita.

I.

JOannes Kirchmannus die XVIII Januarii, anno M. D. LXXV, natus,

tus, Lubecenſium civitatem patriam; mercatorem in eâ Gerhardum patrem; Geſam Huneriegeriam matrem habuit.

II. Manſvetioribus artibus, in adoleſcentia ſibi comparatis, Theologicarum rerum ſcientiam juvenis addidit. Ab Academicis ſtudiis, Francofurti ad Viadrum, Jenæ ad Salam, Argentorati ad Rhenum cultis, Franciſco Witzendorfio, Henrici, Conſulis Luneburgenſis, filio, ſimul ephorus & comes adjunctus, in Galliam, ex hac in Italiam tranſiit. Qvô in itinere, cui tantum non triennium inſumſit, in clarisſimorum doctisſimorumqve virorum notitiam pariter & benevolentiam ſe inſinuavit.

III. In Germaniam, anno M. DC. II, reverſus, Roſtochii ſubſiſtebat, in Lucæ Bacmeiſteri, Theologiæ Profeſſoris, & ædes, & convictores receptus. Ibi, cum eruditionis ſuæ non vulgaris indicia fecisſet, ſeqvente, Profesſionem Poëſeos Academicam; &, qvi huic proximus erat, anno, Emerentiam, Joachimi Schelii, Senatoris Roſtochienſis filiam, in matrimonium ſuſcipiebat.

IV. Annus agebatur à Chriſto nato M. DC. XIII, cum in emeriti & rude jam donati Othonis Gualtperii locum invitatus, Scholæ patriæ gubernaculis manum animumqve, non degener ſucceſſor, applicuit. Ex febre malignâ, die XX Martii, anno Chriſti M. DC. XLIII, ætatis LXIX, apud Lubecenſes defunctus, Jacobum Stolterfhotum, Lubecenſem Theologum, cui filiam Dorotheam dederat, publicâ parentatione, virtutum ſuarum præconem habuit.

Articulus II.
Joannis Kirchmanni Scripta.

I. Joannis Kirchmanni de Romanorum funeribus libros IV habemus. In his exponit, qvibus Romani circa morientes atqve mortuos, horumqve cum in funeratione, tum poſt funerationem ritibus uſi fuerint.

II. Prodierunt Hamburgi M. DC. V, in 8: cum appendice novem capitum, Lubecæ M. DC. XXV, in 8: Brunſvigæ M. DC. LXI, in 8.

ARTI-

Articulus III.

Judicia de Joanne Kirchmanno.

I. Marcus Zuerius Boxhornius qvæſtione Romana xxv: *Operæ pretium eſt hoc loco referre, qvæ diligentisſimus Kirchmannus in hanc rem collegit.*

II. Sertorius Urſatus lib. I, monumentorum Patavinorum, ſect. II: *Ut ex Servio notat diligentisſimus Kirchmannus.* Ibidem poſt qvædam: *Ut politisſimus Kirchmannus obſervat.* Paulo poſt: *Si aliqvid mihi poſt eruditisſimum virum adducere fas eſt.* Iterum poſt qvædam: *Ut obſervat diſertisſimus Kirchmannus.* Et poſt qvædam, de roſis: *Qvos inter ſepulcrales flores primum habuiſſe locum, teſtatur eruditisſimus Kirchmannus.*

De funeribus Romanorum.

III. Hieronymus Mercurialis in epiſtola Kirchmanno Piſis, M.DC. II, ſcripta: *Cum viderim cogitationes tuas de ritu ſepeliendorum cadaverum Romanorum, easq; dignisſimas judicem, ut à cunctis legantur, ne differas in ipſis edendis, etiam atq; etiam te hortor. Præterqvam enim, qvod omnes eruditos juvabis, tibi qvoq; æternum nomen comparabis.*

IV. Joannes Wovverius cent. I, epiſt. LIV: *Funeralia tua vidi, vel potius baſio excepi. Nihil dabo auribus: verè me cepit ſimplex & inornata Venus, & ratio differendi inaffectata.*

V. Daniel Heinſius in epiſtola Kirchmanno Lugduni Batavorum M.DC. V, ſcripta: *Scaligero noſtro qvantum placuerit opus tuum, non facile dixerim. Laudat enim* καὶ τὴν ἀφέλειαν *in ſcribendo,* καὶ τὴν ἀκρίβειαν *in perſeqvendis ſingulis, qvibus nullum volumen par futurum putabamus omnes.* Idem in epiſtola, qvam Hagæ Comitis ad Kirchmannum M. DC. XXIV, exaravit: *Munus tuum de Annulis ab autore eo eſt profectum, qvem ex accuratis de funere antiqvorum libris pridem admiratus ſum.*

VI. Julius Cæſar Capacius Elogiorum lib. II: *Ecce tibi eruditum opus, à Joanne Kirchmanno Lubecenſi elaboratum accepimus, qvi, fortasſe aſpernatur Porcachii exiles in ea materie labores (ſed plurimi faciendos, qvod primus in arenam deſcendit) uberius abſolvit, qvæ ille jejunus inchoavit. Nihil eſt, qvod amplius deſideres. Ex optimis qvibusq;*

Lati-

Latinis Græcisq́; autoribus, effosſis cæmentis, nobiliſsimum ſepulcrorum ædificium condidit. Habes itaq́; indictiva, tacita, vulgaria, plebeja, translatitia, cenſoria, triumphalia funera, oſcula, lotionem, uncturam, veſtitum, coronas, lectum, conclamationem, elationem, cantus, tubas, tibias, nænia, ludos, imagines, pheretra, lacerationes, convivia, crines, digitos abſciſſos, inſignia, orationes, pyras, decurſionem, mactationem, ſepulcrorum loca, munera, odores, δῶρα, ψυχαγωγίαν, leges, præficam, urnas, pacis precationem, osſilegia, religionem, violationis pœnam, parentationes, feralia, novemdialia, denicalia, victimas, menſas, aras, inferias, ungventa, vel χοὰς, arferiam aqvam, vel arferial, aut adferial, ut in glosſis, qvam Græci χθόνια λουτρὰ dixere, vinum, lac & ſangvinem, flores, tænias, ſilicernia, manes, ferales cibos, cuncta præterea, qvæ, cum in libris aut in lapidibus legeris, in numismatibus inſpexeris, in eorum notitiæ cupiditatem te impellere poſſe videbantur. Brevi ſcies: callebis optimè; & multa, qvæ in Poëtis præſertim legendis prætericras, diligentius cum hac lectione animadvertes.

VII. Lampertus Alardus commentario ad Valerii Flacci lib. III, v. 273: *Plura de ritu funerum cum cura notavit clariſsimus noſter Joannes Kirchmannus.*

CAPUT XC.

CLAUDIUS SALMASIUS.

ARTICULUS I.

Claudii Salmaſii Vita.

I.

CLaudium Salmaſium, ex Eliſabeta, Guiliolmi Viroti, in ſupremo Burgundiæ Senatu Conſiliarii, filia, Benignus, Eqves, Taliaci Dominus, Conſiliarius regius, in eadem Burgundiæ Curiâ Senator, illuſtri & antiqva proſapia, qvæ multos, & ſcientia & poteſtate civili eminentes heroes olim Burgundiæ procreaverat, ortus, (juvenis Reformatorum ſecutus Eccleſiam, poſt horribiles in Gallia perſecutiones, ab anni M. D. LXXII, Romanorum ſacra profeſſus) in ſuburbano avi ſui, qvod in Alexio Ballivatu ad Semurium viſitur, ſuſcepit.

II. Sunt, qvos nativitatis tempus, haud ſatis certum, ſolicitos ha-

bet. Ipſum ſi audimus Salmaſium noſtrum, libro I, epiſtolâ CXI, qvam ad Joannem Fredericum Gronovium, Leydæ, XXX Auguſti, M. DC. XXXVII, ſcripſit: commentarium Floro additum, cum vix qvindecim annorum eſſet, (Heidelbergæ, anno M. DC. IX.) publicavit. Hinc anno M. D. XCIV, natum, &, rariſſimo exemplo, in ætate puerili, qvæ virili conveniunt, egiſſe colligas.

III. Patre præceptore, Latinas & Græcas litteras didicit: in qvibus eò puer progreſſus eſt, ut decimo ætatis anno, nec male Pindarum interpretaretur, & in utraq; lingva non ineptum poëma componeret.

IV. Vix undecennis, cum in eo jam eſſet, ut Philoſophiam docendus, magiſtris ſocietatis Jeſu Divionenſibus à patre committeretur, odio Religionis Romanæ, jam tum Reformatæ ſtudioſior, matris impulſu, repugnabat. Tandem, ut Pariſios mitteretur, impetrabat. Ibi cum Iſaaco Caſaubano aliisq; converſatus, ſolutis pro fide Pontificiâ præcipuis argumentis oppoſitis, inconſulto, qvin & ignorante patre, à qvô Senatoriæ dignitatis ſucceſſor exoptabatur, Reformatorum ſe palam addixit Eccleſiæ. In qvâ tutiorem Deo cultum præſtiturus, Heidelbergam cogitabat; cum Dionyſii Gothofredi, tum Palatinæ Bibliothecæ famâ inſtigatus. Eò migrare ut concederet, diu neqvicqvam orabat patrem; ne tum qvidem conſcium, jam rejecta filio papalia dogmata, ideòq; cumprimis, ne ab iiſdem diſcederet, metuentem.

V. Genitoris tantum non extorto conſenſu, Heidelbergam anno M. DC. VIII, veniebat, ibiq; per Iſaaci Caſauboni commendatitias litteras, maximè per ingenium ſuum, Jano Grutero, Joachimo Lingelshemio, & Dionyſio Gothofredo, qvô doctore juris artem cœpit colere, non mediocriter ſe inſinuabat: qvanto plura diſcenda ſpeculatus, tantò in omne diſciplinarum liberalium genus, præſertim antiqvitates, propenſior. In interiorem Gruteri amicitiam admiſſus, ad locupletiſſimam Bibliothecã Palatinam liberum ſibi faciebat aditum. Qvam exoptatam ſtudiorum occaſionem utraq; manu arripiendam ratus, eo ardore libris Græcis & Latinis incubuit, ut tertiam qvamq; noctem inſomnem tranſigeret. Sed nimis exornando animo intentus, imbecillioris corporis negligentior, in morbum incidit. A qvô ut penitus ſe vindicaret, parcior laborum exſtitit.

VI. Triennium in Palatinatu ſubſtiterat, cum Italiæ caput, Romam

mam perluſtrare certus, mercatorum ad eandem abiturientium ſocietati nomen ſuum adſcriberet. At nocte lucem illam, qvæ ſuſcipiendo itineri deſtinabatur, præcedente inqvietus, id interdicentem ſibi vocem audire viſus, mutavit conſilium; qvantum vel ob Nili & Barlaami pontificio principatui adverſantium libros, ſi agnoſceretur editor, periculum poſſet incurrere, animo præmeditatus.

VII. Ad ſuos hinc in Burgundiam reverſus, Lutetiam ſæpius reviſebat; ex regia Bibliotheca ſubinde codices (poſt menſtruum tempus reportandos) in Burgundiam deferendi poteſtatem conſecutus. Inter has curas ad maturam progreſſus ætatem, conjugem Annam, Joſia Mercero, Joannis filio, genitam, ſibi conjungebat. Huic univerſa domeſticæ rei curâ permiſſa, ipſemet, ne qvod eruditioni ſolidæ, qvam affectabat, obſtaculum ſe interponeret, præcipuis orientalium gentium lingvis addiſcendis ſe accingebat. Jam Hebræam, Chaldaicam, Syriacam, ſed & Arabicam, Perſicam, Ægyptiacam tenere, nec Indicæ, nec Sinenſis planè imperitum eſſe; jam manſvetioribus litteris Jurisprudentiam copulaſſe, non ſatis habebat. Ipſam qvoq; ſcientiarum reginam, Theologiam; Medicinam, Philoſophicas diſciplinas, capacis, &, qvod ſemel arripuerat, retinentis memoriæ fiduciâ, perſcrutandas ſibi proponebat.

VIII. In præcipuis Europæ locis jam clarus, in privato adhuc ſubſidebat. Ut ſtationem obiret publicam, magnos habebat monitores. A Venetis, ut Patavino Gymnaſio; à Britannis, ut Oxonienſi Academiæ Profeſſorem daret, invitabatur. His, qvod minus ad genium ſuum neſcio qvid exigerent; illis, qvod religionis veritati renunciare, conſcientiâ prohiberetur, obſeqvium denegabat.

IX. Ex eo, cum fama creſcebat autoritas; &, qvò difficilior erat, eò intentius deſiderabatur. Urbano VIII Pontifici arridebat, qvod libro de Suburbicariis Eccleſiis adverſus Jacobum Sirmondum, ſocietatis Jeſu, nonnulla, qvæ ad exiſtimationem Epiſcopi Romani per Chriſtianas terras ſtabiliendam pertinere videbantur, inſerere non dubitaviſſet: tanti certè habebatur, cui per Aurelianenſem Epiſcopum amicam ſalutationem denunciaret.

X. Cum à Batavis, ut Joſephi Scaligeri locum in Academia Lugdunenſi occuparet, circiter annum M. DC. XXX, ſolicitaretur; qvid

ageret, dubius, accuratiore mentis æſtimatione, cum ſe, tum ſtudia ſua, diu penſitabat. In his præcipuum ſibi ſcopum præfixerat, Eccleſiæ primitivæ univerſam antiqvitatem, maximè, qvatenus in eâdem Pontificii præſidium qværunt, obſervationibus illuſtratam dare. Huic propoſito feliciter exeqvendo minus idoneam judicabat Galliam, in qvâ nuſpiam ſibi locum ſatis tutum videbat. Qvare Iſaacum Caſaubonum, qvi contra Cæſarem Baronium Cardinalem ſcripturus, ſe in Angliam receperat, imitaturus, rebus ſuis eò meliorem in Batavia ſedem ſtatuebat, qvò major ibi, qvam in regno, libertas pateret. Erant tamen, qvæ proclivem retrahebant; frigidus cæli genius, cujus impatientior erat: multorum invidia, cum qva luctari, & moleſtum, & periculoſum habebat, præſertim extra ſolum natale.

XI. Conditionibus tandem ab arbitrium oblatis victus, circa exitum anni M. DC. XXXII, Lugdunum Batavorum ſe cum familia contulit, non, ut Joſephi Scaligeri exemplo, cum Juſto Lipſio ſuccederet, Profeſſorem ageret, ſed ut Academiam honore nominis ſui nobilitaret, ſcriptis inclareſcere faceret, præſentiâ condecoraret. Qvare omnibus ſuperior Profeſſoribus, in publicis actibus, oppidanis qvidem proximum civitatis magiſtratui locum; academicis verò, ſingularem, & qvadam intercapedine diſtantem à reliqvis ſedem habebat. Ea prærogativa ſummis ingeniis aliis, (qvantò plus dignitatis uni conferebatur, tantò minus ſibi relictum eſſe judicantibus) perpetua indignationis materia, diuturnioris invidiæ nutrimentum fuit.

XII. Anno M. DC. XL, parentem, grandævum ſenem, qvi ex ſcriptis filii, & doctior, & melior, â Pontificiis circa Religionem ſententiis alienus eſſe jam cæperat, amiſit. Galliam ideo repetiturus, præpotentium Hollandiæ pariter & Weſtfriſiæ Ordinum autoritate, ſimul in ſecuritatis certitudinem, & honoris documentum, nave bellica, cum comitatu claſſis, Diepam deferebatur. Lutetiam Pariſiorum appulerat. Ibi non modò privatis, Hugoni Grotio, aliisq; ſummis viris, ſed regni Proceribus etiam, humaniorem in modum tractabatur. Præ cæteris in Cardinale Richelio, tum potente Gallorum manu, liberalem in ſe notabat affectum. Nam, ſi larem in Gallia figeret, ſtipendium duplo majus, qvam in Belgio caperet, ſpondebat; ſolutionem certam & promtam; addebat; nihil exigi laboris, ſolam

ipſius

ipſius in Gallia præſentiam deſiderari. His & Regis, & Cardinalis ſollicitationibus ut ſe ſubduceret, in Burgundiam iter maturavit, de paterna hæreditate cum germanis transacturus.

XIII. Divione dum moratur, anno M. DC. XLII, ad finem decurrente, Richelius ex humanis abit; Rex Ludovicus XIII, ſeqventis anni vere, imperium vitamq; ponit. Tantis nominibus exſtinctis, jam de libertate ſuâ retinendâ ſecurior, anno M. DC. XLIII, Lutetiam revertebatur. Ibi verò peculiarem in ſe propenſionem, qvam cum Richelio ſepultam credebat, in ipſius ſucceſſore Cardinale Mazarino reviviſcere intelligebat. Qvare ut tam forti ſe ambitioni ſubtraheret, confeſtim eodem anno in Bataviam rediit. Lugdunenſes Conſules ut reduci magis gratum ſtabilemq; conſtituerent larem; ipſam Principalem arcem in civitate ſua conceſſerunt habitandam.

XIV. Paulo poſt, de Salmaſio in Galliam reducendo, (qvi interim de Presbyteris & Epiſcopis diſſertatione omnem Eccleſiæ Romanæ Hierarchiam ab ipſis fundamentis oppugnaverat, & jam de Pontificis primatu exercitationes ſuas prælo ſubjecerat,) cum alii, tum inprimis Mazarinus cogitabant. Id impedire Papalis Nuncius, qvi Pariſiis erat, ſummopere contendebat; ne tolerandum qvidem in Chriſtianiſſimo regno, jam præſentem, peſtilentiſſimum hæreticum; nedum, ut illud ingrediatur, magnificè invitandum eſſe, ratus. Sed aliud de Salmaſio judicium Cardinalis erat; efficientis autoritate ſuâ, ut, poſthabitis Nuncii crebris interceſſionibus, regiæ litteræ, cum ad Salmaſium, qvibus in Galliam vocabatur, tum ad fœderatos Belgii Patres, ut virum dimitterent faciles, perferrentur. Salmaſius ne his qvidem permotus, ut è Belgio diſcederet; tamen in aulâ Regis non perdidit gratiam. Qvin ab eodem, cum in Eqveſtrem, tum in Sanctioris conſilii Ordinem, ſponte miſſo diplomate, ſuſcipiebatur.

XV. Poſt hæc, Regina Svecorum, Chriſtina, ſingularis eruditionis Patrona, dudum regno ſuo exoptatam Salmaſii præſentiam litteris amicis expetebat. Cum eo, dum ſe itineri præparat, epiſtolarum, qvas ſuâ manu, bene longas, ſex, ſeptem, pluriumq; paginarum ſolebat ſcribere, commercium freqventiſſimum init. Tandem ardentiori deſiderio victa, ſe ad ipſam venturam, ſi ad Reginam iter, diutius qvidem, differre ſuſtineat, reſpondet. Salmaſius hinc verecundiâ

 compul-

compulſus, anni M. DC. L, mediâ æſtate in Sveciam properat. Cui tam gratus, tam venerabilis fuit, ut præſentis augeret, adeo nihil minueret fama. Certè cum ex aſpero cœli Svecici habitu laboraret, decumbenti adeſſe, qvin & officia qvædam charitatis ne Regina qvidem præſtare dubitavit. Meliori valetudini redditus, in Belgium cogitabat. Abiturienti ampliſſimas Regina conditiones offerebat: ſed datam Lugdunenſibus fidem, ſe ad Batavos rediturum, aliaq; cauſato, perſvadere non poterat, ut in Septentrione domicilium figeret.

XVI. Præcipiti menſe Julio, matrimonii ægrotantis comes, ad bibendas acidulas, Lugduno Spadam profectus erat, defenſionemq; Caroli I, Anglorum Regis, componebat, cum ſolenne ſibi malum, arthritidem, concurrente febriculâ, ſentiret. Ibi creſcentis efficacia morbi ſuperatus, die III, Septembris, anno M. DC. LII, deceſſit: Trajecti, qvò cadaver poſtridie translatum fuit, ſepultus.

ARTICULUS II.
Claudii Salmaſii Scripta.

Claudius Salmaſius de Romanorum re militari compoſuit librum. Prodiit, opus poſthumum, Lugduni Batavorum M. DC. LVII, in 4.

ARTICULUS III.
Judicia de Claudio Salmaſio.

I. Gerardus Joannes Voſſius lib. IV, inſtitutionum Oratoriarum, cap. VI, tmemate II: *Qvam* (opinionem) *poſtea planè nobis exemit ὁ πάνυ Salmaſius.*

II. Marcus Zuerius Boxhornius Animadverſionibus ad Plutarchi qvæſtionem Romanam LXXVI: *Qvemadmodum ad hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores vir magnus Claudius Salmaſius obſervavit.*

III. Andreas Senftlebius de navibus veterum, cap. X: *Omnium optimè, ſuo more, magnus ille Salmaſius.*

IV. Nicolaus Pinellus additamento ad Onuphrii Panvinii de ludis Circenſibus lib. I, cap. XII: *Qvem corruptum locum ſic reſtituebat eruditorum eruditiſſimus, eruditiſſimorum verò Phœnix Claudius Salmaſius.*

V. Joannes Rhodius centuria III, obſervationum medicinalium, obſer-

obſervatione 100. extrema: *Amyutæ veteris autoris fide planum fecit in exercitationibus Plinianis ad Solinum litteratorum Princeps Claudius Salmaſius.*

VI. Joannes Antonides Lindanus lib. IX, Selectorum Medicorum, §. XXXVIII: *Cum hoc ſummo Medico facit ſummus Criticus & ſæculi Phœnix Salmaſius.* Ibidem §. LXXI: *Hoc verbum excellenter exercuit Criticos, & forte etiam nunc eſſet in obſcuris, ſi non explicaſſet admirandiſſimus Salmaſius, quo majorem promptioremq; ſæcula non viderunt in talibus Oedipum.*

VII. Nicolaus Henelius Otio Vratislavienſi cap. XLIX: *Apoſtoli locum ſic redditum, ex antiqviſſimo codice Bibliothecæ Puteanæ teſtatur vir ſummus, incomparabile litterarum decus, omnigenæ eruditionis promtuarium inexhauſtum Claudius Salmaſius.*

VIII. Fortunius Licetus lib. VI, de antiqvorum Lucernis, cap. XXX: *Obſervatum hoc maximo Salmaſio.*

CAPUT XCI.

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS.

ARTICULUS I.

Marci Zuerii Boxhornii Vita.

I.

MArcus Zuerius Boxhornius, anno M.DC.XII, Bergizomii, qvod Brabantiæ oppidum eſt, natus, litteris applicata ingenii promtitudine condiſcipulos ſuos ex facili ſuperabat. XII agebat ætatis annum, cum in civium numerum â Lugdunenſi Batavorum Academia reciperetur. In eâ præcellentium Profeſſorum, maximè Danielis Heinſii, freqvens auditor, brevi tempore copioſam doctrinæ politioris ſupellectilem ſibi comparavit.

II. Sedecim annos natus jam ſcribere, qvin & edere libros cœpit. His cum in admirationem ſui laudemq; clariſſimos Viros convertiſſet, â Curatoribus in eadem Academia publicam Eloqventiæ tradendæ provinciam adipiſcebatur. Eam deinde Hiſtoriarum & Politices profeſſione permutabat. A Svecorum ad fœderatos Belgii Ordines,

dines Legato, cum Reginæ, tum Procerum nomine, oblatis ampliſſimis in Svecia dignitatibus amorem patrii ſoli præpoſuit. Humanis, Lugduni Batavorum, die III, Octobris, anno Chriſti M. DC.LIII, ætatis XLI, valedixit.

ARTICULUS II.

Marci Zuerii Boxhornii Scripta.

Marcus Zuerius Boxhornius qvæſtiones Romanas XLVIII, qvibus ſacrorum profanorumq; rituum apud Romanos cauſas & origines adducit & explicat, poſteritati reliqvit. Prodierunt Lugduni Bat. M. DC.XXXVII, in 4.

CAPUT XCIII.

JOANNES FREINSHEMIUS.

ARTICULUS I.

Joannis Freinshemii Vita.

I.

JOannes Freinshemius vitam ſuam Bartholomæo Freinshemio, & Eliſabetæ Meyeliæ, parentibus acceptam retulit. Hanc XVIII die Novembris, anno M. DC. VIII, auſpicatus, Ulmam Svevorum invenit patriam.

II. Ignei ſecutus ingenii celeritatem, præclaras naturæ dotes adhuc puer, multò ſupra ſtudiorum ſocios, induſtriâ perficere contendebat. XV ætatis anno, jam Academicis curis animum applicabat. Ex Marpurgenſium & Giſſenſium Athenæis, ubi legum maximè cultor exſtiterat, Argentoratum, optimo fato ſuo, ſe conferebat. Nam, cum ibidem, clariſſimo viro, Matthiæ Berneggero, qvibuſdam patriâ lingvâ compoſitis poëmatibus innotuiſſet, ita ſe, tum indolis excellentiâ, tum ſingularis diligentiæ conſtantiâ, commendabat, ut indies charior, tandem ab eo numeroſiſſimâ inſtructiſſimaq; Bibliotheca, propè tanqvam ſuâ, utendi facultatem acciperet. Qvô eruditionis augendæ raro & exoptatiſſimo inſtrumento, nocturnis etiam horis, omnes humanitatis, ſapientiæ, prudentiæ diſciplinas ingenio ſubigere nitebatur.

III. Jam publicare ingenii monumenta cœperat, cum in Galliam conceſſit. In eâ per triennium illuſtris Michaelis Mareſcotti contubernio gaviſus, inter Regis Secretarios interpretes locum tenuit.

IV. Hinc ad Argentoratenſes reverſus, anno M. DC. XXXVII, aſſumtâ in matrimonium Eliſabeta, Berneggerum, qvem fidelem præceptorem, qvem ſummum fautorem habuerat, ſocerum accipiebat. Cum eo, qvem intimæ familiaritatis, non affinitatis tantum, arctiſſimo vinculo tenebat & poſſidebat omnem, tectum, menſam, muſeum, bibliothecam, omnia prope ſtudia, ut filius, non ut gener, habebat communia.

V. Poſt hæc ſcriptis in dies clarior, multis qvidem locis ſalivam movit; diu tamen expetentium ſe nulli permiſit. Tandem, cum Svecia qvæſitam armis gloriam litteris illuſtriorem facere, ſolitô vehementius contenderet, ideoq; nobiliora ingenia ſplendidis præmiis alliceret, oblatum in Upſalenſium Academia munus, nihil amicorum dehortationes veritus, capiebat. In eâ doctrinæ civilis & eloqventiæ profeſſorem, ab anno M. DC. XLII, per qvinqvennium egit.

VI. In hac provinciâ cum induſtriam fidemq; ſuam, ſingulari eruditioni accedentem, cunctis probaviſſet, ab ipſa Regina Chriſtina in aulam vocatus, ut Bibliothecarium & Hiſtoriographum regium ageret, tranſiit. Ab illâ neqvaqvam ſolos in ſpeciem magnificos titulos; præter liberalem victum, duo millia qvotannis uncialium nummorum accepit: qvin aliqvando, cum ejus natalem oratione qvadam honeſtaviſſet, qvingentis aureis donatus abiit.

VII. Reliqvis facile contentus, frigidioris in Svecia cœli non ferre poterat rigorem, magis magisq; valetudini nocentem. Cui ut conſuleret, à Regina veniam diſcedendi conſecutus, poſt firmatam Germaniæ pacem, anno M. DC. LI, patrium ſolum repetebat. Ibi verò, præter ægrimoniam corporis, neſcio qvas curas, qvibus exerceretur, ſentiebat. Cæterum ab eadem Svecorum Regina, cum Italicas terras aditura, in Germaniam veniſſet, honore Conſiliarii regii, anno M. DC. LV, augebatur.

VIII. Eo tempore Carolus Ludovicus, Princeps Elector Palatinus, Majorum exemplo, magnus litterarum Patronus, inter arma concuſſam collapſamq; Myrtilletenſem Academiam in integrum reſtituere

tuere laborabat. In eam Freinshemius, qvam præſentia ſua nobiliorem redderet, vocatus, anno M. DC. LVI, & Electoralis Conſiliarius, & honorarius Profeſſor lectus, ſe cum familia recepit.

IX. Scilicet Principibus etiam, non privatis modò, charus & æſtimabilis erat; cui, ut alios taceam, Carolus Guſtavus, Svecorum Rex; Bernhardus Magnus Saxonum, & Auguſtus, Brunſvicenſium Duces, armorum, ſed & litterarum gloriâ memorabiles, propenſionem ſuam epiſtolis, qvas ad ipſum manibus ſuis ſcripſerant, indicare non dubitaverunt. Præter patriam, &, qvas eruditis viris habemus proprias, Latinam, Græcam & Hebræam, plures alias lingvas, Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, Anglicam, Svecicam, Danicam, Belgicamq; calluit.

X. Geminam illam per qvadriennium apud Heidelbergenſes ſtationem egerat, cum ſimul utraq;, ſimul vitâ deceſſit: die XXXI. Sextilis, anno Chriſti M. DC. LX, ætatis LII.

ARTICULUS II.

Joannis Freinshemii Scripta.

I. Joanni Freinshemio ſupplementa Liviana debemus. Horum tomus prior LX libros continet. Ex iis primum, qvem in locum libri XI Liviani conſcripſit, orditur à Q. Fabii Conſulis contra Samnites in Campaniam expeditione, qvam anno Urbis 461, Mundi 3658, ante C. N. 290, ſuſcepit: decimum, qvi vigeſimi Liviani defectum ſupplet, in M. Livii, & L. Pauli conſulatu, ſive anno Urbis 534, Mundi 3731, ante C. N. 217, claudit. Librum XI, qvem in XLVI Liviani locum compoſuit, incipit ab Eumenis Aſiæ Regis in Italiam adventu, ſive ab anno Urbis 587, Mundi 3784, ante C. N. 164. Sexageſimum, qvi Livii nonageſimum qvintum repræſentat, in Mithridatis præſidio Heracleanis impoſito, id eſt, in anno Urbis 680, Mundi 3877, ante C. N. 71, finit.

II. Prodiit horum ſupplementorum pars, qvæ primos decem libros complectitur, Holmiæ M. DC. XLIX, in 12: tomus autem prior, qvi recenſitos LX libros comprehendit, Argentinæ M. DC. LIV, in 4.

ARTI-

Articulus III.

Judicium de Joanne Freinshemio.

Joannes Seldenus lib. II, de Jure naturali, cap. VIII: *Nuperus politæ qvidem eruditionis editor* (Flori) *Joannes Freinshemius: Nibil certius, inqvit, hac conjecturu Lipſiana. Sed interea, tantorum virorum pace, undenam τῷ vitem, heic locus eſſe poteſt ullus?*

LIBRI
De Romanarum Rerum
Scriptoribus
Pars Posterior,
De iis, qvorum tempora ſunt incognita.
Caput I.
Myrsilus Lesbius.

I.

Myrſilum Lesbium & antiqviſſimum eſſe ſcriptorem, & hiſtorias Græca lingva compoſitas poſteritati reliqviſſe, paſſim apud veteres Autores reperitur, unde colligas. Antigonus Caryſtius mirabilium narrationum cap. XVII, Guilielmo Xylandro interprete: *Myrſilus Lesbius in monte Lepetymno ait fanum eſſe Apollinis.* Et cap. CXXIX: *Myrſilus Lesbius Locros Ozolos ait gentile cognomen adeptos à fœtore ſuæ regionis.* Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I, antiqvitatum, cap. XXIII, extremo; Sigismundo Gelenio interprete: *Hæc Myrſilus Lesbius penè totidem verbis tradit, qvibus ego nunc, niſi qvod non Pelasgos vocat, qvi hoc*

fecerunt, ſed Tyrrhenos. Et cap. XXVIII: *Myrſilus contra diſſentiens ab Hellanico, Tyrrhenos ait poſt relictam patriam pasſim vagabundos mutato nomine dictos eſſe Pelasgos, qvadam alitum Pelargorum ſimilitudine, qvod oberrarent per Græcas regiones atq; barbaras.*

II. Myrſili Lesbii nomen præfixum gerit, de Italorum, & inter eos ſpeciatim de Tyrrhenorum origine libellus Latinus, qvem primus omnium Joannes Annius edidit atq; commentariis illuſtravit.

III. Prodiit, inter alios ſcriptores, cum Annii commentariis, Romæ M.CCCC. XCVIII. in f: Pariſiis M. D. XV, in f: Witebergæ M. DC. XII, in 8. Abſq; commentariis, Baſileæ M. D. XXX, in 4: Heidelbergæ M. D. XCIX, in 8: Onuphrii Panvinii de Rep. Romana commentariis ſubjunctus, Pariſiis M. D. LXXXVIII, in 8: inter antiqvæ hiſtoriæ autores, qvos Dionyſius Gothofredus collegit, Lugduni M. D. XCI, in 16.

IV. De hoc Annii Myrſilo Lesbio, Gerardus Joannes Voſsius lib. III. de Hiſtoricis Græcis: *Myrſilus ille eſt ipſius Annii proles.*

V. Videantur de eodem Myrſilo judicia ſuperius adducta, Leandri Alberti, parte I, cap. I, art. III, §. II: Antonii Poſſevini, ibidem §. IV.

CAPUT II.

AUTOR Commentarii de bello Hiſpanico Julii Cæſaris.

I.

Commentarii de bello Hiſpanico, ſeu qvod Julius Cæſar cum Cn. Pompeji Magni filiis in Hiſpania geſſit, jam olim incertum autorem, aliis Aulum Hirtium, aliis Cajum Oppium creditum fuiſſe, Tranqvillus in Julio cap. LVI, tradit. Qvicunq; fuerit ejus conditor, certè Hirtius non erit, â cujus in ſtilo elegantia longius abit.

II. Incipit ille commentarius â Cæſaris, poſt receptam Africam, in Hiſpaniam contra Cn. Pompejum, Magni filium, tranſitu, ſive anno Urbis 707, Mundi 3904, ante C.N. 44: &, qvalis hodiè reperitur, in fine mutilus, deſinit in oratione, qvam poſt allatum in fuga inter-

interfecti Cn. Pompeji caput, Cæſar Hiſpali ad milites habuit, anno Urbis 708, Mundi 3905, ante C. N. 43.

III. Eundem commentarium explicatum dederunt Joannes RHELLICANUS, Henricus Loritus GLAREANUS, Joannes GLANDORPIUS, Aldus MANUTIUS Pauli filius, Fulvius URSINUS, Petrus CIACCONIUS, Joannes BRANTIUS, Arnoldus MONTANUS.

IV. Prodiit, inter Julii Cæſaris opera, cum *Glareani* annotationibus, Pariſiis M. D. XLIV, in 8: cum *Manutii* ſcholiis, *Urſini* variis lectionibus, Venetiis M. D. LXXI, in 8: Lugduni M. D. LXXIV, in f.: cum *Glareani* annotationibus *Manutii* ſcholiis, *Urſini* emendationibus, Francofurti ad Mœnum, M. D. LXXV, in f: ibidem M. D. LXXXIX, in f: cum *Glareani* annotationibus, *Urſini* emendationibus, Baſileæ M. D. XCI, in 8: cum *Urſini* variis lectionibus, Argentorati M. D. XCVI, in 16: Lugduni M. DC. XIII, in 16: cum *Rhellicani*, *Glareani*, *Glandorpii* annotationibus, *Manutii* ſcholiis, *Urſini* & *Ciacconii* notis, *Brantii* & politicis & criticis notis, Francofurti ad Mœnum M. DC. VI, in 4: cum *Montani* aliorumq; ſelectis notis, Lugduni Batavorum M. DC. LI, in 8.

V. De hoc commentario Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XIII: *Stilus ejus duriuſculus eſt & ornatu carens; qvæ cauſa eſt, cur aliqvi eum barbarum vocent: perperam profecto.*

CAPUT III.

AUTOR Epitomarum Livianarum.

I.

IN Titi Livii libros autor epitomarum qvis ſit, nondum habemus exploratum. Non nullis ipſe Livius, qvibuſdam L. Annæus Florus, aliis alius earundem ſcriptor judicatur eſſe.

II. Qvicunq; fuerit, incipit epitomarum primam ab adventu Æneæ in Italiam, id eſt ab anno Mundi 2769, ante Romam conditam 429, ante C. N. 1179: Ultimam, qvæ eſt CXL, finit in morte Druſi, qvi Cæſaris Auguſti privignus fuit, & ex fractura, eqvo ſuper crus collapſo, exſpiravit anno Urbis 744, Mundi 3941, ante C. N. 7.

III. Prodierunt, Livio (cui pleriſq; in editionibus additæ inve-

niuntur) inſertæ, cum Caroli Sigonii ſcholiis, Venetiis M. D. LXVI, in f: Francofurti ad Mœnum M. D. LXVIII, in f: ibidem M. D. LXXVIII, in f.

CAPUT IV.

AUTOR faſtorum CAPITOLINORUM.

I.

SUperioris ſæculi anno XLVII, Romæ inter forum & ſacram viam, ante templum Fauſtinæ, ruderibus egeſtis, inventa ſunt marmorum fragmenta Romanos faſtos inſculptos repræſentantia. Hæc Alexander Farneſius Cardinalis, auſpiciis & ſumtibus ſuis collecta, & juſtam in formam compoſita, in Palatio Capitolino reponi curavit. Qvibus ideo tale fuit præfixum epigramma:

SENATUS. POPULUSQVE. ROMANUS.
MONUMENTA. MARMOREA. MAGISTRATUUM.
TRIUMPHORUMQVE. AB. URBE. CONDITA.
AD. TEMPORA. DIVI. AUGUSTI. RUDERIBUS.
IN. FORO. EGESTIS. ERUTA. IMPENSA. ALEX.
FARNESI. CARD. PAULI. III. PONT. MAX. NEPOT.
IN. CAPITOLIO. P.

Inde faſtorum Capitolinorum accepere nomen, qvod hodieq; ſuſtinent.

II. Qvis eos ſcripſerit, prorſus incertum eſt. Sunt, qvi M. Verrio Flacco Grammatico tribuunt. Inter qvos eſt Onuphrius Panvinius, præfatione in eosdem faſtos. Sententiæ ſuæ fundamentum habent Svetonii de illuſtribus Grammaticis cap. XVII, hæc verba: *Statuam habet Præneſte in inferiore fori parte contra hemicyclum; in qvô faſtos à ſe ordinatos & marmoreo parieti inciſos publicarat.* Qvô in loco, pro *Præneſte*, ſcriptum arbitrantur, *pro Veſtæ*, vel *prope Veſtæ*. Sed nec ab antiqva ſcriptura, contra exemplarium fidem, temere diſcedendum fuerat; & in nova qvoq; nullum præſidium inveniunt. Id qvod fuſius oſtendunt, Stephanus Vinandus Pighius annalium lib. I, ad annum Urbis I, & Gerardus Joannes Voſſius lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. XI, & XX.

III.

III. Certè faſtorum Capitolinorum ſcriptor M. Verrius Flaccus eſſe non poteſt. Nam, ut Svetonius dicto loco refert, *decesſit ætatis exactæ ſub Tiberio*, qvi anno Urbis 763, imperium ſuſcepit, & cum vitâ poſuit anno Urbis 788. Nec eſt, qvod T. Pomponium Atticum ſuſpiceris conditorem eſſe, de qvô Cornelius Nepos cap. XVIII: *Moris etiam majorum ſummus imitator fuit, antiqvitatisq; amator: qvam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine expoſuerit, qvô magiſtratus ordinavit. Nulla enim lex, neq; pax, neq; bellum, neq; res illuſtris eſt populi Romani, qvæ non in eo, ſuo tempore, ſit notata: &, qvod difficillimum fuit, ſic familiarum originem ſubtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines posſimus cognoſcere.* Qvæ faſtis Capitolinis egregiè qvidem reſpondent. At enim, ſicut idem Nepos cap. XX, tradit: Atticus *Cn. Domitio, C. Soſio Coſſ. decesſit*, id eſt, anno Urbis 721. In Capitolinis autem marmoribus fragmentum reperitur, in qvô annus poſt Romam conditam 841 exſtat, qvô ſæculares ludos Domitianus imperator celebravit.

IV. Cæterum hi faſti, qvatenus iis malignitas temporum pepercit, Romanorum Conſulum aliorumq; magiſtratuum, bellorum, triumphorum, pluriumq; memorabilium rerum annos indicant. Etenim multis in locis, non modò ſyllabas, ſed etiam voces, imò lineas integras, ſeu ipsâ vetuſtate, ſeu qvodam caſu, ſeu hominum voluntate, perdiderunt, & paſſim, præter ſolitarias litteras, nihil repræſentant.

V. Principium eorundem, qvantum perſpici poteſt, triumphus eſt, qvem Ancus Martius de Sabinis egit, anno Urbis 120, Mundi 3317, ante C. N. 631: finis eſt C. Silii & L. Munatii Planci conſulatus, ſive annus Urbis 765, Chriſti 13: niſi qvod præterea ſupereſt fragmentum, qvod ludos ſæculares qvintos, anno Urbis 735, habitos indicat; & annum P. R. C. DCCCXLI, qvi eſt à Chriſto nato 89, adſcriptum habet, qvô ſeptimos ſæculares ludos Roma celebravit.

VI. Hos faſtos, prout in lapidibus inveniuntur, deſcriptos, ſub M. Verrii Flacci nomine, Onuphrius Panvinius publicavit. Prodierunt, in ejus appendice faſtorum, Heidelbergæ M.D.LXXXVIII, in f.

VII. De iisdem faſtis Stephanus Vinandus Pighius ad Lectorem præfatione, qvam annalium ſuorum tomo I, præmiſit: *Qvod ipſum demonſtrant, licet admodum mutila, florentis attamen imperij Romani tem-*

pore correctiſſimè ſculpta faſtorum fragmenta marmorea. Ibidem poſt qvædam: *Capitolini faſti, ut antiqviores, & florentiſſimi ſanè temporis, ita præclariores ſunt, & maximo in pretio habendi, qvod non ſolum conſules, verum & alios maximos magiſtratus, cenſores ſcilicet & dictatores cum ſuis eqvitum magiſtris proferant, magiſtratuumq́; ſingulorum perſonas patris aviq́; prænominibus exactè diſcernant, ut ex ſimilitudine nominum naſci confuſio vel obſcuritas neqveat.* Et lib. I, annalium, ad annum Urbis I: *Autor ille faſtorum Capitolinorum antiqvitatis ac hiſtoriæ veteris peritiſſimus, qvem operis elegantia ſæculi omnino florentis fuiſſe demonſtrat.*

CAPUT V.

SEXTUS AURELIUS VICTOR.

I.

SExtum Aurelium Victorem, cujus epitomen de vitis Imperatorum habemus, non eundem eſſe, de qvô parte priori, cap. XXIX, egimus, ſatis liqvet. Nam & diſpari ſcripſerunt ſtilo, & contrariis interdum ſententiis pugnant.

II. Præterea noſter Aurelius, utrum Victor, an Victorius, an Victorinus cognomine audiat, eſt cur dubitetur. Ejus enim de Imperatorum vitis opuſculum, epigraphe in Petri Pithæi MSto, qvod Andreas Schottus habuit, non expreſſis ultimis literis, *Sex. Aur. Victor.*: at Petri Danielis & Jacobi Cujacii codices, *Sex. Aur. Victorini*, docuerunt eſſe.

III. Imò qvid ſi prorſus alii, qvam aut Victori, aut Victorio, aut Victorino, ſuam debeat originem? Inſcriptio eſt: *De vitâ & moribus Imperatorum Romanorum, excerpta ex libris Sexti Aurelii Victoris, â Cæſare Auguſto uſq; ad Theodoſium Imperatorem.* Suſpicari poſſis, reliqvorum Autorum, Svetonii, Eutropii, aliorumq́; (forſan ſigno qvodam addito) omiſſis nominibus, innui Sextum Aurelium Victorem, non per qvem, ſed ex cujus aliorumq́; libris excerpta ſint, qvæ ſubſeqvuntur. Nam hunc Victorem ex illo, de qvô ſupra diximus, plurima deſumſiſſe, conferentibus inter ſe libros utriusq́; patet: ita, ut huic conjecturæ nihil obſtent, qvæ ex hoc ſcriptore, ſub Victoris nomi-

ne

ne,ab antiqvioribus qvidem citata inveniuntur,qvando in altero etiam Victore leguntur.

IV. Qvemadmodum verò iſtius epitomes autor incertus eſt: ſic, qvâ vixerit ætate,non repertum nobis, qvô demonſtremus. Gerardo Joanni Voſſio ad Theodoſii, Arcadii & Honorii tempora,lib. II,de Hiſtoricis Latinis,cap. XV, refertur. Nos eundem propterea, qvod hiſtoriam ſuam in Theodoſii morte finiat, ſub eodem ejusqve ſucceſſoribus filiis,Arcadio & Honorio,vixiſſe, [alio argumento deſtituti] non ſuſtinemus aſſerere.

V. Sæpius commemoratus liber incipit à Cæſare Octaviano Auguſto,cujus principatum ad annum Urbis 722, qvi eſt Mundi 3919, ante C. N. 29, refert: deſinit in Theodoſii I. exceſſu, qvi in annum Urbis 1146, Chriſti 394, incidit.

VI. Eundem emendandum declarandumqve ſuſceperunt Elias VINETUS, Fridericus SYLBURGIUS, Janus GRUTERUS.

VII. Prodiit,Svetonio ſubjunctus, Venetiis M. D. XVI,in 8: Juſtino ſubjectus,Pariſiis M. D. LVIII, in 16: eidem additus, cum *Vineti* caſtigationibus; Lugduni M. D. LXXXV, in 16: cum *Sylburgii* diverſis locorum Scripturis, tomo I, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum,qvos idem collegit,Francofurti ad Mœnum, M. D. LXXXVIII, in f: cum *Gruteri* notis,tomo II,hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum,qvos idem publicavit,Hanoviæ M. DC. X, in f.

CAPUT VI.
PUBLIUS VICTOR.

I. Publio Victori de Urbis Romæ regionibus liber adſcribitur. De qvâ materia cum ſimilem habeamus librum,qvi Sexto Rufo tribuitur,dubium oritur, utrúmne hi duo libri pro uno, an pro diverſis habendi ſint? Multa qvidem prorſus eadem continent; Sed tamen multa etiam diſcrepantia. Nec idem in utroqꝫ reperitur ordo; & qvædam in Rufo leguntur,qvæ in Victore non exſtant: contra qvædam in Victore inveniuntur,qvæ fruſtra in Rufo qværas.

II. Prodiit hic Victoris liber, Livio additus, Francofurti ad Mœnum M. D. LXVIII,in f: ibidem M. D. LXXVIII, in f: ibidem M. DC. XXVIII,in f: tomo II, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum,qvos Fridericus Sylbur-

Sylburgius edidit, ibidem M. D. LXXXVIII, in f: Onuphrii Panvinii de Rep. Romana commentariis inſertus, ibidem M. D. XCVI, in f: Jani Jacobi Boiſſardi antiqvitatum Romanarum parti I, adjectus, ibidem M. DC. XXVII, in f.

III. De eodem libro judicium Gerardi Joannis Voſſii adductum reperitur part. I, cap. XXXII, art. III, §. II.

CAPUT VII.

AUTOR libelli de Regionibus Urbis Romæ.

I. Neſcio cujus Autoris libellus reperitur, qvi Urbis Romæ in qvatuordecim regiones diviſæ qvandam deſcriptionem continet; aliam ab iis deſcriptionibus, qvas ſub Sexti Rufi & Publii Victoris nomine publicatas habemus.

II. Prodiit hic libellus Venetiis M. D. IX, in 4: tomo I, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, qvos Fridericus Sylburgius collegit, Francofurti ad Mœnum M. D. LXXXVIII, in f: utriusqve imperii Notitiæ præmiſſus, Baſileæ M. D. LII, in f: eidem præmiſſus, cum Guidi Panciroli commentario, Venetiis M. D. XCIII, in f: Lugduni M. DC. VIII, in f.

CAPUT VIII.

JULIUS EXSUPERANTIUS.

I. Julius Exſuperantius, nec qvis fuerit, nec qvando vixerit, cognitum habemus. De Marii, Lepidi, & Sertorii bellis civilibus conſcripſit opuſculum: qvod incipit à Metelli contra Jugurtham Numidarum Regem expeditione, cui Marius interfuit: id eſt, ab anno Urbis 644, Mundi 3841, ante C. N. 107: finit in victoris Cn. Pompeji, poſt interfectum Sertorium, & confectum per Hiſpanias bellum, ad Urbem reditu, ſive anno Urbis 682, Mundi 3879, ante C. N. 69.

II. Prodiit tomo II, hiſtoriæ Auguſtæ Scriptorum, qvos Janus Gruterus edidit, Hanoviæ M. DC. X, in f: cum Friderici Sylburgii diverſis locorum ſcripturis, tomo I, hiſtoriæ Romanæ Scriptorum, qvos idem Sylburgius publicavit, Francofurti ad Mœnum M. D. LXXXVIII, in f.

FINIS.

INDEX I.

Omnes Romanarum rerum Scriptores, de qvibus in hoc libro agitur, ſecundum Alphabeti ſeriem, repræſentat.

Additaq; pleriſq; patria, numerus cuiq; duplex ſubjunctus eſt: prior qvidem libri partem, poſterior verò caput denotat.

A.

Andreas *Alciatus*, Mediolanenſis Italus, I. 52.
Joannes *Annius*, Viterbienſis Italus, I. 49.
Marcus Aurelius *Antoninus*, I. 19.
Appianus Alexandrinus, I. 18.
Leonardus Brunus *Aretinus* Italus, I. 45.
Cajus Sempronius *Aſellio*, I. 3.
Antonius *Auguſtinus*, Cæſarauguſtanus Hiſpanus, I. 71.
Decius Magnus *Auſonius*, Burdigalenſis Gallus, I. 33.
Autor commentarii de bello Hiſpanico Julii Cæſaris, II. 2.
Autor epitomarum Livianarum II. 3.
Autor faſtorum Capitolinorum, II. 4.

Autor libelli de regionibus urbis Romæ, II. 7.
Autor notitiæ dignitatum utriusqve imperii Romani, I. 38.

B.

HEnricus *Bebelius*, Juſtingenſis Svevus, I. 50.
Blondus Flavius, Foroliviensis Italus, I. 46.
Joannes *Boccatius*, Certaldenſis Italus, I. 43
Janus Jacobus *Boiſſardus*, Veſontinus Burgundus, I. 76.
Marcus Zuerius *Boxhornius*, Bergizomenſis Belga, I. 91.
Abrahamus *Bucholcerus*, Schonavienſis Saxo, I. 68.
Julius Cæſar *Bulengerus*, Juliodunenſis Gallus, I. 86.

C.

CAjus Julius *Cæſar*, I. 4.
Julius *Capitolinus*, I. 27.
Georgius *Caſſander*, Gandavenſis Belga, I. 57.
Marcus Porcius *Cato*, Tuſculanus, I. 2.
Petrus *Ciacconius*, Toletanus Hiſpanus, I. 66.
Claudius *Claudianus*, Ægyptius, I. 35.
Philippus *Cluverius*, Gedanenſis Boruſſus, I. 84.
Antonius *Contius*, Noviodunenſis Burgundus, I. 64.

D.

DExippus Herennius, Athenienſis, I. 22.
Dio Casſius, Nicænus Bithynus, I. 20.
Dionyſius Halicarnaſſenſis Carius, I. 8.

E. *Eutro-*

E.

E*utropius*, I. 31.
Julius *Exſuperantius*, II. 8.

F.

GEorgius *Fabricius*, Chemnicenſis Miſnicus, I. 60.
Andreas Dominicus *Floccus*, Florentinus Italus, I. 44.
Lucius Annæus *Florus*, I. 15.
Joannes *Freinshemius*, Ulmenſis Svevus, I. 92.
Sextus Julius *Frontinus*, I. 16.

G.

VUlcatius *Gallicanus*, I. 23.
Joannes *Glandorpius*, Monaſterienſis Weſtphalus, I. 54.
Henricus Loritus *Glareanus* Helvetius, I. 55.
Hubertus *Goltzius*, Venlonenſis Belga, I. 67.
Abrahamus *Gorlæus*, Antverpienſis Belga, I. 82.
Nicolaus *Gruchius*, Rothomagenſis Gallus, I. 61.
Janus *Guilielmus*, Lubecenſis, I. 69.

H.

GRegorius *Haloander*, Cygneus Miſnicus, I. 51.
Herodianus, I. 21.
Aulus *Hirtius*, I. 5.
Franciſcus *Hotomannus*, Pariſienſis, I. 72.

I.

J Datius, Lemicenſis Hiſpanus, I. 39.
Flavius Claudius *Julianus*, Byzantinus, I. 30.

K.

JOannes *Kirchmannus*, Lubecenſis, I. 89.

L.

JUlius Pomponins *Lætus*, Amygdalarienſis, Italus, I. 48.
Ælius *Lampridius*, I. 26.
Wolfgangus *Lazius*, Viennenſis Auſtriacus, I. 56.
Juſtus *Lipſius*, Iſcanius Belga, I. 81.
Titus *Livius*, Patavinus, I. 9.
Marcus Annæus *Lucanus*, Cordubenſis Hiſpanus, I. 11.

M.

MArcus Antonius *Majoragius*, Italus, I. 53.
Paulus *Manutius*, Venetus, I. 63.
Ammianus *Marcellinus*, Antiochenus, I. 34.
Marcus Valerius Corvinus *Meſſalla*, I. 7.
Joannes *Meurſius*, Losdunenſis Belga, I. 88.
Myrſilus Lesbius, II. 1.

O.

ADolphus *Occo*, Auguſtinus Svevus, I. 78.

Olympio-

Olympiodorus, Thebanus Ægyptius, I. 37.
Joannes *Otho*, Brugenſis Belga, I. 65.

P.

Guidus *Pancirolus*, Reginus Italus, I. 73.
Onuphrius *Panvinius*, Veronenſis Italus, I. 59.
Cajus Vellejus *Paterculus*, I. 10.
Petrus *Patritius*, Theſſalonicenſis, I. 40.
Franciſcus *Petrarcha*, Aretinus Italus, I. 42.
Qvintus Fabius *Pictor*, I. 1.
Stephanus Vinandus *Pighius*, Campenſis Belga, I. 77.
Plutarchus, Chæronenſis Bæotus, I. 12.
Trebellius *Pollio*, I. 24.

R.

Petrus *Ramus*, Qvutenſis Gallus, I. 62.
Franciſcus *Robortellus*, Utinenſis, Italus, I. 58.
Joannes *Roſinus*, Iſenacenſis Thuringus, I. 80.
Sextus *Rufus*, I. 32.
Juſtus *Rycqvius*, Gandavenſis Belga, I. 85.

S.

Cajus *Salluſtius* Criſpus, Amiternenſis Sabinus, I. 6.
Claudius *Salmaſius*, Burgundus, I. 90.
Henricus *Savilu*, Anglus, I. 83.
Andreas *Schottus*, Antverpienſis Belga, I. 87.
Carolus *Sigonius*, Mutinenſis Italus, I. 70.

Cajus

Cajus *Silius* Italicus, I. 13.
Lobardus *Sirichius*, Patavinus, I. 47.
Ælius *Spartianus*, I. 25.
Richardus *Streinnius*, Auſtriacus, I. 75.
Cajus *Svetonius* Tranqvillus, I. 17.

T.

CAjus Cornelius *Tacitus*, I. 14.

U.

PUblius *Victor*, II. 6.
Sextus Aurelius *Victor*, I. 29.
Sextus Aurelius *Victor*, II. 5.
Flavius *Vopiſcus*, Syracuſius Siculus, I. 28.
Fulvius *Urſinus*, Romanus, I. 74.

X.

ROdericus *Ximenes*, Toletanus Archiepiſcopus, Navarræus, I. 41.

Z.

JOannes Sarius *Zamoſcius*, Polonus, I. 79.
Zoſimus, I. 36.

INDEX II.

Omnes Romanarum rerum Scriptores: qvos hujus libri pars prior continet, ſecundum ultima tempora, qvibus eos vixiſſe, extra controverſiam eſt: qvos autem poſterior pars recenſet, tantum eo ordine, qvô de iiſdem agitur, locatos repræſentat.

† Qvibus eſt præfixum, eo anno, ad qvem referuntur, mortuos indicat.

PARTE PRIORI.

Ante Chriſti nativitatem.

Part. I. Cap.	ANNO					ANNO	
	†	ætatis	ab U.C.	ante C.N.		Rerum memoralium	
1	—	—	537	214	Qvintus Fabius *Pictor*	Belli Punici II.	4
2	†	85	604	147	Marcus Porcius *Cato* -	Belli Pun. III.	1
3	—	—	620	131	Cajus Sempronius *Aſellio*	Numantinis exitiali.	—
						Imperatorum Romanorum.	
4	†	56	709	42	Cajus Julius *Cæſar* - -	imperii ſui	5
5	—	—	709	42	Aulus *Hirtius* - - -	Julii Cæſaris.	5
6	†	52	719	32	Cajus *Salluſtius* Criſpus	Auguſti -	10
7	—	—	740	11	Marcus Valerius Corvinus *Meſſalla* - - -	- - -	31
8	—	—	745	6	*Dionyſius* Halicarnaſſenſis	- - -	36

P. I. C.	ANNO				Poſt Chriſti Nativitatem.	ANNO	
	†	Ætatis	ab U.C	Poſt C.N.		Imperatorum Romanorum	
					Sæculo I.		
9	†	76	769	17	Titus *Livius* - - - -	Tiberii -	4
10	—	—	782	30	Cajus Vellejus *Paterculus* -	- - -	17
11	†	26	817	26	Marcus Annæus *Lucanus* -	Neronis.	12
12	—	—	850	98	*Plutarchus* Chæronenſis -	Trajani -	1
13	—	—	850	98	Cajus *Silius* Italicus - -	- - -	1
14	—	—	851	99	Cajus Cornelius *Tacitus* -	- - -	2
15	—	—	852	100	Lucius Annæus *Florus* - -	- - -	3
					Sæculo II.		
16	—	—	857	105	Sextus Julius *Frontinus* . .	- - -	8
17	—	—	869	117	Cajus *Svetonius* Tranqvillus -	Hadriani -	1
18	—	—	900	148	*Appianus* Alexandrinus -	Antonini Pii	11
19	†	59	932	180	Marcus Aurelius *Antoninus* -	Imperii ſui	19
					Sæculo III.		
20	—	—	981	229	*Dio* Caſſius - -	Alexandri -	8
21	—	—	990	238	*Herodianus* - -	Gordiani -	1
22	—	—	1028	276	*Dexippus* Herennius - -	Probi - -	1
23	—	—	1036	284	Vulcatius *Gallicanus* - -	Diocletiani	1
24	—	—	1043	291	Trebellius *Pollio* - -	- - -	8
					Sæculo IV.		
25	—	—	1058	306	Ælius *Spartianus* - - .	Cõſtantini M.	1
26	—	—	1058	306	Ælius *Lampridius* - - -	- - -	1
27	—	—	1058	306	Julius *Capitolinus* - - .	- - -	1
28	—	—	1062	310	Flavius *Vopiſcus* - - -	- - -	5
29	—	—	1111	359	Sextus Aurelius *Victor* - -	Conſtantii -	23
30	†	32	1115	363	Flavius Claudius *Julianus* -	Imperii ſui -	2
31	—	—	1117	365	*Eutropius* - - - - -	Valentiniani I	2

Sextus

Part. I. Cap.	ANNO †	ætatis	ab U.C.	post C.N.		ANNO Imperatorum Romanorum	
32	—	—	1121	369	Sextus *Rufus* - -	Valentiniani I.	6
33	—	—	1140	388	Decius Magnus *Auſonius*	Theodoſii I.	10
34	—	—	1142	390	Ammianus *Marcellinus*	- - -	12
					Sæculo V.		
35	—	—	1157	405	Claudius *Claudianus* -	Honorii -	11
36	—	—	1162	410	*Zoſimus* - - - -	- - -	16
37	—	—	1177	425	*Olympiodorus* - - -	Valétiniani III	1
38	—	—	1194	442	*Autor* notitiæ dignatum Imperii Rom. -	- - .	18
39	—	—	1221	469	*Idatius* Lemicenſis .	Leonis -	13
	ANNO †	ætatis		post C.N.			
					Sæculo VI.		
40	—	—		550	Petrus *Patritius* - -	Juſtiniani I.	24
					Sæculo XIII.		
41	†	—		1245	Rodericus *Ximenes* Toletanus	Friderici II.	34
					Sæculo XIV.		
42	†	70		1374	Franciſcus *Petrarcha* . .	Caroli IV -	29
43	†	62		1375	Joannes *Boccatius* - - -	- - -	30
					Sæculo XV.		
44	—	—		1411	Andreas Dominicus *Floccus* -	Sigismundi -	1
45	†	74		1443	Leonardus Brunus *Aretinus* -	Friderici III.	4
46	†	75		1463	*Blondus* Flavius - - -	- - .	24
47		—		1490	Lobardus *Sirichius* - -	- . -	51
48	—	—		1492	Julius Pomponius *Lætus* -	- - .	53
49	—	—		1492	Joannes *Annius* Viterbienſis	- - -	53

Part. I. Cap.	ANNO †	ætatis	poſt C.N.	Sæculo XVI.	ANNO Imperatorum Romanorum	
50	—	—	1514	Henricus *Bebelius*	Maximiliani I.	22
51	†	—	1532	Gregorius *Haloander*	Caroli V.	14
52	†	59	1551	Andreas *Alciatus*	- - -	33
53	†	41	1555	Marcus Antonius *Majoragius*	- - -	37
54	†	—	1563	Joannes *Glandorpius*	Ferdinandi I.	6
55	†	75	1563	Henricus Loritus *Glareanus*	- - -	6
56	†	51	1565	Wolfgangus *Lazius*	Maximilia. II.	2
57	†	53	1566	Georgius *Caſſander*	- - -	3
58	†	51	1567	Franciſcus *Robortellus*	- - -	4
59	†	39	1568	Onuphrius *Panvinius*	- - -	5
60	†	57	1571	Georgius *Fabricius*	- - -	8
61	†	—	1572	Nicolaus *Gruchius*	- - -	9
62	†	57	1572	Petrus *Ramus*	- - -	9
63	†	62	1574	Paulus *Manutius*	- - -	11
64	†	60	1577	Antonius *Contius*	Rudolphi II.	2
65	†	—	1581	Joannes *Otho*	- - -	6
66	†	56	1581	Petrus *Ciacconius*	- - -	6
67	†	57	1583	Hubertus *Goltzius*	- - -	8
68	†	55	1583	Abrahamus *Bucholcerus*	- - -	8
69	†	29	1584	Janus *Guilielmus*	- - -	9
70	†	61	1585	Carolus *Sigonius*	- - -	10
71	†	71	1586	Antonius *Auguſtinus*	- - -	11
72	†	66	1590	Franciſcus *Hotomannus*	- - -	15
73	†	76	1599	Guidus *Pancirolus*	- - -	24
74	†	70	1600	Fulvius *Urſinus*	- - -	25
75	†	63	1600	Richardus *Streinnius*	- - -	25
				Sæculo XVII.		
76	†	74	1602	Janus Jacobus *Boiſſardus*	- - -	27
77	†	84	1604	Stephanus Vinandus *Pighius*	- - -	29
78	†	80	1605	Adolphus *Occo*	- - -	30
79	†	64	1605	Joannes Sarius *Zamoſcius*	- - -	30

Joannes

Part. I. Cap.	ANNO †	ANNO ætatis	ANNO poſt C. N.		ANNO Imperatorum Romanorum	
80	†	66	1606	Joannes *Roſinus* - -	Rudolphi II	31
81	†	59	1606	Juſtus *Lipſius* - -	- . -	31
82	†	—	1609	Abrahamus *Gorlæus* -	- - .	34
83	†	71	1621	Henricus *Savilis* -	Ferdinandi II	3
84	†	43	1623	Philippus *Cluverius* -	- - .	5
85	†	41	1627	Juſtus *Rycqvius* - -	- - .	9
86	†	71	1628	Julius Cæſar *Bulengerus*	- - -	10
87	†	78	1629	Andreas *Schottus* -	- - -	11
88	†	62	1641	Joannes *Meurſius* -	Ferdinandi III	5
89	†	69	1643	Joannes *Kirchmannus* -	- . -	7
90	†	58	1652	Claudius *Salmaſius* -	. - -	16
91	†	41	1653	Marcꝰ Zueriꝰ *Boxhornius*	- . -	17
92	†	52	1660	Joannes *Freinshemius* -	Leopoldi -	3

PARTE POSTERIORI.

Part. II. Cap.	
1	*Myrſilus* Lesbius.
2	*Autor* commentarii de bello Hiſpanico Julii Cæſaris.
3	*Autor* epitomarum Livianarum.
4	*Autor* faſtorum Capitolinorum.
5	Sextus Aurelius *Victor*.
6	Publius *Victor*.
7	*Autor* libelli de regionibus Urbis Romæ.
8	Julius *Exſuperantius*.

INDEX III.

Autorum in hoc libro de Romanis rebus Scripta eo ordine, qvô de Autoribus agitur, locata repræſentat. Unde incipiant, & ubi deſinant, qvibus addi potuit, additum eſt.

AUTORUM

De qvibus in priori parte agitur, partim genuina, partim ſuppoſititia, certè dubia, Scripta exſtant:

	ANNO		
I. QVINTI FABII PICTORIS			
I. Ex perditis libris qvædam fragmenta.			
II. De aureo ſæculo & Urbis Romæ origine libri II: qvos	ante U.C.	ab O.C.	ante C.N.
incipit à Jano Aboriginum rege, qvi in Italiam venit - - -	577	2621	1327
	ab U.C.		
finit in pace inter Romulum & Tatium inita, Sabinis intra urbem receptis - -	8	3205	743
II. MARCI PORCII CATONIS			
I. Ex Originibus fragmenta qvædam.			
II. Ex iiſdem Anniana de antiqvis Italiæ populis fragmenta.			
III. CAJI SEMPRONII ASELLIONIS			
De Italiæ in regiones ſuas diviſione liber.	ab U.C.	ab O.C.	ante C.N.
IV. CAJI JULII CÆSARIS			
I. De bello Gallico commentarii VII: qvos			
incipit ab iſtius belli principio -	695	3892	56
finit in Vercingetorigis, Arvernorum ducis, deditione - - - -	701	3898	50
II. De civili bello commentarii III: qvos			
incipit ab iſtius belli principio - - -	704	3901	47
finit in Photini Eunuchi contra Cæſarem in Ægypto bellum excitantis morte - -	702	3902	46

V. AU.

	ANNO		
V. AULI HIRTII	ab U. C.	ab O.C.	ante C.N.
I. De bello Gallico commentarius: qvem			
incipit à Julii Cæſaris in Bituriges expeditione -	702	3899	49
finit in Cæſaris ex Gallia in Italiam reditu -	703	3900	48
II. De bello Alexandrino commentarius: qvem			
incipit à Julii Cæſaris in Ægyptum adventu -	705	3902	46
finit in Cæſaris, poſt victum prælio Pharnacem, Ponti regem, in Italiam reditu - -	706	3903	45
III. De bello Africano commentarius: qvem			
incipit à Julii Cæſaris in Africam adventu - -	707	3904	44
finit in Cæſaris ad urbem reditu - - -	708	3905	43
VI. CAJI SALLUSTII CRISPI	ab U. C.	ab O.C.	ante C.N.
I. Bellum Jugurthinum: qvod,			
præmiſſis qvibuſdam, à Maſaniſſa Numidarum rege, in populi Romani amicitiam per P. Scipionem Africanum recepto - - - - -	547	3744	204
incipit ab iſtius belli principio - - -	642	3839	109
finit in triumpho, qvem C. Marius II. Conſul, capto & ante currum catenis onuſto Jugurtha, calendis Januariis egit - - -	649	3846	102
II. Catilinaria Conjuratio: qvam,			
præmiſſis qvibuſdam, à Roma condita -	1	3198	750
incipit ab iſtius conjurationis principio - -	689	3886	62
finit in Catilinæ, à Romanis copiis, duce Petrejo, in acie trucidati morte - -	691	3888	60
III. Ex perditis libris hiſtoricis qvædam fragmenta			
VII. MARCI VALERII CORVINI MESSALLÆ	ante U. C.	ab O.C.	ante. C.N
De Cæſaris Auguſti progenie liber: qvem			
incipit à Dardani in Phrygiam adventu - -	727	2471	1477
	ab U. C.		
finit in Legatione Indorum ad Cæſarem Auguſtum - - - -	734	3931	17

VII.DIO-

VIII. DIONYSII HALICARNASSENSIS

	ante U. C.	ab O.C.	ante C.N.
I. Antiqvitatū Romanarum libi XI priores: qvos *præmiſſis* qvibuſdam de primis Italiæ cultoribus, præſertim Aboriginibus, qvorum Rex Janus in Italiam venit	577	2621	1327
	ab U. C.		
incipit à Roma condita	1	3198	750
finit in M. Geganei Macerini ſecundo, & T. Qvintii Capitolini qvinto conſulatu	312	3509	439
II. Ex perditis libris Urſiniana de Legationibus excerpta: qvæ Eclogarius			
incipit à Romanorum ad Neapolitanos de non lædendis Romanis Legatione	427	3624	324
finit in Romanorum ad Pyrrhum Epirotarum regem de captivis reddendis Legatione	473	3670	278
III. Ex perditis libris Peireſciana de virtutibus & vitiis excerpta: qvæ Eclogarius			
incipit à Romanorum in Tuſculanos armis ad obſeqvium revocatos lenitate	379	3576	372
finit in Pyrrhi Epirotarum regis clade	478	3675	273

IX. TITI LIVII.

	ante U. C.	ab O. C.	ante C.N.
I. Hiſtoriarum Romanarum libri X priores: qvos *præmiſſis* qvibuſdam, à Troja capta	431	2767	1181
	ab U. C.		
incipit à Roma condita	1	3198	750
finit in L. Papirii Curſoris & Sp. Carvilii Maximi conſulatu	460	3657	291
II. Earundem libri XXV, à XXI, ad XLV: qvos			
incipit ab actis belli Punici ſecundi	534	3731	217
finit in Pruſiæ, Bithyniæ Regis, ab urbe diſceſſu	586	3783	165

III. Qvoddam ad XXXIII. librum fragmentum.

X.CA-

X. CAJI VELLEJI PATERCULI	ANNO		
I. Hiſtoriæ Romanæ libri II: qvos,	ante U. C.	ab O.C.	ante C.N.
præmiſſis qvibuſdam, à Græcorum ducum, poſt excidium Trojanum in diverſas terras profectorum geſtis. - - - -	431	2767	1181
	ab U. C.		
incipit à Roma condita - - -	1	3198	750
finit in exceſſu Liviæ, qvam Auguſtus uxorem, Tiberius matrem habuit, Tiberii anno XVI - - - - - -	781	3978	à C.N. 29
II. Qvoddam ex hiſtoria Gallica fragmentū.			
XI. MARCI ANNÆI LUCANI	ab U. C.	ab O. C.	ante C.N.
Pharſaliæ, ſeu de civili Cæſaris & Pompeji bello libri X: qvos			
incipit à Cæſaris ex Gallia in Italiam reditu	704	3901	47
finit in Photini Eunuchi, bellum in Ægypto adverſus Cæſarem renovantis, morte - -	706	3903	45
XII. PLUTARCHI			
I. Qvæſtionum Romanarum, ſive de rituum Romanorum originibus & cauſis, liber.			
II. De Romanorum fortuna commentarius.			
XIII. CAJI SILII ITALICI	ab U. C.	ab O. C.	ante C. N.
De bello Punico ſecundo libri XVII, qvos			
incipit ab iſtius belli principio - - -	534	3731	217
finit in Scipionis Africani de Pœnis triumpho	552	3749	199
XIV. CAJI CORNELII TACITI	ab U. C.	ab O. C.	à C. N.
I. Annalium libri XVI: qvos			
incipit ab Auguſti Cæſaris exceſſu - -	766	3963	14
finit in Thraſeæ Pœti, qvem Nero mori juſſerat, interitu, Neronis anno XIII - -	818	4015	66

II. Hiſtoriarum libri V: qvos	ab U. C.	ab O. C.	à C. N.
incipit à Servii Galbæ ſecundo, & Titi Vinii conſulatu, Veſpaſiani anno I - - - -	821	4018	69
finit in pace inter Cerealem Romanum, & Civilem Batavum, cum hic ab illo victus eſſet, inita, Veſpaſiani anno II - - - - -	822	4019	70
XV. LUCII ANNÆI FLORI			
Romanarum rerum epitome libris IV: qvam	ab U. C.	ab O. C.	ante C. N.
incipit à Roma condita - - - - - -	1	3198	750
finit in Jani templo, Imperatoris Auguſti temporibus, prima vice clauſo - - -	724	3921	27
XVI. SEXTI JULII FRONTINI			
I. De Urbis Romæ aqvæductibus commen-mentarius.			
II. De Italiæ coloniis liber.			
XVII. CAJI SVETONII TRANQVILLI	ab U. C.	ab O. C.	ante C. N.
Duodecim Cæſarum Romanorum vitæ: qvas, *præmiſſis* Julii Cæſaris juvenilibus actis, ab anno ætatis XVI - - - - - - - -	669	3866	82
incipit ab ejuſdem rebus in imperio geſtis -	705	3902	46
			à C. N.
finit in Domitiani morte - - - -	847	4044	95
XVIII. APPIANI			
I. Ex prioribus hiſtoriæ Romanæ libris IX, Peireſciana de virtutibus & vitiis excerpta: qvæ Eclogarius	ab U. C.	ab O. C.	ante C. N.
incipit à Sabinorũ, ut bellum adverſus Romanos, pro Tarqvino Superbo, exſule rege, ſuſciperent, per ejus filium Sextum facta ſolicitatione	250	3447	501
finit in L. Æmilii Pauli oratione, qvam poſt actũ de Perſeo triumphum, ad Qvirites habuit - -	586	3783	165

	ab U. C.	ab O. C.	ante C. N.
II. Ex Celticis ſive Gallicis, aut compendium, aut fragmentum: qvod autor			
incipit à Roma per Gallos capta - - - -	365	3562	386
finit in Julii Cæſaris primo in Britanniam ex Galliis tranſitu - - - - - - - - -	698	3895	53
III. De Ibericis ſive Hiſpanicis liber: qvem,			
præmiſſis qvibuſdam, de Hiſpaniæ ſitu & primis inhabitatoribus,			
incipit à Romanorum bello Punico II - -	534	3731	217
finit in rebellantibus Hiſpaniæ populis per Cæſarem Auguſtum domitis - - - - -	731	3928	20
IV. De Hannibalicis liber: qvem,			
præmiſſis qvibuſdam ab Hannibale in Hiſpania geſtis,			
incipit ab Hannibalis in Italiam per Alpes tranſitu - - - - - - - - - - - -	535	3732	216
finit in Hannibalis ex Italia in Africam reditu	551	3748	200
V. De bellis Punicis liber: qvem,			
præmiſſis paucis de ortu Carthaginis,			
incipit à Romanorum ex Sicilia in Africam adventu - - - - - - - - - - -	494	3691	257
finit in Carthagine à Romanis deſtructa -	607	3804	144
VI. De bellis Illyricis liber; qvem,			
præmiſſis qvibuſdam de Illyriorum origine aliisq; rebus,			
incipit ab Agrone, Illyriorum rege, cujus ætate primam in Illyricum expeditionem Romani ſuſceperunt - - - - - - - - - -	22	3719	229
finit in triumpho, qvem Cæſar Auguſtus poſt victum Antonium de Illyriis egit - - -	24	3921	27
VII. De bellis Syriacis liber: qvem,			
præmiſſis qvibuſdam ab Antiocho Magno Syriæ rege actis,			
incipit à bello, qvod contra eundem Romani ſuſceperunt - - - - - - - - - -	562	3759	189

	ab U.C.	ab O.C.	ante C.N.
finit in Syria, qvam Antiocho Cyziceno eripuerant, à Romanis in provinciam redacta - -	689	3886	62
VIII. De Parthicis bellis liber: qvem			
incipit à Syria per Pompejum in provinciam redacta - - - - - - - - - - -	689	3886	62
finit in Antonii cum Medorum rege inita belli ſocietate - - - - - - - - - -	720	3917	31
IX. De Mithridaticis bellis liber: qvem			
incipit à Pruſiæ, Bithyniæ Regis, pro capto Perſeo rege Macedonum interceſſione - - -	584	3781	167
finit in triumpho, qvem victo Mithridate, Ponti Rege, Pompejus egit - -	692	3889	59
X. De bellis civilibus Libri V: qvos,			
præmiſſis qvibuſdam diſcordiarum Romanarum cauſis & exemplis, à ſeceſſione plebis in montem ſacrum - - -	260	3457	491
incipit à lege agraria per Tib. Sempronium Gracchum lata - -	620	3817	131
finit in Sexti Pompeji morte - -	718	3915	33

XIX. MARCI AURELII ANTONINI

Ad ſeipſum de vita ſua libri XII.

XX. DIONIS CASSII.

	ab U.C.	ab O.C.	ante C.N.
I. Ex hiſtoriarum Romanarum prioribus XXXIV libris, Urſiniana de legationibus fragmenta: qvæ Eclogarius			
incipit à Romanorum, poſt Tuſculum victum, ad Æqvos legatione - - -	296	3493	455
finit in pace, qvam L. Cornelius Sulla cum Mithridate Ponti rege iniit - -	669	3866	32
II. Hiſtoriarum Romanarum libri XXV, â XXXV, ad LX: qvos autor			
incipit à Luculli, contra Mithridatem Ponti, & Tigranem Armeniæ reges, geſtis - -	684	3881	67

finit

	ab U. C.	ab O. C.	à C. N.
finit in Cæſaris Claudii morte	806	4003	54
III. Ex reliqvis libris, Xiphilini & Thedoſii excerpta: item fragmenta qvædam: qvæ Eclogarii ex libro LXI, *incipiunt* à morte Claudii Cæſaris	806	4003	54
ex libro LXXX, *finiunt* in Imperatoris Alexandri Severi conſulatu tertio	981	4178	229
IV. Ex perditis libris Peireſciana de virtutibus & vitiis excerpta: qvæ Eclogarius			ante C. N.
incipit à Numa Pompilio, Romanorum rege, qvi ſuſcepit imperium	39	3236	712
			à C. N.
finit in Artaxerxis, qvi à Parthis defecerat, poſt victum Parthorum regem Artabanum, in Armeniam tranſitu	981	4178	229

XXI. HERODIANI

	ab U. C.	ab O. C	à C. N.
Hiſtoriæ Romanæ libri VIII: qvos			
incipit ab imperatoris Marci Aurelii Antonini obitu	932	4129	180
finit in initio imperii, poſt Maximinum, à Gordiano ſuſcepti	990	4177	238

XXII. DEXIPPI HERENNII

	ab U. C.	ab O. C.	à C. N.
Ex perditis libris, de Legationibus excerpta: qvæ Eclogarius			
incipit à Scytharum Legatione ad imperatorem Aurelianum de obtinenda pace	1022	4219	270
finit in ejuſdem imperatoris, poſt Vandalos victos, ad Italiam reditu	1022	4219	270

XXIII. VULCATII GALLICANI

	ab U. C.	ab O. C.	à C. N.
Avidii Caſſii vita: qvi, tempore imperatoris Marci Antonini Philoſophi, Romanum in Oriente imperium arripuit: per tres menſes & ſex dies uſurpatum cum vita perdidit	927	4124	175

XXIV. TREBELLII POLLIONIS	ab U. C.	ab O. C.	à C. N.
Imperatoris Valeriani vita: qvam			
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti - -	1005	4202	253
finit in bello Perſico per Odenatum Palmyrenum confecto - - - -	1016	4214	264
II. Cæſaris Valeriani, patre Valeriano imperatore procreati vita: qvam paucis tangit.			
III. Imperatoris Gallieni vita: qvam			
incipit à captivitate imperatoris Valeriani patris, in Perſiam traducti - - - - -	1012	4209	260
finit in Gallieni morte - -	1020	4217	268
IV. Salolini Gallieni, patre Gallieno imperatore procreati, vita: de cujus geſtis, præter puerile factum, nihil commemorat.			
V. Tyrannorum XXX vitæ: qvas			
incipit à Cyriade, qvi in Syria imperium uſurpavit - - -	1010	4207	258
finit in Victorina, cujus filius Tetricus in triumpho cum Zenobia ductus eſt - -	1026	4223	274
VI. Titi & Cenſorini Tyrannorũ vitæ: qvorũ			
ille ſub imperatore Maximino - - -	988	4185	236
hic ſub imperatore Claudio rebellavit -	1021	4218	269
VII. Imperatoris Claudii vita: qvam			
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti -	1020	4217	268
finit in ejuſdem morte - - -	1022	4219	270
XXV. ÆLII SPARTIANI	**ab U. C.**	**ab O.C.**	**à C. N.**
I. Imperatoris Ælii Hadriani vita: qvam,			
præmiſſis ejus à nativitate qvibuſdam rebus	828	4025	76
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti - -	869	4066	117
finit in ejuſdem morte - - - - -	890	4087	138
II. Cæſaris Ælii Veri vita: qvam			
incipit ab ejus adoptione, in ſpem ſucceſſionis, per Hadrianum imperatorem facta -	887	4084	135
finit in ejuſdem Veri morte - -	888	4085	136
III. Imperatoris Didii Juliani vita: qvam,			

præmiſ-

	ab U. C.	ab O. C.	à C. N.
præmiſſis qvibuſdam ad priora tempora pertinentibus geſtis;			
incipit ab ejuſdem actis in imperio, qvod duobus menſibus, qvinqve diebus tenuit	945	4142	193
IV. Imperatoris Septimii Severi vita: qvam,			
præmiſſis ejus à nativitate qvibuſdam rebus,	898	4095	146
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti	945	4142	193
finit in ejuſdem morte	963	4160	211
V. Peſcennii Nigri, qvem Septimius Severus adverſarium habuit, vita: qvam			
incipit à Peſcennii per milites ad imperium evectione	945	4142	193
finit in ejuſdem interitu	946	4143	194
VI. Imperatoris Antonini Caracallæ vita: qvã			
præmiſſis nonnullis de illius pueritia rebus,			
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti	963	4160	211
finit in ejuſdem exceſſu	969	4166	217
VII. Imperatoris Antonini Getæ vita: qvam,			
præmiſſis ejus à nativitate qvibuſdam rebus,			
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti	963	4160	211
finit in ejuſdem interitu	964	4161	212
XXVI. ÆLII LAMPRIDII	ab U. C.	ab O. C.	à C. N.
I. Imperatoris Antonini Commodi vita: qvã,			
præmiſſis ejus à nativitate qvibuſdam rebus,	913	4110	161
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti	932	4129	180
finit in ejuſdem morte	944	4141	192
II. Imperatoris Antonini Diadumeni vita: qvi cum patre Opilio Macrino accepit imperium	969	4166	217
cum eodem occiſus eſt	970	4167	218
III. Imperator. Antonini Heliogabali vita: qvi imperare cœpit	970	4167	218
vivere deſiit	974	4171	222
IV. Imperatoris Alexandri Severi vita: qvam			
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti	974	4171	222
finit in ejuſdem morte	986	4183	234

XXVII.

XXVII. JULII CAPITOLINI	ab U. C.	ab O. C.	à C. N.
I. Imperatoris Titi Antonini Pii vita: qvam,			
præmiſſis ejus à nativitate qvibuſdam rebus, -	838	4035	86
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti - -	890	4087	138
finit in ejuſdem morte - - -	913	4110	161
II. Imperatoris Marci Antonini Philoſophi vita: qvam,			
præmiſſis ejus à nativitate qvibuſdam rebus, -	873	4070	121
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti - -	913	4110	161
finit in ejuſdem morte - - -	932	4129	180
III. Imperatoris Lucii Antonini Veri vita: qvam,			
præmiſſis ejus à nativitate qvibuſdam rebus, -	880	4077	128
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti - -	913	4110	161
finit in ejuſdem morte - - -	921	4118	169
IV. Imperatoris Pertinacis vita: qvam,			
præmiſſis ejus à nativitate qvibuſdam rebus -	878	4075	126
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti - -	945	4142	193
finit in ejuſdem morte - - -	946	4143	194
V. Imperatoris Clodii Albini vita: qvi imperator dictus eſt - - -	945	4142	193
in prælio contra Septimium Severum imperatorem occiſus eſt - - - -	949	4146	197
VI. Imperatoris Opilii Macrini vita: qvi, occiſo imperatore Caracalla, imperium arripuit - - -	969	4166	217
ab Heliogabalo imperatore victus, in fuga occiſus eſt - - -	970	4167	218
VII. Imperatoris Maximi vita: qvam,			
præmiſſis qvibuſdam ad antecedentia tempora pertinentibus geſtis,			
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti - -	987	4184	235
finit in ejuſdem morte - -	989	4186	237

	ab U. C.	ab O.C.	à C.N.
IIX. Cæſaris Maximini, patre Maximino imperatore procreati, vita: qvem			
pater Cæſarem dixit	987	4184	235
mortis habuit ſocium	989	4186	237
IX. Imperatorum, trium Gordianorum, patris, filii, & nepotis, vitæ: ex qvibus			
cum filio pater paulò ultra menſem geſſerunt imperium	989	4186	237
nepos, priore anno Cæſar creatus, Auguſtus dictus eſt	990	4187	238
interiit	996	4193	244
X. Imperatorum, Maximini & Balbini vitæ: qvorum			
uterqve imperium accepit	989	4186	237
uterqve trucidatus eſt	990	4,87	238
XXIIX. FLAVII VOPISCI	ab U. C.	ab O.C.	à C.N
I. Imperatoris Aureliani vita: qvam, *præmiſſis* ejus à nativitate qvibusdam rebus,			
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti	1022	4219	270
finit in ejuſdem morte	1027	4224	275
II. Imperatoris Taciti vita: qvem ſexto imperii menſe trucidatum ſcribit	1027	4224	275
III. Imperatoris Floriani vita: qvi, fratre, Tacito interemto, imperium arripuit, & paullo minus tribus menſibus retentum, cum vita perdidit	1028	4225	276
IV. Imperatoris Probi vita: qvam, *præmiſſis* ejus à nativitate qvibusdam rebus,			
incipit à rebus imperii ab eo ſuſcepti	1028	4225	276
finit in ejusdem morte, qvam ad qvintum refert, alii ad ſextum imperii annum referunt	1034	4231	282
